Prædicator peccatis alienis medebitur eosque ad virtutem vehementer incitat quem ipsi virtute & gloriaprestantem iudicabunt. fol. 315.
Prudentia est moderatrix & socia virtutum moralium, quoniam neque hæc sine illis, neque illa sine hac co-hærere vlo modo queunt. fol. 204.
Prophetæ donum in viris aliquando scelere accumulatis extitisse videtur. fol. 201.
Publius Scipio cum magnorum virorum imagines inspiceret, quam maxime se ad virtutes inflammari solitum esse dicebat. fol. 151.
Pylades, & Orestes, Damō, & Pythias ad inuicem unus pro alio mori contenderunt, ut vita amici in columis permaneret. fol. 259.

Q.

QVINTUS CINCINATUS fugiens mundanā gloriam Dicitur tanta sponte deposita rediit ad aratum unde fuerat accitus. fol. 77.
Quintus Fabius cum magnorum imagines inspiceret quam maxime ad virtutem se inflammari solitū esse dicebat. fol. 151.

Index rerum.

R.

- R**eligio Christiana tam sancte tuenda est ut omnes acerbitates sint perferendae ne eam in contemptum adduci sinamus. fol. 321.
Romani quædes virtutis & honoris coniunctissimas constituerunt pro Diis habentes, intelligentes honorem esse præmium virtutis. fol. 226.

S.

- S**enectutis effectus. fol. 135.
Senum conditio. fol. 40.
Scandalum est dictum vel factum quo alijs occasio ruinæ datur. fol. 321.
Semper est peccatum in eo qui offert. fol. 322.
Scandalum actionum omni tempore & omni actione vietandum est, quia nullum est sine peccato scandalum. fol. 321. & 322.
Spiritus unde spiritualia dicuntur explicatur eleganter. afol. 270. ad 272.
Superbia vocatur regina vitiorum & initium omnis peccati. fol. 371.
Nascuntur ex ea, ut ex radice inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluvies, luxuria. fol. 372.
Stultus, in scriptura sacra, sepe flagitiosum, impiumque significat, quoniam ille est vere stultus, & hebes qui bono incommutabili inane & commutabile præponit. fol. 197.

Temis-

Temistoclis Atheniensis responsum mirabile cuidam
in contentione obiectanti, quod non propria vir-
tute, sed patrię splēdore gloriosus factus esset. f. 155.
Theologia flagitiorum hominum domicilium fugit,
fol. 191.

Theologus esse non potest, qui animum sordidis cupi-
tibus inquinatum, & turpificatum habet, nec qui
in sacris literis peregrinus est. fol. 159.

Theologiæ cognitio integra & perfecta non reperitur
in homine virtutis præsidij destituto. fol. 191.

Theologus verus qui cupit esse, cum primum operam
dare Theologiæ incipiat, omnem ex animo libidinē
abiciat, omnemq; aut pecuniarum, aut honorum cu-
piditatem, neque spe questus accendatur, neque glo-
riæ, vnum sibi laborum, & studiorum finem propo-
nat, Dei laudem, atque Ecclesiæ utilitatem, fol. 195.

S. Theophanis, qui & Iсаcius dictus est, ad mirabilia, &
sanctissima verba quæ cum sponsa habuit, & Christi
amore succensi in perpetuam continentiam sponte
ambo consentiunt, & de fuga eius ad Sigriane mon-
tem laudes humanas & gloriam hominum timens,
fol. 82.

Timon Atheniensis ita fugit mundanam gloriam, vt
omnium hominum commercium fugeret nolens in
magna celebritate viuere, fol. 77.

Timoleon Corinthius ob eandem causam in solitudi-
nem sponte sua fugit nolens inter suos in magna lau-
dis frequentia viuere, fol. 77.

Torquatus Romanus filium suum occidit, non quia
contra patriam pugnaret, sed etiam pro patria, sed

V

VAnæ gloriæ damna, & remedia, à fol. 58. vñque
ad 60.

Verecundia est timor quidam dedecoris, fol. 39.

Virtus est omnium bonorum præstantissimum, & origo
totius honestatis, fol. 21.

Virtus sui amore & splendore inuitat, vt ad bene agen-
dum rapiamur, fol. 60.

Propter solam beatitudinem amari debet, fol. 62.

Est comes gloriæ, existit sæpè sine nobilitate, fol. 165.

Est fundamentum, & causa commendationis, & gloriæ
sine qua nihil potest esse laudabile, fol. 227.

Virtus sola proprie, & vere efficit gloriam, fol. 223.

Virtus sola est, quæ totis viribus contentissime est per-
sequenda: cætera si dentur caute recipienda, si aufe-
rantur non multo desideranda. fol. 126.

Se ipsa contenta est ad gloriam, nec alienis opibus ad
commendationem indiget, fol. 227.

Virtus est, quæ efficit, vt bene se habeat ac bene opere-
tur is in quo est, fol. 204.

Virtutes morales non sunt in nobis à natura ingeni-
tæ, sed vsu ipso, & consuetudine comparatae, folio
eodem.

Virtus omnis suum habet finem, cui opera referat, qui si
desit nullum est opus virtutis, fol. 60.

Est fons laudis inde que ad artes deriuatur, fol. 199.

Virtutes & doctrinæ propter seipsas quæruntur, quia
sunt naturæ maxime acommodatæ quæ per se amen-
tur, etiam si nihil ex eis fructus, aut utilitatis decer-
peretur, fol. 63.

Virtus

(e) verborum.

- Virtus vera nulla est sine charitate, fol. 127.
Est causa præcipua nobilitatis, fol. 171.
Virtutis nobilitas reddit hominē dignū honore, fo. 168.
Et sine stirpis splendore potius est eligenda quam san-
guinis claritudo sine virtutis excellentia, fol. 168.
Virtutes omnes ac præcipue charitatem non dicam pro
gloria, verum nec pro maximo emolumento spiritua
li reipublicæ prouinciæ, aut religionis in id discrimi
nis perduci illicitum est, vt perdendæ sint vel earum
iauctura aliqua facienda, fol. 279.
Virtus in unaquaq; re dicitur, quæ finem suum attingit,
& sequitur, fol. 220.
Non efficit gloriam nisi cuna cognita est, fol. 240.
Inhærens inani gloriæ corrumpitur, fol. 364.
Virtutes Theologicæ veram perfectamque gloriam cō
stituunt, fol. 232.
Virgo non tenetur nubere pro recuperanda valetudi-
ne, sed potest ita mori, fol. 262.
Vitium dicitur id quod dispositum est, contra id quod
conuenit suæ naturæ. fol. 103.
Et eo ipso quæd vitium est contra naturam est. Ibidem.
S. Ulmarus Abbas fugiens gloriam humanam & laudes
hominum in eremum aufugit nihil secum conferens
nisi sacerdotalia vestimenta, fol. 82.
Vultus hominis indicat dignitatem, & animi præstan-
tiam, fol. 134.
Vulgus vix recte iudicare de virtutibus potest, fol. 6.

Z

Zeno Stoicus seipsum strangulauit cupiditate imma-
ni laudis incensus, fol. 246.

FINIS.

Allegoricae vnde sunt omnia circa eam
fol. 147r. Alius de quibus populis potius
fol. 148. Alius de quibus populis potius
fol. 149. Alius de quibus populis potius
fol. 150. Alius de quibus populis potius
fol. 151. Alius de quibus populis potius
fol. 152. Alius de quibus populis potius
fol. 153. Alius de quibus populis potius
fol. 154. Alius de quibus populis potius
fol. 155. Alius de quibus populis potius
fol. 156. Alius de quibus populis potius
fol. 157. Alius de quibus populis potius
fol. 158. Alius de quibus populis potius
fol. 159. Alius de quibus populis potius
fol. 160. Alius de quibus populis potius
fol. 161. Alius de quibus populis potius
fol. 162. Alius de quibus populis potius
fol. 163. Alius de quibus populis potius
fol. 164. Alius de quibus populis potius
fol. 165. Alius de quibus populis potius
fol. 166. Alius de quibus populis potius
fol. 167. Alius de quibus populis potius
fol. 168. Alius de quibus populis potius
fol. 169. Alius de quibus populis potius
fol. 170. Alius de quibus populis potius
fol. 171. Alius de quibus populis potius
fol. 172. Alius de quibus populis potius
fol. 173. Alius de quibus populis potius
fol. 174. Alius de quibus populis potius
fol. 175. Alius de quibus populis potius
fol. 176. Alius de quibus populis potius
fol. 177. Alius de quibus populis potius
fol. 178. Alius de quibus populis potius
fol. 179. Alius de quibus populis potius
fol. 180. Alius de quibus populis potius
fol. 181. Alius de quibus populis potius
fol. 182. Alius de quibus populis potius
fol. 183. Alius de quibus populis potius
fol. 184. Alius de quibus populis potius
fol. 185. Alius de quibus populis potius
fol. 186. Alius de quibus populis potius
fol. 187. Alius de quibus populis potius
fol. 188. Alius de quibus populis potius
fol. 189. Alius de quibus populis potius
fol. 190.



LIBER PRIMVS,

DE VERA, ET FALSA GLORIA.

C A P V T I.

Quid sit gloria?

DVCE Spiritu Sancto, & Bea-
tiissima, & immaculatissi-
ma Virgine Dei genitrice
Maria, Domina, atq; Patro-
na nostra: aggredimur hu-
ius disputationis iter, de vera, & falsa glo-
ria. Sed ut id traetemus, ut percipi potest;
maxime a definitione nobis incipiendum
videtur. Prae clare enim Aristoteles libro
primo Ethicorum ad Nicomachum filiu,
capite septimo: Multam operam, & diligē-
tiam indifinitionibus adhibendam esse di-

Aristot.
Ethic. ad Ni
com. cap. 7.

Definitio-
nis utilitas.

A

cit,

1.107 *Liber primus,*

cit, quod magnam, ad ea quae sequuntur, afferant open, & principium plusquam di-
midium totius esse videatur. Cum autem
duplex gloria sit, (ut ipsa libri inscriptione
indicauiimus, & postea latius uberiori que
dicemus) vera, & falsa, de vera prius loque-
mur, ac ea ante oculos posita, facilè quae sit
illa altera elucescat. Verè enim ab Aristote-
le dictum est in primo libro de anima ca-
pite ultimo: *Rectum, esse iudicem sui, & obli-*

Gloria du-
plex vera,
& falsa.

Arist. tr. de
anima, cap.
vlt.

Gloriae di-
finitiones.
Hieron. in
Comm. ad
Gal. c. 5.

Glossa, in
Epist. ad Ro-
ma. ca. vlt.

Cicer. 2. de
inuentione.
Aug. tract.
100. & 105.
in Ioan..

Et. lib. 83.
quaest. q. 31.

qui. Varie ergò gloria definiri solet. Ete-
niam diuus Hieronymus in commentarijs
ad Galatas capite quinto. Gloriae nomen
sofiare, inquit, opinionem vulgi, & laudē
hominum favore quæsitam. Glossa in epi-
stola ad Romanos, capite ultimo, hanc ex
Ambrosio definitionem assert: *Gloria est*
clara cum laude notitia. Cui finitima est
illa Ciceronis libro secundo de inuentio-
ne; quamquæ maximè probat Augustinus
tractatu centessimo, & centessimo quin-
to in Ioannem, & in libro octoginta triū
quaestionum, questione trigessima prima.
Gloria est frequens de aliquo fama, cum
laude. Nec verò multum ab his diuersa est
illa

illa apud Aristotelem libro primo Rhetororum ad Teodecten, capite quinto. *Gloria est, cum quis probus à cunctis existimat, aut, id habere putatur, quod omnes, vel plures, vel probi, vel prudentes exceptunt.* Sed nulla (ut equidem opinor) preclarior est illa eiusdem Ciceronis in oratione pro Marco Marcello. *Gloria est illistris, & per vulgata multorum, & magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.* Aut in tertia Tusculana: *Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excelenti virtute.* Hæc si paulò copiosius explicauerimus, nihil erit sanè, quod ad integrum, exactāquę glorię cognitionem requiramus.

Primum itaque intelligendum est, gloriam opinionem contineri, sub eaque ac sub genere collocari. Nec enim fieri posset, ut glorioſus esset quisquam, nisi aliquam homines de ipso opinionem concepissent. Quarē, & Hieronymus opinionem esse dixit, & Aristoteles verbo existimādi usus est, quod propriè pertinet ad opinantes. Qua-

Arist. lib. I.
Rhet. a. 1
Teodect. c.
5.

Cicer. in
Orat. pro.
M. Marcello.

Cicer. 33
Tusc.

Gloria sub
opinione,
ut sub gene
re continer-
tur.

Liber primus,

tenus autem opinio est, iudicium quoque
sit necesse est, & ad intellectum, tanquam
ad subiectum referatur. Ideoque ita defini-
uit Augustinus libro quinto de ciuitate

Dei capite duodecimo. *Gloria est iudi-
cium hominum bene de hominibus opti-
nantium.* Sed concepta tantum in animis
hominum, ac pre*judicata* opinio gloriam
propriè efficere non potest, quæ constat
etiam notitia, & manifesta approbatione
multorum. Quemadmodum enim Ari-
stoteles octauo Ethicorum, capite secun-
do, necessarium esse confirmat ad amici-
tiam mutuam benevolentiam: sed eam sa-
tis esse negat, nisi fuerit ea benevolentia
non latens. Ita nos dicimus opinionem
perspicuam, & claram, non abstrusam, ne-
què reconditam esse debere. Atquè ideò
sanctus Hieronymus laudem cum opinione
coniunxit, quod satis per se illa non esset.
Ambrosius claram cum laude notitiam.
Cicero, quem sequutus est Augustinus, fre-
quētem cum laude famam postulauit, aut
famam illustrem, & pervagatam, aut con-
fidentem laudem, incorruptamquè vo-

cem necessariam iudicauit, quæ nisi mani festa, esse non possunt. Hoc etiam in ipso gloriæ nomine apparet, quod præ se splendorem quendam, ac lucem videtur ferre, adeò, ut apud Græcos, & apud nos, & claritas, glorificare, & clarificare, idem sint.

Vnoquè verbo apud Græcos nominetur, Aug. tract.
100. & 105.
in cap. 5. in
epist. ad Hebreos. ut autor est Augustinus tractatu centesimo, & centessimo quinto super Ioannē.

Gloria enim, inquit, sit quisque clarus, & claritate gloriosus, ac per hoc, quod utroq[ue] verbo significatur, id ipsum est. Et in libro contra sermonem Arrianorum capite trigesimo primo. *Glorificare autem, & honorificare, & clarificare, tria quidem verba, sed res una est.* Et in lib. cōtra sermon. Arrian. c. 38

Quale est illud Pauli secunda Corinthiorum tertio. Ita ut nō possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius. Idest, propter splendorem, & claritatem. Et Ioannis decimoseptimo. *Et nunc clarificame tu pater apud te met ipsum claritate, quam habui prius quam mundus fieret apud te.* Et ad Galatas primo. *Et in me clarificabant Deum.* 2. Cor. 3. 10. 17. Ad gal. 10. Quam ob rem sententiam Anni

Liber primus,

Anneus Se
neca Epist.
103. Senecæ non admodum probo, qui episto-
la centesima tertia, hoc interesse testatur
inter claritatem, & gloriam, quod gloria,
multorum iudicijs constat, claritas, hono-
rum. Claritatē quē esse laudem bono abo-
nis redditam. Merito illi Augustinū antepo-
nā, qui idem vtroq; nomine significari pu-
tat. Si igitur aliquis magnus, & preclarus
vir ita lateat, vt nullam sui ad alios notitiā
manare patiatur, erit ille quidē probus, glo-
riaq; dignus, gloriosus certē non erit. Quo-
fit vt eos, quos gloriosos credimus, nos qui-
dem illustres, claros, nobilesq; dicamus.

Sed hoc quoquē aliquis fortasse quæ-
rat, vtrum satis sit ad gloriam cognosci ab
alijs, eosquē non latere, an id etiam neces-
se sit, vt ipsum gloriosum minimē lateat.
Nam si amicitiae similitudinem, qua paulō
antē vsi sumus, teneamus. videmus nullā
esse amicitiam, si nota sit alijs mutua bene-
volentia duorum, alter verò eorum igno-
ret. Huc etiam, & illud pertinet, quod laus
ab absentibus, longequē distantibus, mini-
mē ad eos, qui laudantur putatur pertine-
re, vt est illud.

Quid

Quid tibi, si calida, pro fit, laudere Syene?
Aut ubi Taprobanem indica tingit aqua?
Non igitur gloria videtur ea, qua nos inscijs, & ignorantes afficimur. Respondeo sanè non esse id quidem dubium, quin glriosus sit is, qui ab alijs, boni, ac prudentis viri opinione celebratur, etiam si nihil minus ipse, aut curet, aut intelligat. Si enim gloria est frequens de aliquo fama cū laude, constat eum, cuius virtutes omniū sermonē prædicantur, gloriosum esse. Quod ipse se fiat, aut nesciat, nihil ad rem attinet. Si enim aliquis corpus inedia, & verberibus affligeret, omnes casus erecto animo ferret, totusquē in cœlo mente versaretur, idquē in abdito, & remoto loco, vnde vidererur quidem a multis, sed seipse maximè latere existinaret, quis hunc gloriosum appellare dubitaret? Quin etiam optimi quique veterum philosophorum, & ducum immortalis famæ studio præcipue trahebantur, quamuis an id sensuri essent mortui, nescirent, eamquē nouam, & uerā vitam putabant, quæ vigeret memoria sacerdorum omnium, quā posteritas aleret.

Glo-

Liber p̄timus,

Gloriam esse omnino intelligentes, quam
ipsi etiam non viderent. Recte ergo in-

Seneca epi stol. 80. quit Seneca epistola 80. *Quemadmodum*

umbra aliquando antecedit, aliquando se

quitur, vel à tergo est, ita gloria aliquādo

Gloria ali- quādo ante nos est, visendamq; se pr̄abet, aliquan- nos est, ali- quādo post nos sequit.

Quod autem obiectum est de amicitia, fa- cile reputari potest, est enim dispar ratio.

Amicitia, quid sit.

Nam amicitia est quædam coniunctio, & quasi colligatio animorum, quæ nulla est nisi cognitione iungātur, atque ideo equa biliter pendet ab utroque. Gloria verò to- ta in aliorum prædicatione posita est, qua- re eius, cui tribuitur, conscientiam nō re-

Arist. lib. 1. Arist. lib. 1. Ethic. c. 5. Quod Aristoteli quoque visum est

lib. 1. Ethicorum, cap. 5. affirmanti hono- rempotius esse in ijs, qui alios honoribus afficiunt, quam in ijs, qui afficiuntur. Non feret is quidē, qui ignorat fructū, aut utili- tatem gloriæ, quod illo versu significatū est.

Quid tibi, si calida, profit, laudere Syene?

Sed gloriam certe feret, quæ gloria sem- per est, nō modo cum iuuat nihil, sed etiā cum noceret maximè.

Clo-

CAP.

CAPVT. II.

Qua sit materia gloria, & quorum iudicijs constet.



ED Quoniam constituimus gloriam esse claram, ac minimè latentem opinionem, supereft, vt differamus quorum maximè, quibusque de rebus futura sit opinio.

Omninò multa sunt, quæ laudem, splendoremquè nobis apùd vulgus conciliant, sed sola virtus, quæ virum bonum facit, fundamētū est, & materia gloriæ. Loquor autem de virtutibus moralibus, & infussis, præsertimq; de illa omnium regina, & moderatrice charitate. Nam tametsi omnis virtus hominem in illo genere perfectum facit, vt ab Aristotele accepimus, libro secundo ethicorum capite sexto. Quæ in intellectu collocantur, vt ars, scientia, sapientia, non efficiunt nos omninò bonos, sed hoc est illarum proprium, quibus recte vivitur, quibus nemo male vivitur. Ut enim eleganssime docet sanctus Thomas pri-

Virtus &
fundamen-
tum, & ma-
teria gloriæ

Arist. lib. ii.
ethic. c. 6.

Liber primus;

S.Thom. 12.
q.56.art.3.

ma secundæ, quæstione quinquagesima-
sexta, articulo tertio, illa præbent faculta-
tem agendi, non usum. Ita ut artis Gram-
maticæ scientissimus malè loqui possit, &
Grammaticus sit. Hæ usum cum facilita-
te coniungunt, efficiuntquæ non tantum
ut possimus, verum ut rectè semper opere
mur. Non est igitur illud verum, si de vera
gloria intelligatur.

*Artibus ingenuis, quaæ sita est gloria mul-
tis.* Nā si cùm istis artibus, splendore virtu-
tis carebant, laudari potuerūt ab stultis, co-
rruptisq; iudicibus, gloriā, quæ soli virtuti
debetur, nō habuerunt. Hoc ipsum latissi-
mè confirmat Augustin. lib. 5. de ciuitate
Dei, cap. 12. nosquæ idē posteà faciemus.

Aug. lib. 5.
de ciuit. ca.
22.

Cicer. 3. Tuf-
eu.

Seneca Epif-
fola 80:

Propterè etiam gloria benefactorū co-
mes vocatur à Cicerone in tertia Tuscula-
na. A Seneca verò epistola octogesima,
vmbra virtutis, quod vt vmbra esse nō po-
test sine corpore, ita nec gloria sine virtute.
Iure itaque in definitione adiecit Mar-
cus Tullius, *Incorrupta vox bene iudican-
tium de excellenti virtute.*

Constat ergò hominem indoctum, ac
rusti-

rūsticānum glorioſiſſimum eſſe poſſe, ſi ſit omnibus virtutib⁹ ornatus. Qui autē virtute caruerit, quāuis optimis quibusq; disciplinis ſit imbutus, inglorium eſſe.

*Sine virtute
nemo glo-
riofus.*

Si autem iij veræ gloriæ expertes iudicantur, & ſunt, quid de illorum temeritate, ac furore dicemus, qui non tantum leuib⁹, & infructuosis artibus: ſed ſceleratis aliquando, & impijs ad gloriam ſe venire poſſe conſidunt? Sed hæc nunc quidē miſſa faciamus, & totam hanc diſputationem ſequenti libro reſeruemus. Cum autem quærimus quorum iudicium ſit neceſſarium ad gloriam, duo quæruntur, & quoſ futuri ſint, & quales. Et quidem Hieronymus, & Seneca authorem gloriæ multitudinem facere evidentur. Alter enim ait: *Gloriam eſſe opinionem vulgi:* Alter *iudicijs conſtare multorum.* Multi autē dicti ſunt, ut cūm vnum ē multis dicimus, aut cum ait Terentius.

Terentius.

Si quisquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis quam plurimis, & minimè multos ladere: multos à bonis ſeparauit, quem admodum, & Seneca. Sed omnino gloria omnis

Liber primus.

Gloria ab im-
dicio, & exis-
timatione
bonorum vi-
torum pen-
det.

Omnis ex bonorum virorum existimatio-
ne nascitur, caque augetur. Vulgus si qui-
dèm consentiat, iuuat, si dissentiat, parum,
aut nihil nocet. Idque optimè animaduer-
tit Marcus Tullius, cum dixit *eſe conſen-*
tientem laudem bonorum, incorruptam
Vulgi iudi-
cium variū,
& inconstā;
vocem bene iudicantium. Est enim vulgus
natura varium, ac multiplex, & ab ijs qui-
bus maximè homines commendantur,
alienum, ut vix illius vox incorrupta esse
possit, vix queat recte iudicare de virtuti-
bus. Quam obrēm Aristoteles secundo
Ethicorum capite sexto, mediocritatem
illam in qua sita est virtus, prudētis tantū,
(hoc est boni virt) iudicio definiuit, aperte
videlicet ostendens nullum esse iudicium
malorum. Et libro noueno, capite quarto,
ac libro decimo capite quinto. Videtur au-
tem (ut dictum est) virtus, & studiosus ip-
se unicuique esse mensura, hic enim sibi ip-
si consentaneus est, ac èadem affectat ani-
ma omni. Id etiam habemus prima Corin-
thiorum secundo. *Animalis autem homo*
non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, spi-
ritualis autem iudicat omnia, & ipse à ne-
mine.

Arist. Eth. 2.
Cap. 6.

Arist. lib. 9.
Eth. ca. 4, &
lib. 10. c. 5.

Cor. 2.

mine indicatur. Doctè ergo Gregorius, &
grauiter homilia nouena in Ezechiele:
Stultum & walde est, si illis placere querimus,
quos non placere domino scimus. Debent
enim haberi in metu, & reuerentia iudicia
iustorum, quia membra omnipotentis Dei
sunt, & hoc ipsi in terra reprehendunt,
quod dominus redarguit è cælo. Nam
peruersorum derogatio, vita nostra appro-
batio est.

Plerunq; vulgus ab sententia recedit
bonorum, vt enim est præclare apud Da-
uidem Psalmo centesimo quadragesimo
tertio, eos maximè gloriofos, atque
fœlices putat, quorum prōptuaria plena,
cruentia ex hoc in illud, quorum oves
fœtosæ abundates in egressibus suis, & boues
crassæ. Sed quid boni? *Beatus populus cui-*
ius dominus Deus eius. Archelaus perdiç
filius fortunatissimus habebatur, cumq; ex
Socrate quæsumus esset, an eum beatum
existimaret, respondit (vti bonum virum
decebat) nescire se, quod nunquam cum
eo locutus esset. Sed & Archelaum, & re-
gem magnum Persarum miseris esse, si
mali essent.

Mul-

Gregor. h.
mel. 9. in E-
zechiel.

Liber primus,

Prouer. 2.
Psal. 118.
Psal. 10. se-
cund. Hebr.
Eccles. 30.
Prouer. 1.
Esaicæ. 3.
Cicer. in 3.
Tuscul.
Actor. 14.
christost. ser-
mon. de ina-
nigloriæ cu-
pidit. tom. 5.

Multitudo lætatur sēpē, cum male fece-
rit, & exultat in rebus pēsimis. Boni vidēt
praevaricantes, & tabescunt. Illa laudat
peccatorem in desiderijs animæ suæ, & ini-
quum benedicit. Hi clamant semper: Mi-
serere animæ tuae placens Deo. Si te lacta-
uerint peccatores, nē ac quiescas eis, qui
enim te beatum dicunt, ipsi te decipsunt.

Egregiè quoquè Cicero cum veram glo-
riā definisset in tertia Tusculana, addidit:
Illa autem, quæ se eius imitatrix ē esse vult,
temeraria, atq; in considerata, & plerumq;
peccatorum, vitiorumquæ laudrtrix fama
popularis, simulatione honestatis formam
eius, pulchritudinemq; corrumpit.

Præterea, quām sit inconstans, temera-
riumq; vulgus, Actorum decimo quarto
videmus. Lystrienses Paulum, & Barnabā
diuinis honoribus afficere volebant, simul
quē àc ardor ille animi deferbuit, illum ip-
sum Paulum, quem Mercurium interpre-
tem deorum vocabant, multa lapidum vi-
ciuitate exigunt, nec prius abscedunt, quā
cum mortuū putent. Vnde in sermone de
inanis gloriæ cupiditate Christostomus:

*Mox, ait, intelligas velim, corruptum esse
vulgi iudicium, infirmamq; sententiam,
flaccescere què statim, & labare solere. Ea
est igitur iucunda, ac vera laus, quæ ab his
proficiuntur, qui ipsi in laude vixerunt. Sci-
tumquè est illud Hectoris apud Nævium,
*Latus sū laudari me abs te, pater, laudato
viro.* Iureq; ab Aristotele, libro primo mag-
norum moralium, capite vigesimo sexto,
dictum est: *Magnanimum cupere hono-
rem quidem, non tamen à multis, sed à bo-
nis, qui recte eum, ut periti iudices, hono-
rabunt.* Omnes autem honore augeri velle
ab ijs, qui se maximè nouerint. Sed quo-
niām non est ita cæcata, & depravata mul-
titudo, ut verum aliquando videre nō pos-
sit, si ea probauerit, quæ laudant boni, non
crit eius iudicium fugiendum, aut repudiā-
dum. Si verò in aliam partem declinaue-
rit, bonorum testimonij contenti, aut ei
quasi rudi, & ignaræ ignoroscemus, aut libē-
ter eandem, si pergit, contēnemus. Recte
enim illud Persij.*

Laus vera ex
bonorum iu-
dicijs depen-
det.

Ari. i. magn.
mer. cap. 26.

*Non si quid turbida Roma eleuet, ac-
cedas, examen vè improbum in illa castiges
trutina.*

Persius, sat.
Aristo

Aristoteles etiam eleganter in primo Ethicorum ad Eudemum. *Vulgi*, inquit, de rebus fere omnibus pronuntiantis omittenda sententia est. Absurdum quippe, ratione cum ijs contendere, qui non rationem, sed multam mercantur.

Vt verò Hieronymo ac Senecæ satisficiamus, qui paulò aliter sensisse videbātur, intelligendum est, gloriam duplicitè dici, vt, & in laude, & in virtute nomen hoc sit, vt eo ipso in loco Hieronymus docet.

Quod dominus Ioannis quinto, facile indicat dicens. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab iniicem accipitis, & gloriam, qua à solo Deo est, non quaritis? Et capite duo decimò. *Dilexerunt magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.*

Ità enim gloriosus in tranquile partem valet. Gloriosus enim eos dicimus, qui veræ virtutis ornamentis decorantur. Vt Ecclesiastici

quadragessimo quarto. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* Et illos etiā, qui obscuri cum sint, magni, & præclarí, verèquè gloriæ participes videri volunt. Vt proverbiorum, capi

Glorie nō
men aliquā
do in laudē
aliquādo in
vitium usur
patur.

Ioan. 5.

Ioanna c. 12.

Ecclesiasti.
cap. 44.

Prouer. 12

olim A

te

te duodecimo. *Melior est pauper, & sufficiens sibi, quam gloriosus, & indigens pane.*

Hieronymi autem, Senecaque verba,
& si per se ad veram gloriam accommodari poterant, tamen ad falsam magis pertinent. Nam quam nos gloriam dicimus, Seneca claritatem nominavit, eamque ut nos, iudicio bonorum definiuit.

B Hieronymus satis ipse, quid vellet indicauit, ita enim ait. *Opinione vulgi, & laudem hominum fauore quasitam gloria nomen sonat, ubi dicitur, omnia autem faciunt, ut ab hominibus glorificantur. Quāuis gloriæ quidem nomen multò frequenter, & usitatiūs, ad veram refertur. Altera enim, quae falsa, & inanis dici solet, propriè recta opinio, quam catholici habent, vocatur, eiusquè amatores illi, qui rectam habent opinionem. Quibus nominibus vtitur Apostolus ad Galatas quinto. Non efficiamur inanis gloria cupidi, inuicē provocantes, inuicem inuidentes. Et ad Philipenses secundo. Nihil per contentionem, ne què per inanem gloriam.* Ad Gal. 5.
Ad Phil. 3.

C CAP.

CAPVT. III.

*An gloria pendeat ex iudicijs
multorum?*

Abemus iam in bonorum sententijs, sitā esse gloriam, sed postremō de numero quærē dum est. A multis ne pēdeat, an a paucis? Et multos quidē testes ad gloriam postulari, illud in primis confirmat, quod splendor ille, atquē illa claritas, quam in gloria esse diximus, sinē multorum notitia, & approbatione non existit. Et nomine ipso magis abuti vide-
mur, cum eum gloriosum appellamus, qui notus est paucis. Nám quem alium dicamus obscurum, si iste clarus est? Contrā etiā vrget; ac premit illud Iuuenalis, quod haud poterit facillime refelli.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot Thebarum portae, vel diuitis Oſſia Nili. Et illud Virgilianum, nescio an verbi certe durius.

Vir bonus, & sapiens qualem vix repere rit unum millibus e multis hominum consulens Apollo.

No:

Virg.

Notum est etiā illud Diogenis , qui per contanti, in qua parte Greciæ vidisset bonos viros? *Viros*, ait, *nusquam, sed Lacede-mone vidipueros.* Idemquè luce faculam aliquando incēsam gerens, atq; hūc, & il-lūc in foro obambulans, hominē se quæ-rere dicebat. Qui igitur fieri potest, vt glo-riosus quisquam sit, si sīnē multorum bo-norum sententijs nulla est gloria?

Diog. Laer-tius in vita Diogen. Ci-nici.

Verum ergo ita statuo, multorum ho-minum, corumq; (vt dixi) bonorum testi-monijs gloriā constare. Sed multi (vt est ab Aristotele acutē explicatū in libro Ca-thegoriarum, capite sexto) sīnē compara-tione non dicuntur: est enim hoc quidem nomen ex eorum genere, quæ ad aliud re-feruntur: *In vico enim, inquit, multos homi-nes esse dicimus: Athenis verò paucos, cum sint illis multò plures, & in domo quidē mul-tos, in theatro verò paucos, cum sint plu-res.* Ita nos multos modo appellamus, aut omnes bonos , qui in aliquo loco sunt, aut maximam partem eorum , hæc enim cum altera composita, atq; colloca-ta meritò nomen multitudinis habebit.

Conclus.

Arist. in Ca-thegor. c. 6:

Que

Genes. c. 6.

7. & 8.

Genes. c. 9.

10.

Genes. c. 11.

12.

Genes. c. 13.

14.

Genes. c. 15.

16.

Genes. c. 17.

18.

Genes. c. 19.

Genes. cap.

18. & 19.

Quemadmodum tempore illius maximè eluisionis, quo octo tantum iusti reperti sunt, ille profectò gloriosus esset, qui à Noe cum quatuor, aut quinquè ex suis, bonus iudicaretur, iisque multi essent, quoniā maxima pars bonorum erant. In illis etiam ciuitatibus, quæ cœlesti incendio consumptæ sunt, in quibus què decem iusti non potuerent reperiri, non dubitatim è quidem Loth gloriosum dicere, si eius virtus, & integritas quinq; iustorum testimonio approbaretur. Hi Romæ non satis essent, nē Toleti quidem.

Habeatur itaque loci, atque hominum ratio, & in cuius laudibus maior pars bonorum consenserit, illum clarum, & gloriosum existimemus. Gloriosior erit is, quidem certè, qui in populo, quam qui in magna domo laudatur, atque hunc gloria anteibit, qui in multis ciuitatibus, qui in tota prouincia, qui in longè, latèq; distantibus prouincijs bonorum prædicatione celebratur. Nam gloria, ut è bonorum laude nascitur, ita quò plures ij fuerint, magis, ac magis augetur. Hæc autem, qua-

dixi-

diximus, ipsa gloriæ definitione compribantur. Est enim gloria, frequens de aliquo fama cum laude: fama vero à Iuris cōfultis, qui de hac recopiosius alijs disseruerunt, non certo hominum numero definiatur, nec eorum opinio recipitur, qui decē viginti vē, dicta famam efficere dixerunt. Sed considerata, aut vice, aut populi, aut prouinciae magnitudine, quod maioris partis voce confirmatur, id famē nomen habere voluerunt. Ita docet Bartolus in lege de minore, §. plurimum. ff. de questionibus. Et Abbas Panormitanus in capite super eo, de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ: etiam acclamationem maioris partis viciniæ famam vocat. Sed quemadmodum in iudicijs duorum, aut trium hominum testimonium minimè repudiatur, ut sanctum est in lege ubi numerus. ff. de testibus. Et in Decretalibus Gregorij, codem titulo, capite in omni negotio. Quoniam ut legimus Deuteronomio decimo nono (quod & à Christo Matthi decimo octavo probatur) In ore duorum, vel trium testimoniū stat omne verbum:

Gloria defini-

tio.

Fama quid sit, & in quo consistat.

.8.1101

Bart. in l. de
minore, §.
plurimum.
ff. de que-
stionibus.

Abbas Pa-
norm. in ca-
super eo, de
eo qui cog-
nouit consan-
guineam u-
xorim suam.

Bart. in l. r-
bi numerus.
de testibus.
Et in Decre-
talibus Gre-
gor. c. in om-
ni nego-
tit.

Deut. 19.
Matth. 12.

II Liber primus, D

itā fieri potest aliquando, vt duorum laudatio gloriam etiam efficiat. Tanta enim in esse potest in duobus authoritas, tanta virtutis opinio, tanta sapientia, vt meritò esse debeant instar plurimorum. Quemadmodum Christus Ioannis octauo: Gloriam quam sibi ipse tribuebat, veram esse confirmat sic. In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater.

Quin etiam tam mira, & incredibilis esse potest ynius dignitas, vt eius testimonium locupletissimum sit ad gloriam. Quis enim inficiabitur Christum cō tempore, quo vox audita est de cœlo: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Gloriosissimum extitisse, etiam si nihil de eo magnum homines existimarent. Aut quid aliud docet Petrus in secunda epistola cum ait. *Accipiens enim à Deo patre honorem, & gloriam, voce de lapsa ad eum huiuscmodi à magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi*

Ioan. 8.

Math. 3.

Ioan. 1.

1. Petr. 1.

michi complacui, ipsum audite. Ego, & Iob. i.
 illud Ioannis testimonium satis fuisse exi-
 stimo ad gloriam. Ipse est, qui post me ven-
 turus est, qui ante me factus est, cuius ego
 non sum dignus, ut soluam eius corrigiam
 calceam eti. Nisi forte inglorius esse videa-
 tur ille, de quo ait dominus. Nunquid co-
 siderasti seruum meum Iob, quod non sit ei
 similis in terra, homo simplex, ac rectus, &
Iob. i.
 timens Deum, & recedens a malo? Aut ille
 de quo Christus Ioannis primo testifica-
 tur. Ecce vere Israelita, in quo dolus non
 est. Quis etiam ab omnibus bonis plenissi-
 mo ore laudatus aequare possit illam Pau-
 li nondum baptizati gloriam? Vade quo-
 niam vas electionis est mihi iste, ut portet
 nomen meum coram gentibus, & Regibus,
 & filiis Israel. Atque ita omnium animis
 persuasum est, qui quidem sunt bene a na-
 tura instituti, ut commendari ab optimo,
 & sapientissimo viro malint, quam ab uni-
 uersa multitudine. Ita enim memorie pro-
 ditum est: Antimachum poëtam cum egre-
 gium poëma a se compositum multis le-
 geret, omnesque paulatim præter Plato-
Ioan. x.
Actor. 9.

nem discederent, legisse etiam cætera
a quissimo animo, quod sibi vnum Plato-
nem satis pro omnibus esse dixisset. Quo
sit, ut ijdem præclara facinora suscipiant,
aut à turpibus sæpè declinent, né ab uno
gloria præcellente contemnantur. Vta-
pud Homerum, Diomedes.

Homerus in
Iliad. lib. 8.

Recte equidem dicas Nelide, sed mea
magnus

Turbat corda dolor, vexatque infamia,
namqz

Sic aliquando inter Troas iactabitur
Hector.

Tyrides metuens, à me est in castra fu-
gatus

Dicit ita insultans, scd tunc mihi terra
debiscat. Et Hector.

Secum magnanimo mœrens sic pectore
fatur.

He mihi, si muris metuens, portisque
subibo.

Na mihi Polydamas faciet conuitia
primus.

Addo etiam vnius hominis præstantis-
simi, & incorrupti de se ipso testificatione

per



per multūm sēpē ad gloriam valere, cum ante oculos exponitur aliorum, qualis est illa Moysis numerorū duodecimo. *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Et prima Corinthiorum decimo quinto. *Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundans illis omnibus laboravi.* Et quamuis illos afflatu Spiritus Sancti loqui scimus, tamen, si id obscurum esset, fides iure habetur excellentibus hominibus, & omni virtute florentibus. Quemadmodum cum Clemens ad Iacobum fratrem domini, Pontificiæ sedis dignitatem à Petro sibi delatam fuisse testatur, seq; ab eo præter ceteros summi opere laudatū, quem (inquit) Petrus præ ceteris expertus sum Deum colentē, homines diligentem, castum, discēdi studijs deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, & scientem ferre nonnullorum (etiam ex ijs, qui in verbo Dei instituuntur) iniurias.

numer. 12.

Clemēs episcopa 1. ad Jacobum.

Vt autem illam de bonorum viorum paucitate difficultatem diluamus. Aio equidem non me id ad viuum rese-



xi . . . Liber primus,

care, ut Stoici faciebant, qui negabant quē
quam virum bonum esse, nisi sapientem,
& eam (ut Cicero inquit) sapientiam inter-
pretabātur quam nemo adhuc ferē mor-
talis cōsequutus est. Non ergo tantūm bo-
num appellabo Petrum, aut Paulum, aut
huiusmodi alios, qui diuina quadam virtu-
te præstiterunt, sed eos etiā, qui legē Dei
(optimam rectē viuendi ducē) sequuntur,
quorum laudatur fides, & integritas, &
equitas. Atq; vt pauci tales fuerint inter
ethnicos, inter eos, certè, qui verum Deū
colunt, & existunt nūc multi in vsu, vitaq;
communi, & omnibus sacerdatis extiterunt.
3. Reg. 19. Quemadmodum tertio libro regum, cū
vix aliquem esse in Hebræis Elias putaret,
qui iustus esset, clamaretquē: *Derelique-
runt pactum tuum filij Israel, altaria tua
destruxerunt, & prophetas tuos occiderūt
gladio, & derelictus sum ego solus.* Respō-
dit ei dominus. *Derelinquam* (Siue ut Pau-
lus legit) reliqui mihi 7. millia virorum,
quorum genua nō sunt curuata ante Baal.
Ita etiam postea, quāvis, dedit Deus Iudeis
spiritum compunctionis, oculos ut non

Ad Rom. II.

videant, & aures vt non audiant, tamen reliquiae (vti Paulus scribit) secundum electionem gratia facta sunt. De quibus ab Esaia capite primo prædictum erat: *Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semē,* Ad Rom. 11
quasi Sodomam fuissimus, & quasi Gomorrah similes essemus. Et post aliquot annos, plurimos fuisse Romæ probos, & honestos viros Paulus ad Romanos testatur, cū ait, *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo,* Ad Rem. 2
& capite decimoquinto. Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repletio omnisciencia. Ad eundem fermè modū laudat Corinthios, Ephesios, Philippenses, & alios. Nostra, etiam, ætate quamuis multum quidē abundat iniquitas, & refrigescit charitas, multos tamen esse ubique animaduertimus, quos vel admiramus, vel certè iure laudamus. Ità enim Deus admirabili sua prouidentia res hominum gubernat, vt aliqui cum cadunt, alij quasi in eorum locum erigantur: vt auctor est diuus Thomas, i. p. quæst. 23. arti. 6. & Greg. lib. 25. moralium, cap. 9. quod est Iob, cap. 8. The. 1. p. q. 23. art. 6. Gregor. 25. moral. c. 9. Iob. c. 34.

34. confirmat: Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Igitur si, quæ hactenus dicta sunt, comprehendere, & gloriā exactè definire volumus, eam esse dicemus manifestum, expressumque iudiciū bonorum, de alicuius virtutibus,

C A P V T . III.

De quibusdam gloriae affinibus.



VNT AUTEM QUEDĀ GLORIÆ AFFINIA, & QUASI COGNATA, VT FAMA, LAUS, HONOS, NOMEN, DIGNITAS. QUAE SUNT NOBIS NECESSARIÒ EXPLICANDA, & QUÒD EIS PERSÆPÈ UTENDUM EST, & NĒ RERUM IPSARŪ SIMILITUDINE FALLAMUR. FAMA PLURIMÙM À GLORIA DIFFERT, EST ENIM PROPRIÈ COMMUNIS SERMO POPULI SINÈ CERTO AUCTORE PERUAGATUS. AUT (BARTOLO AUCTORE, IN LEGE DE MINORE, ff. DE QUESTIONIBUS) EST COMMUNIS OPINIO VOCE MANIFESTA, EX SUSPICIONE PROUENIES. CUM AUTEM EX CONIECTURIS, AC SUSPICIONE POPULI ORIATUR, VT VERA, & FALSE ESSE POSSIT, NECESSE EST. IDEOQ; À SUMMO POËTA DICTA EST,

Fama quid sit, & eius definitio.

Bart. in l. de minore. ff. de questionib.

Virg. Aenei.

Tam

Tam facti, prauig, tenax, quam nuntia
veri.

Et rursus: Dicitur ergo laudandum,

Ibidem.

Et pariter facta, atq; infecta canebat.

Est etiam in utramque partem perae-
què valens, nam & bonam famam dici-
mus, & malam: & famosus plerumque di-
citur, qui scelere notus, & insignis est: ut
illud:

Non possum audire, nam me ad famosas ve-
tuit mater accedere.

Latius itaque manat quam gloria. Quæ
admodum & laus, immo ex fama bona, hoc
est ex fama cum laude nascitur gloria. Lau-
dantur res ad vitam, & ad honestatem ne-
cessariæ, ut cibi, vestes, domus, opes, artes,
disciplinæ, virtutes: Gloria vero bonos vi-
ros prosequimur.

Laus.

Honorem Aristoteles libro primo Ethici
corum, capite duodecimo, aliquid laude
prestabilius, ac diuinius esse arbitratur. Na
virtutes, & omnino ea, quæ ad aliud refe-
runtur laudibus, felicitatem ipsam, &
Deum honoribus afficere solemus. Sed
hanc, in distinguendis verbis, subtilitate,

Honor.
Arist. t. Eth.
cap. 12.

&

Liber primus.

& morositatem auctores nostri' minime
obseruarunt, apud quos passim occurrit,
Deum esse laudandum, quod Aristoteles
ridiculum putauit. Honore quoque Deo,
& rebus aliquando minoribus tribuunt:

Ecclesiastici septimo: *Honora Deum ex tota anima tua,* & *honorifica sacerdotes,* &
capite trigessimo octauo: Honora medium propter necessitatem. Neq; verò ipse

Arist. lib. 4.
Ethicor. c. 3.
&c. 4.
Aristoteles seruauit nam lib. 4. Ethicoru,
cap 3. & 4. duas virtutes versari dicit in app-
petendis honoribus, magnanimitatem, &
modestiam. Et lib. 1. mag. moral. cap. 2. vir-

norum met- ralium. c. 2.
Ad Nicom.
lib. 9. cap. 2.
Et lib. 9. ad Nicomachum, cap. 2. docet, ho-
norem, parentibus esse tribuendum, sapiē-

tibus, Imperatoribus, senioribus. Addit &
in quinto de legibus Plato, & animo, &
corpori, longe melius, aut ad communē
certe vsum accommodatiū, lib. 1. retho-
ricorum ad Theodecten, cap. 15. vbi de ho-

Honoris de finito.
Honor autem, est existi-
mationis beneficia iudicium. Honoran-
tur ergo maximē, qui beneficia contule-
runt, deinde qui conferre queant. Quam-

uis.

uis hoc loco nimium (vt mihi videtur) popularem honoris definitionem affert. Vix enim quemquam vulgus honore dignum existimat, nisi qui beneficium dederit, aut dare possit. *Quamobrem largis maximè, ac liberalibus, quamuis non admodum boni sint, honores deferuntur.* Contrà verò faciendum esse Aristoteles ipse confitetur lib. 4. Ethicorum, cap. 3. vbi de hac re non oratoriè, sed philosophicè locutus est. *Honorem esse (inquit) præmiū virtutis, ac bonis hominibus tribui.* Rectè igitur Cicero in Bruto. *Honos est præmiū virtutis, iudicio, studioq; ciuium delatum ad aliquem, qui cum sententijs, qui sufragijs adeptus est, is mihi, & honestus, & honoratus videtur.* Pulchre què ad Plancum libro decimo Epistolarum scribit. *Eum honorem videri solere, qui non propter spem futuri beneficij, (vt Aristoteles dicere videbatur) sed propter magna merita claris viris desertur, & datur, eſe q; non in uitamentum ad tempus, sed perpetua virtutis præmium.* Sed aperte sanctus Thomas secunda secundæ quæſtione centessima

Arist. 4. Ethicorum ca. 3.

Cicero in
Bruto.
Honos pre-
mium virtu-
tis.

Cicero ad
Planchum,
10. Epist.

S. Thom.: 2. 2
q. 103. art. 1.
& 2.

Liber primus.

tertia, articulo primo, & secundo. *Honor*,
est (inquit) *testificatio excellentiae alicuius*.
Quamuis enim honos comes debet esse
virtutis, probique, maximè omnium ho-
norentur : tamen ijs etiam præstari solet,
& debet, quos Deus in alijs excellere no-
luit: vt optimatibus, magistratibus, Regi-
bus, sacerdotibus, Episcopis. Quæ omnia

Arist.4. Ethic.
cap.3.

Aristoteles quarto Ethicorum, capite ter-
tio confirmat, ait enim, *Solum virum bo-*
num esse re vera honorabilem. Sed nobiles,
(inquit) *& diuites, & in potestatibus con-*
stituti honore digni habentur, in excellen-
tia enim quadam sunt, omne autem quod
bono aliquo excellit est honorabilius. Neq;
ab hoc abhorret, quod multos in sacris lit-
teris augere honoribus iubemur, vt Exodi
vigessimo, *Honora patrem tuum, & matrē*
tuam. Et Ecclesiastici septimo, honorifica
sacerdotes. Et Leuitici decimo nono, co-
ram cano capite consurge, & honora perso-
nam senis. Et prima Timothei, capite tex-
to, quicumq; sunt sub iugo serui dominos
suos omni honore dignos arbitrentur. Co-
luntur enim ij, vt tales sunt, non ob virtu-
tem

Exod.20.

Exod.20. 31
Exod.20. 31
Exod.20. 31
Exod.20. 31

Eccles.7.

Eccles.7. 1
Eccles.7. 1
Eccles.7. 1
Eccles.7. 1

Leuit.19.

Leuit.19. 1
Leuit.19. 1
Leuit.19. 1
Leuit.19. 1

1. Timot.6.

1. Timot.6. 1
1. Timot.6. 1
1. Timot.6. 1
1. Timot.6. 1

1. Timot.6. 1

tem suam, qua s̄pē quidem carent, sed ob
quandam Dei virtutem quam in se gerūt,
& habent. Quod eruditè animaduertit san-
ctus Thomas secunda secundæ quæstione
sexagesima tertia, articulo tertio dicens:
*Paretes quia sunt nobis veluti dij quidam
domestici, & secundum Deum nostra vita
auctores fuerunt. Sacerdotes, quia Deo di-
cati, & sacro eius oleo unctioni sunt. Principes
& magistratus omnis generis, quoniam (ut
ait Apostolus) non est potestas nisi à Deo,
qua autem sunt à Deo, ordinatè sunt. Diui-
ties vero nō diuitiarum causa veneramur,
sed quia principem locum habent in repu-
blica: Senes quia prudentiam, cetera s̄q; vir-
tutes præse ferunt. Quibus si carere intelli-
gantur, honorandi valde non sunt. Abest
enim illud, quod solum honore dignum iudi-
cabamus.*

Ex quo intelligi debet, non tam eos
omnes, quos dixi quam Deum ipsum, quē
nobis representat, honoribns ornari, tum
illam excellentiam, quam honoratione
testificamur, in virtute potissimum collo-

S.Thom. 21.
q. 63. art. 3.

Ad Rom. 13

E cari.

Liber primus,

cari. Quem àdmodum de perfecto homine dictum est, Psalmo decimoquarto. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat.* Et Psalmo centessimotrigessimo octauo. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Ex his abunde perspicuum esse existimo honorem non esse iudicium dignitatis alterius, quod dictum est de gloria: sed reuerentiam quandam externam, & cultum ei adhibitum, quem virtute, aut præstantia præditum arbitramur. Explanat hoc optimè Aristoteles loco iam indicato ad Theodectē. *Honoris (inquit) partes sunt, sacra, memorationes, decantationes carminum, aut soluta orationis ad laudem recitatio, præmia, delubra, vel primi confessus, sepulchra, imagines, publici victus, ad hac etiam barbara, ut inclinari, loco cedere, munera quoquè, sed alia apud alios honoratiora.* Et Xenophon Socratus in eo, qui Hieren siue Tyranus inscribitur. *Etenim cum homines sic affecti sunt, ut existiment*

Psal. 14.

Psal. 138.

Arist. i. Rhetor. ad Theoden. c. 15

Xenophon
in Tyrano.

ment virum idoneum, qui possit bene facere, rati scilicet illius frui posse bonis, poste à huc in ore habent, vobientes laudibus, eumque spectant, non aliter quam si suum quisque bonum intueretur, ac sponte decedunt de via, sponte assurgunt amantes, non metuentes, coronantq; ob virtutē, & benefacta erga rem publicā, muneribusq; honorare cupiunt. Hi demum mihi videntur eum & honorare verè quicunq; talia præstant officia, & qui his se dignū reddidit, revera videtur honorari, quare cum Enēas polli- virg. i. A-
neid.

Multa tibi antè aras, nostra, cadet hostia, dextra.

Elegantè respondit Venus.

Haud equidem tali me dignor honore.

Quod si quis hæc cum Platonis sententia minime congruere existimat, qui in quinto de legibus, honorem esse ait, meliora sequi, & ex peioribus, quæcunq; meliora fieri possunt, ad melius quā optimē reducere, is ita habeat, fontem modò veri honoris indicatum esse à Platone, quibus quæ maximè rebus, ac officijs animos nostros,

Plato in 5o-
de legib.

Liber primus,

eros honoremus, quos secundum Deos summo in honore habendos putat, Constat ergo ea, de quibus hactenus verba fecimus, diuersa esse, eorumque omnium fundamentum esse virtutem. Etenim cum aliquem bonum, & honestum hominem putamus, laudibus cum prosequimur, quae, si vagari latius incipient, & a multitudine prædicari coniecturis tantum ducta, neque certam, & exploratam opinionem sequente, fama, si a bonis viris, vereque, & prudenter iudicantibus, gloria ex vestigio nascitur. Sed illum cuius iam notas, perspectasque virtutes habemus, cum alijs anteponimus, cum Ecclesiæ, aut reipublicæ præficiendum curamus, cum omnibus modis colimus, tum enim propriæ, & vere honoramus.

Sed & haec laudatio pars est honoris, ut Aristoteles, Xenophōnq; docuerunt. Si enim verbis, aut scriptis fit, laus dicitur, si rebus, honos nominatur. Similiter gloria, & honos alterne sunt quodammodo sui causæ, sibiq; mutuo adiumento sunt. Nam homini gloria præstanti honos ab omnibus maxime

mē habetur, & eum quem cæteri honorificè appellant, atquè tractant, probum, & gloria dignum valdè dicimus,

Nomen eamdem sæpè vim videtur habere cum fama, idque non solum apud Latinos, & Græcos, sed etiam apud Hebreos: ita enim dictum est Ecclesiastici, 41. *Curram habe de bono nomine.* Ac si de bona fama diceretur, & Genesis, 11. *Et celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in uniuersas terras.* Cùm & Genesis, 6. vbi nos habemus *isti sunt potentes à seculo viri famosi:* Hebraei legunt *viri nominis.* Quod, 70. interpretes, *homines nominati:* Reddiderunt. In bonum etiam, & in malum apud omnes valet, frustrà enim dictum esset *de bono nomine*, si malum esse nō posset. Vndè prouerbior. 10. *legimus: Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrefacet.* Et apud Ciceronem in 2. de officijs: *At eius filij nec vivi probabantur à bonis, & mortui obtinent nomen iure cassorum.*

Dignitas (ut præclare inquit Cicero libro, 2. de inuentione, quem sequutus est Augist.

Ecclesiast.
41.

Genes. 11.

Genel. 6.

Prouer. 10.

Cicer. in 2.
de officijs.

Cicer. 2. de
inuent.

Liber primus;

Aug.lib.83.
quæst.q.31.

August.lib.83.quæst.q.31.) est alicuius honesta,& cultu,& honore,& verecūdia digna auctoritas. Verū enim quāuis hæc omnia ita ut diximus intersint, tamen ipsa rerum similitudo,& propinquitas efficit, ut altero sæpiissimè pro altero utamur: nec pro studio glorie, studium famæ, laudis, honoris, dignitatis dicere vereamur. Sed sciētiām hīc, ut in alijs multis, nobis reseruerimus, vsum populo relinquamus.

C A P V T . V .

De gloria an sit bonum?



VONIAM exposita definitione gloriæ, quid ea esset aperuimus, & futuram disputacionem quasi adūbrauimus, per gamus porrò, & ad reliqua veniamus, pri- mūmquè qualis gloria sit explicemus. Ete nim non est extra controuersiam, utrum in bonis numeranda sit? an ad ea potius spe ctet, quæ inter bona, & mala interiecta sunt, & media vocantur?

Atquè ex bonis quidem non esse, ap- pro-

probari ex Aristotele videtur, qui libro, i.
Ethicorum ad Eudemum docet in tribus
maxime rebus consistere bonam, beatam
quæ vitam. In ijs nempè, quæ potissimum
expetuntur, in prudentia, in virtute, in vo-
luptate. At quæ sciuncta est ab his omnibus
gloria, non ergò pertinet ad vitam beatā.
Ex quo nè bonum quidem esse confici-
tur, nihil enim boni speciem præferre po-
test, quod aut beatitudo non sit, aut ad bea-
titudinem non referatur.

Ad hæc omne bonum natura sua pro-
dest habenti, eoq; à malo secernitur, quod
malum, & si aliquando utile esse videatur,
obest tamen semper. At gloria nihil sæpe
emolumenti, ut cum is ignorat cui gloria
tribuitur, interdum multum detrimen-
ti affert, non est ergò cur numeretur in
bonis.

Deinde, quidquid est boni, in eo potis-
simum inest cui tribuitur, & datur, quem
admodum prudentia in eo est, quem pru-
dētem vocamus, virtutes in probis, in eru-
ditis disciplinæ : adeò ut iustitia quam
Aristoteles, 5. Ethicorum cap. 6. bonum

1. Arg.
Arist. lib. i.
Ethic . ad
Eudemum.

2. Arg.
Ie . . filia
.
.
.
.
.
.

3. Arg.
.
.
.

Arist. 5. Ethic
cor. c. 6.

Liber primus,

alienum vocat, in isto tamen hominē cō-
hæreat. Sed gloria potius est in laudante
quām in eo, qui laudatur, vti de honore af-
firmat Aristoteles lib. I. Ethicorum cap.5.
Non igitur habenda est in bonis. Verū
quamuis argumenta contra pugnare vi-
deantur, inficiari nō possumus, bonum es-
se quoddam gloriam, atque laudē, atque
hoc quidē Aristoteli, Peripateticisq; omni-
bus facilē probatur: Aiunt enim fœlicitatē
esse cumulum omnium bonorum, ac in-
ter eius partes gloriam honoresquē nume-
rant. Vt videmus in lib. I. ad Theodecten
cap.5. & I. ad Nicomachum cap.8. At in
eodem libro ad Theodecten cap.6. memi-
nit quorundam, quæ omnes bona esse cō-
fitentur, cuiusmodi esse docet honorem,
& gloriam.

Sed nequē Socratici hoc ipsum nega-
bunt. Nam & Plato lib.5. de legibus, hono-
rem, diuinum bonum vocat. Et Xenophō
in Tyranno, præclaram quādam rem sibi
videri honorem dicit, eiusquē cupiditate
homines à brutis animantibus interesse.
Quos sequutus est plurimis in locis Mar-
cus

Arist. I. Ethic
cor c.5.
Gloria, bo-
num quodā
est.

Arist. I. ad
Theodect.
c.5.
Et I. ad Xi-
com. c.8.
Et I. ad Theo-
dect. c.6.

Plato. in 5.
de legibus:

Xenophon
in Tyranno.

cus Tullius. Imò etiam nonnulli ex Stoicis
rigidi homines, & seueri, à quibusquè id
difficilius impetrari posse videbatur, aper-
tè idem sentiunt, vt apud Anneum Sene-
cam in epistola, 103. videmus. Neq; id qui-
dem temerè, aut inconsultò tantis viris vi-
sum est. Antiquior est enim, præstantiorq;
pecunijs, & possessionibus gloria, vt nos-
træ literæ docent prouerbiorum, 22. Me-
lius est bonum nomen quam diuitię mul-
tæ. Et ecclesiastici, 41. curam habe de bo-
no nomine. Hoc enim magis permanebit
tibi, quam mille Thesauri preciosi, & mag-
ni. Diuitias autem bonas esse præter alios
docet Aristoteles, 1. ethicorum cap. 8. & 9.
& lib. 5. cap. 2. Necesse est igitur, vt bonam
gloriam esse fateamur.

Quòd si gloria est consentiens laus bo-
norum, incorrupta vox bene iudicatiūm
de excellenti virtute, & honestissimum est
bene de bonis iudicare, eorumq; virtutes
summa consensione prædicare, qui possu-
mus insiciari præclarām quādam rem esse
gloriam. Prætereā nemō vt ante diximus
difficitur gloriam, & honorem præmium

Anned Se-
necam epis-
tola 103.

Prob. 22.
Eccles. 41.

Arist. 1. Ethic
cor. c. 8. & 9.
Et lib. 5. c. 1.

Liber primus,

Arist.4:Ethi
cor.c.3.

esse virtutis, & quidem omnium maximum, quæ conferre homines valent, vt ait Aristoteles,4. ethicorum cap.3. Cùm autem virtus sit omnium bonorum prætantissimum, ac origo totius honestatis, quid esset iniquius, aut execrabilius, quàm eam gloria, id est re, aut inhonesta, aut nō certè bona, remunerare? Verùm omnes approbationes facilè hæc vna superat, & vincit, quòd in diuinis libris gloria, vt prætans, & egregia laudatur. Vt dudum ex Salomonis libris ostendimus: quibus locis, & ille ex ecclesiastico, 7. adiungi potest. Melius est bonum nomen, quàm unguentapretiosa. Sed hæc ijs, quæ in consequenti bus capitibus dicturi sumus, copiosissimè comprobabuntur: nuncea, quæ principio obiecimus, diluamus.

Primum profectò argumentum ex dictis perspicuum esse arbitror. Ait enim eo in loco Aristoteles, alijs prudentiā, alijs virtutem, voluptatem alijs summum bonum videri. Sed, se quidē auctore, omnia esse ad felicitatē necessaria. At in virtute gloriā etiam intelligit comitem, & ymbram, præ miumq;

miumq; virtutis, vt in locis à me adductis explicauit. Quid? quòd in voluptate quoq; gloriæ vis latet? nihil est enim gloria dulciss (vt auctor est in Philippicis Cicero,) nullaq; planè est voluptas, quæ sit cum ignobilitate coniuncta.

Cicero. in
Philippicis

In secundo autem omnino negamus gloriam non prodesse, magnum enim ad iumentum affert ad fœlicitatem, magnā voluptatē, maximum incitamētum ad virtutem. Pulchrumq; est illud Ouidianum.

Obid. lib. 4.
de Ponto.
Eleg. 2.

Excitat auditor studium, laudataq; vir-

tus Crescit, & immensum gloria calcar ha-

bet. Ac nos postea ostendemus Spiritum Sāctum gloriæ illecebra, & dulcedine homines sæpè ad res magnas suscipiendas incitare. Et Aristoteles ad Theodecten, lib. 1. cap. 6. Gloriam, & honorem bona esse (inquit) quòd & iucunda sint, & multorum efficientia bonorum. Quodverò non posset aliquando, aut etiā propter corruptos hominum mores non nihil obesse videatur.

Arist: ad
Theod. lib.
1. cap. 6.

tur. Id gloriæ naturæ detrahit nihil, cùm ex eorum genere sit, quæ secundum acci-
dens ab Aristoteleis vocatūr, & ad discipli-
nas minimè pertinent: in qua nudæ ac sim-
plices naturæ rerum considerantur, vt Ari-
st. lib. 6. de Philos stoteles docet lib. 6. de prima philosophia,
c. 2.

cap. 2. Alioqui, Catholicæ fidei confessio
nem non solum inutilem, sed etiam perni-
ciosam esse dicere mus. Quòde a Apostolis,
ac Martyribus verbera, & cruces, & omnia
supliciorum genera compararit.

Tertium argumentū totū in illa quæstio
ne versatur, vbi nā, & cuius bonum, sit glo-
ria. Cui Seneca epist. 103. hoc pacto satis-
facit. Gloria, & laudantis, & laudati bonū
est: laudantis quidē, quod honestum est bo-
norū virorum extollere virtutes, omnisq;
honesta operatio eius est potissimū qui fa-
cit. Laudati verò est, quòd ille se benefecis-
se, & gratos virtutum suarum interpretes
inuenisse lätatur. *Quemadmodum*, in-
quit, bene iudicasse, iudicantis bonum est,
Eius, secundūm quem est iudicatum, &
cui debitum solutum est. Laudare autem
merentem, quadam etiam est iustitia pars.

Recte

Rectè quidèm Seneca dixit, atq; acutè,
sed id tamen quod quærebamus non satis
expressit. Cū enim gloria accidens quod-
dā sit, eaq; sit accidentis natura, vt in subie-
ctis duobus esse non possit. Explicandum
illi erat in vtro propriè, & (vt scholasticè
loquar) formaliter, existeret. Vndé quidā
modernus auctor Italus qui multa nuper
de honore disputauit, homo minimè indo-
ctus, aut indisertus, ridet, atq; exagitat Ari-
stoteleos quod honorem formaliter in ho-
norato esse dixerint. Additq; in vtroq; in
esse, ea maximè ratione, quæ ab Seneca ad-
ducta est, sed tribui potius honoranti quo-
niam agit ipse, patiturq; alter, & agere,
quam pati, præstantius est. Tum quia (ut
1. Ethicorum, cap. 12. retulimus) laus vir-
tutibus, honos operibus datur, atque ideo
agenti honos patienti verò laus debetur.
At hic non videt perabsurdum esse, in phi-
losophia rem eandem in duobus formaliter
existere, nec pugnantia se loqui sentit,
cum eum non honore, sed laude dignum
iudicat, cui honores merito deferuntur.
Si enim ille nihil magnum, eximumq; fe-
cit, neq; dignus est honore, neq; laude, si
verò

Arif. 1. Ethic.
cap. 12.

Liber primus,

verò secundum naturam, secundumq; vir
tutem vixit, & honos præmium virtutis
est, cur non omnibus honoribus ornetur?

Gloria tri-
pliciter po-
test confide-
rari.

Tripliciter igitur gloria considerari po-
test, & quatenus est iudicium quoddam, &
quatenus virtutis operatio est, &, ut ad eū
refertur cui datur.

Et quidem ut iudicium est, nemini du-
bium est in eo inesse qui iudicat. Est enim
iudiciū operatio, quæ à philosophis imma-
nens dicitur: quarè in eo sit à quo elicetur
necessa est, ut visio in vidente, speculatio
in speculante, ut ab Aristotele accipimus
lib. 9. de 1. philosophia cap. 9.

Arist. lib. 9.
de 1. philo-
soph. cap. 9.

Et quatenus honesta operatio est, mani-
festum, & apertum est in operante existe-
re, nascitur enim ex virtute, quæ in anima
est, ut eius esse à quo fit omnino sit necessa-
rium. Sed cùm ita gloria accipitur, mini-
mè quidem illa secundùm formam, sed
secundùm genus, hoc est, secundùm ma-
teriam consideratur.

Supereft ut de ea formaliter, & ut talis est,
loquamur. Quod est potissimum philoso-
phis, theologisq; dignum. Atq; hoc profe-
cto

Et modo, quamuis ab alijs pendeat, in eo tamen tantum collocabitur, cui datur. Modò regia potestas in Rege est, consularis in consule. Quarè si aliquis de subiecto gloriæ quærat, omnino cum esse respondebimus, qui afficitur gloria. Cùm igitur Aristoteles honorem in eo potius esse dixit, qui honorat, locutus est ille sanè de honore, ut actio quædam, & ab efficienti causa oritur, quo pacto totus est in honorantis potestate. Potest enim vir bonus sese omni honore dignissimū præstare, sed illū habere, nisi alijs dare libeat, non potest. Ac ideo proprium bonum non est. Quod argumentum miram vim habet ad id, quod Aristoteles volebat, comprobandum, ut posteà dicemus. Est igitur honos in honrante, non ut in subiecto, sed ut in efficiente causa.

Gloriæ sublectum.

CAPVT. VI.

De quo genere bonorum sit gloria?

SE D cùm varium sit, ac multiplex bonum, suscepta iam, & instituta postulat dispu-

Liber primus,

disputatio, ut quale bonum sit gloria constituamus. Quod mirandum ad ea quæ dicenda sunt afferet.

Tria sunt (ut philosophis placet) genera bonorum. Quædam animi, quædam corporis, quædam externa dicuntur. Animi sunt, ut prudentia, ut eruditio, ut virtutes, siue quæ in mente, siue quæ voluntate collocantur. Corporis, dignitas, aut venustas, bona habitudo, vires, valetudo. Externa bona (quæ etiam fortunæ nominantur)

opæ, amici, dominatus. Ita hæc diuidit, ac partitur Plato in Enthydemio. Aristoteles lib. i. ad Nicomachum cap. 8. & lib. 7. politorum, cap. 1. Et lib. i. moralium magorum, cap. 3. Et Maximus Platonicus sermone 2. Et Cicero in 3. Tusculana, Alijque permulti. Nam quamuis Aristoteles in ipso, libri. 2. ad Eudemum ingressu bifarium diuidat, & omnia bona, aut in nobis, aut extræ nos esse dicat. bona corporis cum externis philosophorum more numerauit.

Est autem etiam altera vulgaris, & latè patens partitio boni, nam aliud esse aiunt uqlib ho.

Bonorum,
Tria sunt
genera.

Plato in Enthydemio.
Arist. i. ad Nico. cap. 8.
& 7. Polit. cap. 1.
Et i. magn. mor. cap. 3.
Maximus Platonicus, sermon. 2.
Cicer. 3. Tuscul.
Arist. ad Eudemum.

honestum, aliud vtile, iucundum aliud, vt
præter alios, ostendit Aristotel. lib. 8. ad Ni-
comachum cap. 2. & 3. & lib. 7. ad Eude-
mum. & lib. 2. magnorum moralium,
cap. 11.

His ita constitutis, principio, aimus, glo-
riam, neq; in bonis animæ, neq; corporis,
sed in externis numerari. Hoc primum Pe-
ripateticorum sententia approbatur. Cū
enim lib. 1. Ethicorum cap. 8. doceret Aris-
toteles beatitudinem externalorum bono-
rum præsidijs destitutam recte consistere
non posse, adiecit. *Non enim satis ad fæli-
citatem idoneus est, qui penitus est defor-
mis, aut ignobilis.* Et lib. 7. Politicorum
cap. 1. famam cum diuitijs, potentiaq; con-
jungit. Lib. 1. magnorum moralium cap.
3. & lib. 1. Rheticorum, cap. 5. *Alia (in-
quit) externa, opulētia, dominatus, honor,*
& si quid est huiusmodi. Et lib. 4. ad Ni-
comachum, cap. 3. *Honor est bonorum ma-
ximum, sed externalorum.* Peripateticos hac
quidem in re libenter nostri sequuntur, vt
Ambrosius, lib. 1. officiorum, cap. 12. Et
Augustinus lib. 8. de ciuitate Dei, cap. 8. Et

Arist. 8. ad
Nicom. cap.
2. & 3.
Et lib. 7. ad
Eude.
Et. 2. magn.
mor. cap. 11.
Honor in-
terbona ex
terna con-
numeratur.

Arist. 1. E-
thicor. c. 8.

Aris. 7. Pol.
cap. 1.

Et. 1. magn.
mor. cap. 3.

Et. 1. Rhet.
cap. 5.

Et lib. 4. ad
Nicom. c. 3.

Ambros. 1.
officio c. 12
Augui. 8. de
ciuit. cap. 8.

quidem si nemo esset qui doceret, tamen
ipsa per se ratio, gloriaque natura confir-
maret. Etenim bona sunt quae nobis-
cum natura non coherent, sed remo-
ta, & extra nos sunt, & quasi à fortuna do-
natur, ex quo nomen habuerunt. Gloriā
autem, & honorem nequę naturā habe-
mus, nequę per nos solos ipsi comparaui-
mus, sed ab alijs tāquam præmium virtu-
tis accipimus. Quò fit ut bona animi, &
corporis penes nos sint, externa penes
alios. Ac ut videm us sēpissimè homi-
nes opibus, imperioq; dignissimos indige-
re omnium, aliorumq; potentia opprimi:
itanon pauci sunt, omni virtutum genere
florentes, ignobiles, & ingloriosi. Sed hæc
quidem aperta sunt, ad alteram boni diui-
sionem transcamus.

Inter honesta bona, gloriam minimè
ponendam esse, manifestius est, quam ut
sit multis confirmandum, cum eius expers
esse possit, qui sit omni honestate cumula-
tissimus. Et bonum honestū vnius est no-
men virtutis, gloria ex virtute nascitur,
camquę assequitur, sed virtus tamen non
est

est. Vtilitatis multū habere videtur gloria, qua qui præstant, & ab omnibus coluntur, & ad amplissimos dignitatis gradus euocantur, & digni maximē iudicantur, qui diuinijs abundant. Sed tamen si propriē, & rei ipsius naturæ conuenienter loquamur, ne bonum quidem vtile esse dicimus. Nam vt iucundū ab vtili separamus, quamuis sæpè vtilitas iucunditatī consequens sit, itā nequè per se gloria bonum vtile est, quamuis ex ea magnæ interdum vtilitates percipientur.

Est igitur gloria, suapte natura, iucundum bonum, vt dixit Aristoteles, lib. 1. ad Theodecten, cap. 6. Nam eam per se comittatur voluptas, & cùm sæpè nullū sit emolumentum, nunquam sine magna voluptate percipitur. Itaq; homines nihil habent gloria iucundius, facileque omnes illam Themistoclis sentētiam probant, qui cùm quæreretur, cuius vocem libentissimē audiret, eius (respondit) à quo sua virtus optimē prædicaretur.

Aristot. ad
Theod. lib.
1. cap. 6.

CAPVT. VII.

De duobus que aduersantur ijs, quæ dicta sunt, cap. 5. & 6.



ED DUO nobis maximè obstant, atq; ea quæ dicta sunt quasi labefactant.

Primùm, quod si gloria externum bonum est, & extera sunt extra nos, necessario cōsequi videtur, aut in nobis non esse gloriam, aut si est, omnino fore ab externis separandā. Alterum est, futilem, & inanem esse vtram què diuisionem bonorum. Nullum est enim bonum, nisi quod honestum est, atq; idē prorsus sunt bonū, & honestū. Quod si ita est, non solūm corporis bona, sed extera etiā siue vtilia, siue iucunda sint, aut mala esse, aut certè nō bona, necesse est. Idq; ipsum si ita est, certè gloria bonum nō est, quam non ad honesta, sed ad extera expectare diximus.

Verum autem primum, verum igitur, & extremum. Quòd si quis propositionē inficiari velit (Nam assumptionem vltro ipsi dedimus) clamabunt continuò Chri-

An bona ex
terna fuit
bona,

sip-

sippus, & Zeno, & Cleantes, & Hecato, ceteriq; Stoici.

Pròb superi quantum mortalium pecto- Ouid. lib. 6.
ra caca Metam;

Noctis habent.

Negabunt bona esse, quæ sint cùm beluis communia, quæ rapi, quæ amitti, quæ detrahi inuitis possint, quæ bonum non efficiant possidentem, quæ sint cùm summis sceleribus sàpè coniuncta, quæ aut fortunæ temeritate, aut multitudinis errore contingant, quæ mentem statu suo dimoueant, quæ torqueant cupiditate habendi, quæ amittendi metu exaniment. Quam suorum sententiam acerrime Anneus Seneca defendit epistola trigessima prima, & septuagesima septima, & octogesima octaua, & centesima decimana-
na, ac si eam quisquam Stoicorum tantum fuisse existimat, meminerit sapientē illum Biantem vnum ex septem Græciā sapientibus, capta ab hostibus patria Priene admonitum à ceteris, ut quidquid posset de rebus suis asportaret, facere se respōdisse, nam omnia sua secum portare. So-

Sene. epist:
31. & 77. &
88. & 119.

Liber primus,

erates quoquè in principio Philebi Pro-tarchum reprehendit, quòd lætitiam, vo-luptatem, delectationem, cæteraque hu-ius generis omnia, bona iudicaret. Sibi contra videri bona, sapere, intelligere, me-minisse, recte opinari, & eiusmodi alia.

Quod non propter mentis modò virtu-tes dictum puto, sed propter illas maximè quæ morales vocantur, quas in scientia-rum genere Socrates collocabat. Vt auc-tor est Aristoteles in primo moralium eu-ral. ad Eud. Et in 6. ad Nicom. c. 13 Maxim. Ty-rius, serm. 2 demiorū, & ad Nicomachum libro sexto, capite decimotertio. Maximus Tyrius ne-gat in sermone secundo, iniuriam bo-noviro fieri posse, cùm iniuria priuatio sit boni, eum verò nemo possit bonis suis, id est virtute spoliare. Nec malum iniuriam aliquandò pati, quoniam expersvirtutis cùm sit, nihil habet boni, quod amittat. Hoc idem Marcus Tullius, magna, & elo-quentia, & eruditione firmauit in quinta Tuſculana, in primoque Paradoxo.

Sed minoris hos omnes facerem, nisi viderem eorum disputationem, atq; op-i-onem maioribus nostris viris optimis,

Arist. i. mo-
ral. ad Eud.
Et in 6. ad
Nicom. c. 13

Maxim. Ty-
rius, serm. 2

& sa-

& sapientissimis mirificè probari. Ambrosius in libro secundo officiorum, capite tertio, docet nihil esse bonum nisi quod honestum. Et eodem libro, capite sexto, & libro tertio capite secundo, docet nihil esse utile, nisi quod bonum est, significarique eandem rem nominibus duobus. Itaq; (inquit) in scripturis diuinis si diligenter quaeramus, sapè inuenimus quod honestum est, utile vocari. Adducitq; illud prima Corinthiorum sexto. *Omnia mihi licent, sed non omnia expedient, hoc est, peccare quidem possum, sed non sunt utilia peccata, nō sunt honesta.* et Psalmo vigesimono. Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? exponit ipse utilitatis nomine iustitiae profectum intelligi. Et prima Corinthiorum septimo. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, nō ut laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimentoo Dominum obsecrandi. Idem vocavit utile, & honestum. Quod quid est aliud, quam quod ab homine sapiente dictū cœufertur? nihil discrepat utile à decoro. Nil

Ambr. lib. 2
offic. 3. & 6.
& lib. 3.c. 2.

1. Corin. 6.

Psalm. 29.

1. Corint. 7.

Liber primus.

hil hic equidem Ambrosium à Socrate dif-
ferre video, quem execrari solitum aiunt
eos, qui primum utile, & honestum natu-
rà cohærentia opinione distraxissent. Idē
prius in eodem, 2.lib.cap.6.dixerat: Sed &
illa quæ videntur bona, diuitias, satieta-
tem, latitudinem expertem doloris, detrimen-
tum esse ad fructum beatitudinis, domini-
co declaratum iudicio liquet, cum dicitur,
Luc. 10. *v. vobis diuites, qui habetis consolationem
vestram, v. vobis qui saturati estis, quia esu-
rietis.* Atquè ut alios omittam (consen-
tiunt enim omnes) unum Hieronimum
audiamus iure suo de his disputantem.. Is
in commentarijs Esaiæ cap. 11. ita aduer-
sus Iudaizantes insurgit. *Audiant à nobis
nihil esse bonum nisi virtutem, & nihil ma-
lum nisi vitium, dicente Psalmista, Quis
est homo qui vult vitam, & diligit dies vi-
dere bonos? compescet linguam tuam à ma-
lo, & labiat tua ne loquantur dolum, decli-
na à malo, & fac bonum. Diuitiae autē, &
sinitas corporis, & rerum omnium abun-
dantia, & his contraria, paupertas, infirmi-
tas, & inopia etiā apud philosophos saculi,*

*Ambri. 2. of-
fici. cap. 6.*

*Hieron. in
com. min.*

*Esaïæ, c. 11.
Psalm. 33.*

rec.

nec inter bona reputantur, nec inter mala:
sed appellatur indifferentia. Vnde & Stoici
qui nostro dogmati in plerisq; concordant,
nihil appellant bonū, nisi sola honestatē, atq;
virtutem, nihil malum, nisi turpitudinem.
Hæc Hieronimus. Quibus apertè sese à
Stoicis, aut potius Stoicos à nobis stare
proficitur. Idemquè ferè docet in com-
mentarijs epistole ad Galatas, cap. 6. Quod
prius Ecclesiaste, 2. Salomon admonue-
rat. Testatur enim se omnibus vsum ge-
neribus voluptatum, omnibus externis bo-
nis mirabiliter affluxisse, sed ea nec bona
appellat, nec inania quidem, sed ipsam ina-
nitatem, & afflictionem spiritus. Et Esaias
cap. 40, clamare à Domino iubetur, *Omnis*
caro sœnum, & omnis gloria eius quasi flos
agri. Sed hæc, & Dominus, & Prophetæ, &
Apostoli non magis verbis, quam exemplis suis verissima esse docuerunt. Quarè
cætera prætereamus, & ad præclarā illam
montis cōcionē veniamus, quæ c. 5. 6. & 7.
à Mathæo diligentissime exposita est. Si
opes bonæ ex petendæq; sunt, cur ita sta-
tim exorditur? *Beati pauperes spiritu.*

Hier. In cō-
ment. ad
Galat. c. 6.

Ecclesiast.

Esai. 40:

Qs . Liber primus,

Quod & de fortunarum inopia à multis
intelligitur, vt Ambrosius super Lucam,
& Beda ibidem. Et Erasmus hīc annume-
rat auctorem imperfecti, sed falso. Petrus
apud Clementē lib.2.recognitionum: &
sanctus Thomas, 1.2.quæst.69, art.3 Dein
dē, si dolore torqueri, animoq; angi ma-
lum est, cur ait, *Beati qui lugent, quoniam*
ipsi consolabuntur? Si calamitates, aut mi-
seros homines efficiunt, aut beatitudinē
certè impediunt, vt Aristotel. 1. Ethicor.
cap.9. ait, quò illa pertinebunt? *Beati qui*
persecutionem patiuntur propter iustitiam.
Vndē Ambrosius, 2. officiorum cap.4. ait.
Est ergo beatitudo, & in doloribus, quos
plena suavitatis virtus comprimit, & coer-
cet ipsa sibi domesticis opibus abundans.
Si magnificienda est hominum laudatio,
& gloria: quomodo illa interpretabimur?
Beati estis cum maledixerint vobis homi-
nies, & persecuti vos fuerint, & dixerint
omne malum aduersus vos mentientes.
Hec paulo vberius persecutus sum quoniam
mirè ad ea, quæ diximus, quæque
postea dicemus, conducere videntur. Atq;

bono

vt

Ambr. in
6. lucæ c.
Beda ibidē,
& Erasmus.

Clemens, 2.
recognitionis
num.
5. Thom. r.
2. q. 69, art. 3

Arist. Eth.,
cap.9,

Ambr. 2. of-
fic. cap. 4,

ut his priūs respondeam, quām aliò diuer-
tam, fateor sanè me vehementer fuisse ad-
dubitatum utros magis cùm veritate
Christianā congruere iudicarem, Peripa-
tericos ne? an Stoicos? nisi me hoc labo-
re, atquè hac ambiguitate Augustinus libe-
rasset, qui lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 4. Cice-
ronem in 4. & in 5. de finibus secutus ita
controversiam istam componit. Hos au-
tem (id est Stoicos) Cicero in libris de fini-
bus bonorum, & malorum verbis magis
quam rebus aduersus Platonicos, scū Peri-
pateticos certare conuincit, quandōqui-
dem Stoici nolunt bona appellare, sed cō-
moda corporis, & externa, eò quòd nullū
bonum volunt esse hominis præter virtu-
tem, tanquam artem benēviuendi, quæ
non nisi in animo est. Hæc autem isti sim-
pliciter, & ex communi consuetudine lo-
quendi appellant bona. Sed in compara-
tione virtutis, qua rectè viuitur, parua, &
exigua. Ex quo fit ut ab utri s̄q; quomodo li-
bet vocentur, scū bona, scū commoda, pa-
ri tamen existimatione pensentur, nec in
hac quæstione Stoici delectentur nisi no-

Augus. 9, de
ciuitat, c. 4

Cicer, in 4.
& in 5, de
finibus.

Liber primus,

uitate verborū. Evidem hoc Augustini, Ciceronisq; iudicium libenter sequor. Est enim omnino peregrina dissensio, quæ non tam in re, quam in nomine versatur. Stoici bonum ex ijs esse volunt, quæ à Dia lecticis synonima dicuntur, atq; illud modo quod honestum est ex nomine dignatur. At Peripatetici synonimū omnino esse negant, sed ad ea referunt, quæ secundū analogiam dicuntur, vt ens, vt sanum, vt ridens, conuenit itaq; inter utrosq; solum honestum esse propriè bonum, idque semper intelligendum, cum bonum sine affectione dicitur. Ut cum ens dicimus, non accidens, sed substantiam notamus. Sed vt sanū nō solum animal vocatur, quod verè, & propriè sanitatis particeps est, verū etiam quod indicat, aut efficit sanitatem, vt pharmacū, vt auctor est Aristoteles lib 4. de prima philosophia, cap. 2: Quod omnium termone approbatur. Ita Peripatetici bona vocant, quæ revera bona sunt, hoc est virtutes, & ea etiā quæ ad minicula sunt ad virtutem, vt nobilitatē, opulentiam, potentiam, amicos, & quæ virtu

virtutis signa sunt, ut honorem, & gloriā, quamuis hæc honestatem nō tantum indicant, sed etiā iuuant. Et ut analogiam entis apertē declarat Aristoteles cūm substantiam dicit esse maximè ens, sic analogiam boni planè intelligi putat, cūm virtutem docet esse maximè bonum. Quod qui dem facit libro. I. Ethicorum, cap. 8. ita in quiens: *Cum igitur bona in tria sint divisa, & alia externa, alia circā animam, alia circa corpus bona dicantur: ea quae sunt circa animam propriissimè, maximeq; dicimus bona.* Quod confirmat etiam breuiter lib. I. magnorum moralium, cap. 3. Atq; ita ut nos censemus sanctus Thomas, I. part. quæst. 5. artic. 6. ad 3. Quare rectē Marcus Tullius Peripateticorum sententiam in tertio de officijs interpretatur: *Quibus videri dicit ita esse summum bonum quod honestum est, ut omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habeant.* Quòd si de nominibus quoq; ipsis contendamus Peripateticos anteponēdos puto, multò enim magis accedunt ad consuetudinē vsumque communem.

Aris. I. Eth.
cap. 8,

Arist. lib. I.,
magn. mor.
cap. 3,
S. Thom. I.,
P. q. 1. artc.
6. ad 3,
Cicer. in 3.
de officijs,

Quem penè arbitrium est, & ius, & non
maloquendi.

Etenim ita omnes hæc externa bona vocamus, ut nihil audiatur frequentius, quam affluere, aut carere, aut spoliari bonis. Atque inde factum est, ut hæc qui largirentur, benefici, & benemeriti, & boni, & optimi vocati sint. Ut apud Virgilium.

Virg. lib. 1.

Æneid.

Æneid. 4.

Cicer. 2. de
natura cor.

*Vina, bonus, quæ deinde cadis onerarat
Acestes. Et
-Sese interea quando optima Dido
Nefciat.*

Et Cicero, lib. 2. de natura deorum: *Iupiter (inquit) à maioribus nostris optimus maximus dicitur, & quidem ante optimus, id est beneficentissimus, quam maximus. Quin etiam in sacris literis perusitatū est, ut Tobie, 4. *Noli timerē fili mi pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Et Iob cap. 2. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Et luctæ, 16. *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter ma-**

Tob. 4:

Iob. 2.

Luctæ. 16.

la

la. Denique quid notius, aut visitatius, quam calamitates, & labores mala vocari etiam à iustissimis hominibus? Ut Genesis quadragessimo septimo. Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui, & mali. Et Ieremiæ decimooctauo. Agam & ego pænitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Et paulo post. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pænitentiam agam super bono, quod locutus sum ut facerem ei. Ut ergo malum est quidquid cum virtute pugnat, & quidquid nos triste perferimus, aut acerbum, ut cum alibi sæpè, tūm libro primo de libero arbitrio docet Augustinus: meritòque idem libro decimonono de ciuitate Dei, capite quarto, Stoicos reprehendit, quod corporis cruciatus in malis habēdos negent, ita bonum erit, nō solūm virtus, sed extera etiam, quæ vitā iuuant, & ad eius tranquillitatē necessaria sunt, ita enim à dialecticis accepimus non pluribus modis vñ contrariorū accipi solere, quā alterū. Illud verò in Stoicis penè puerile, quod exteras

Augus. 1. de
liber. arbit.
cap. 1. & 19.
de ciuit. c. 4

Liber primus,

nas calamitates malas esse negant, & tantas tamen posse esse dicunt, vt sapientem cogant manus sibi afferre, atque ex hac vita migrare. Ridiculum etiam quod ea, quae bona esse inficiantur, commoda appellat. Nequè enim multum, (vt opinor) commodum differt ab utili, & iudicem ipsis bonū, & utile idem esse confitentur. In quæstione autem de fœlicitate, in quā ex hac priore venerunt, utriusque peccauerunt: ut eruditè approbat Augustinus, 19. de ciuitate Dei, cap. 4. Satis enim prudentibus hominibus constare poterat eam, dum quidem viuitur in hac misera, & calamitosa vita, haberis non posse. Nec in hac quidem re magno operè dissentiebant: aiebant enim Stoici virtutem per se ipsam satis esse ad vitam beatam, quod miser esse non posset, qui esset omnibus virtutibus instructus, ac eiusmodi hominem Aristoteles nunquam miserum putauit, fœlicem non dicet, si viviat in magnis doloribus, & calamitatibus. Nā hæc externa necessaria esse existimat, sed ut quædam tantum ornamenta fœlicitatis, & adiumenta virtutum. Nequè enim

Aug. 19, de
ciuit. cap. 4,

(in-

(inquit, in libro, i. ad Nicomachum capite octauo) *Fieri potest, aut non facile sit,*
ut is res agat præclaras, cui facultates de-
sunt; multa namqz, per amicos, per diuitias,
per ciuilem potentiam, sanguam per instru-
menta aguntur, à quo tantum abest ut ab
horruerint Stoici, ut Panætius, & Posido-
nus, qui in eo genere præclari habitu sunt,
aperte dixerint, minimè sufficere virtutē,
(vt in vita Zenonis Cittici refert Dioge-
nes) opus esse etiam bona valetudine, &
rerum affluentia, & robore. Quòd si
Chrisippus, & Zeno beatum esse volue-
runt, qui virtutibus maximò pere præf-
taret, etiam si acerbissimis calamitatibus
implicaretur, næ ipsi quid beatitudinis no-
men valeat, minimè animaduerterunt.
Nam vt omittam beatitudinem non in
habitu, sed in operatione virtutum co-
llocari, vt Aristoteles ostendit primo
Ethicorum capite octauo, libro deci-
mo, capite sexto. A multisque nihil si-
ne externis bonis effici posse, ipsum bea-
titudinis, aut fœlicitatis vocabulum, non
indolentiam modò præfecerit, sed etiam

Diog. Laer.
in vita Zc-
no sis Citti
ci.

Arist. Eth.
cap. 8 & 10:
cap. 6.

Liber primus,

summam quandam animi , & corporis
tranquillitatem,& requiem, & voluptatē,
dēnique nihil esse iām quod possidere, aut
quo aliquāndo carere cupiamus. Quam
obrem viri maximi,& diuina virtute præ-
diti nūnquam se dūm hīc viuerent, bea-
tos putārunt, quōniā multis bonis ca-
rebant, multiq̄ue malis premebantur,

Ad Rom. 8. adeò ut Paulus ipse ad Romanos octauo
dixerit. *Non solum autem illa sed & nos*
ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi in-
tra nos gemimus, adoptionem filiorum
Dei expectantes, redemptionem corporis

nostri. Et prima Corinthiorum deci-
moquinto capite. *Si in hac vita tantum*
in Christo sperantes sumus, miserabiliores
sumus omnibus hominibus. Beati ergō
dicebantur, non quōd iam beatitudinem
haberent (non est enim beatitudo in eges-
tate, in ignominia, in doloribus) sed quōd
certamquandam spem conceperant, ac
inchoationem, & quasi arrabonem futu-
ræ fœlicitatis obtinebant in charitate Dei,
quæ diffusa erat cordibus illorum, in in-
nocentia , & sanctitate vitæ , in malis

quæ pro religione perferebant. Expressit hoc quidem apertè Paulus ad Romanos octauo cùm ait: *Spe enim salvi facti sumus.* Et ad Titum 3. *Vt iustificati gratia ipsius habedessimus secundum spem vitaे eternaе.* Sed Dominus noster étiam apertiùs, ac manifestiùs Mathæi quinto.

Ad Rom. 8.

Beati enim (inquit) pauperes spiritu: Sed unde hæc beatitudo sit, exponit: Quoniā ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniā ipsi consolabuntur. Atque ita temper loquitur, donec postremò addit: *Gaudete, et exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Quòd autem cùm bona cætera, tūm maximè diuitiæ in scriptura malè sæpenùmero audiunt, non tam hæc quidem, quæ corrupti hominum mores reprehenduntur, qui rebus natura bonis, & à Deo ad beatè vivendum datis, ad scelera, & flagitia abutuntur.

Diuitiæ curta maximè vituperatur inscritura.

Sed hæc hæc tenus. Nunc primum illud argumentum diluamus, quo confici videbatur, gloriam externam bonum non esse, quòd eam in nobis esse dixeramus.

Liber primus,

Quod sanè ita Italum illum permouit,
(quē capite quinto nominaui, qui multa
de honore conscripsit) vt honorem & in
honorante, & in honorato verè esse ne-
gauerit, sed id quidem quod ex honore
manat, hoc est voluptatem, in utroque
inesset. At id quām sit absurdum nemo
non videt. Ut enim magna ad ambos
ex honore perueniat voluptas, tamen
honos ipse, aut gloria, in altero, vt in sub-
iecto sint necessaria. Non igitur bona
externa dicuntur quasi in nobis non sint,
multa è nim nòn tantum penès nos, sed
etiam in nobis habemus, vt nobilitatem,
potentiam, amicitias. Sed quoniam ca-
vt habeamus, in alijs potius, quam in no-
bis situm est, à quibus quasi fortunæ mu-
nera donantur. Itaque externa ab effi-
ciente causa nominantur, & quod per se
nequè animum, nequè corpus perfec-
tum, ornatumquè reddant, vt illa quæ
ob id maximè animi, & corporis bona di-
cuntur.

CAP.

CAPVT. VIII.

An gloria sit summum bonum?

POSTEA Quām constituimus gloriā inter externa bona numerari , superuacaneū videri posset quærere , an sit summum bonum ? nisi cūm illud constitisset, nonnulli hoc in disceptationem, atq; in controuersiam vocassent. Quāmuis si ad rem ipsam animū attēdere velimus, intueniemus nōndum satis esse à nobis hactenus explicatum , quale bonum sit gloria. Nam præter duas illas boni partitiones, quas antea persecuti sumus, tertia, (& quidē cognitione dignissima) supereft, quæ à Platone in primis ferè verbis secundi de republica proposita est. Aut ènīm bonū esse quoddā, quod sui tantū ipsius gratia expetatur: vt voluptas honesta. Alterum quod & sui causa , & eorū, quæ ab eo fluunt, ametur: vt valere, sapere, videre. Tertium, quod non propter se, sed propter illa quæ efficit, peti soleat, vt pharmacum. Aristoteles quidem lib. i. ethic. c.

Plato. in 2.
de republi.

Bonorum
tria genera

Aris. i. Eth.
cap. i. & 2. &
i. mag. mor.
cap. 2.

Liber primus,

1. & 2. & libro, 1. magnorum moralium,
cap. 2. ac alijs s̄apē in locis paulò aliter dis-
tribuere videtur. Sed omnia genera bono
rum, quocūnque modo diuidantur, & se-
centur, in aliquod horum trium necessa-
riō incident. Quare Platonem nobis au-
ctorem sequentibus, ad quod potissimum
eorum gloria pertineat diligenter erit
paulò post indagandum. Est enim in eo
totius disputationis momentum, & vis.
Atque hoc ipsum recte intelligi non po-
test, nisi prius recto, & ipsi rei acommoda-
to ordine quaesitum erit, an sit summum
bonum?

Arist. Eth.
cap. 5.

Et quidem Aristoteles in, 1. ethicorum
cap. 5. auctor est vltimum, & supremum
bonum ab elegantibus hominibus, & ad
agendum idoneis in honore collocari.
Tum Hieron apud Xenophontem in Ty-
ranno: *Fælicem sibi eum videri dicit, qui*
verè honoratur. Ac vt alia omittam, hoc
videtur esse vel maximi ponderis, quod
(vt in 1. ad Eudemum testatur Aristoteles)
Omnes homines quasi quendam laborum,
& operum suorum scopum, honorem, &
glo-

Aristo. in 1.
ad Eudem.

Xenoph. in
Tyranno.

gloriam sibi proponunt. Quod palam ostendit Cicero pro Archia poëta. Nullam (inquit) virtus aliam mercedem laborū, periculorumq; desiderat prater hanc laudis, et gloriae, qua quidem detracta (iudices) quid est quod in hoc tam exiguo vita curriculo, & tā breui tantis nos in laboribus exerceamus? Hoc autem est summi boni propriū, ut ad id omnia nostra referantur, ut in, i. Ethicor. cap. 2. videamus.

Cicer. pro
Archia poë.

Arist. Eth.
cep. 2.

Deinde non est existimandum vniuersum hominū genus in magno errore versari, at qui omnes, & eò magis quò nobiliores, & præstantiores sunt, gloriā pecuniae, vxori, liberis, vitæq; ipsi facile anteponunt. Intelligunt ergo gloriam esse summū bonum, omniumq; maximū, quæ in hac vita (de qua modò loquimur) possidentur.

Ad hæc, nihil habemus virtute pulchrius, aut optabilius, sed hæc gloria remunerari solet, & apud homines ut sæpè diximus, & apud Deum, vti ad Romanos secundo ait Paulus, *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum.* Cum igitur præmium finis speciem præferat sem-

ad Rom. 2.

Liber primus;

perq; finis ijs, quæ ad se referuntur, melior & perfectior habeatur, illud quoq; existe-re videtur, gloriam meliorem esse virtu-te. At enim, nobis præsertim Christianis, qui summum bonum in hac vita mortali obtineri non posse certè scimus, nihilque virtute antiquius habemus, nòn solùm falsum, verum ètiam plenum dedecoris, & turpitudinis videri debet, gloriam con-stituere finem bonorum. Quod elegantè

August. lib:
5. de ciuitate
cap. 20. &
lib. 8, cap. 8.
& 9:

fanè docet Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 20. & lib. 8. cap. 8. & 9. Idem esse visum dicit philosophis, qui gloriam bonum quoddam esse voluerunt. Denique hanc esse prophetarum, & Aposto-lorum, omniumque patrum nostrorum sententiam, & confessionem, facillimè ex ijs, quæ dicenda sunt intelligetur. Af-sensi sunt & veteres philosophi, qui maxi-mè cupiditate gloriae trahebantur. Ut

Augu. 19. de
de ciuitate c. 1.

enim auctor est Augustinus, 19. de ciuita-te Dei, cap. 1. quāmuis multa de summo bono inaniter disputarent, tamen nunquā eos errare natura permisit, vt non alij in bonis animę, alij in corporis bonis, alij in vtrif-

vtrisque fines bonorum ponerent, &
malorum. Sed hos omnes quarto eius-
dem libri capite reprehendit, quod cum
hunc finem in hac vita esse credidissent,
ase ipsis beati fieri, mira vanitate volue-
runt. *Irrisit (inquit) hos veritas per prophe-*
tam dicentem, nouit Dominus cogitatio-
nes hominum, quoniam vanas sunt.

Aug. 19. de
ciuit. cap. 4.

Psal. 63.

Ambrosius quoque in secundo officio
rum nominatim enumerat sententias phi-
losophorum, quorum nemo gloriā sum-
mum esse bonum opinatus est. Quicun-
que enim eam bonum putarunt, fœlicita-
tis modò partem dixerunt, ut cap. 5. & cō-
sequentibus ostendimus.

Ambros. 2.
offic. cap. 2.

Hoc ipsum eisdem rationibus confir-
mari potest, quibus Aristoteles, i. Ethicor.
cap. 5. honorem supremum esse bonum
negavit.

Arist. i. Eth.
cap. 5:

Primum quod summū bonū penes nos
est, nec adimi potest, gloria penes alios,
qua nobis & si digni simus vel maximè
pro arbitrio deferre, atq; auferre possunt.

Deinde quod omnes gloriā appetū no-
tam ut habeant, quam ut boni esse videan-
tur,

Liber primus;

tur, digniꝝ; qui alijs honore præferantur. Quòd perfacilē indicat virtutem meliorē gloria ab hominibus putari. Ex quo efficitur, vt gloriam potissimum à bonis viris querant. Præterea, summum bonū stabile est, & firmum, solicitudinem enim omnē amittēdi adimit, & trāquillitatem animis assert, gloria amitti potest, vixq; aliquando sine metu possidetur.

Deinde, summum autem bonum non est cū alijs, quām per se ipsum optabilius, sed gloria cum diuitijs, & eruditione coniuncta expetibilior est, quām sine his, non ergo summum bonum. Hoc argumento conficiebat Plato non esse summum bonum voluptatem, quod Aristoteles, & refert, & probat lib. 10. Ethicorum cap. 2. per totum.

Ex his abunde perspici potest propter virtutem potius gloriam appeti, quā propter gloriam virtutem. Omnia autē gloriæ causa facere Ethnicorū est, qui hoc vitio omnia præclarè facta fædabant, non Christianorum, quibus, 1. Corinthior. cap. 10. scribit Apostolus: *Sine ergo māducatis, siue bibitis,*

Aristot. 10:
Ethi. cap. 2.

Gloria propter virtutem appetitur, nō ecōtra.

Gloriæ causa operari Ethicor. est

1. Cori. 10.

bibitis, vel aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite. Atq[ue] his, omnia quæ exposuimus aduersariorum argumenta, refellentur.

Nam quod aiunt, homines cæteris omnibus anteponere gloriam, id eam ostendit quidem esse bonorum externorum maximum (ut de honore Aristoteles, 4. ethic. cap. 3. confitetur) in quibus etiā bona corporis comprehenduntur. Quare iure laudatur ab omnibus Eleazarus, de quo lib. 2. Machabeorū, cap. 6. legimus: *At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntariè praibat ad supplicium. Nō tamen est summum bonū neque hoc verba illa Pauli ad Romanos 2. efficiunt, quæ non ad humanam, sed ad cælestem gloriam, qua homines beantur spectant, de qua non est hoc loco disserendum.*

Macha. lib.
z. cap. 6.

Roman. z.

CAP.

In quo argumenta pro gloria appetitione neponuntur.

SVPERIORI disputationi cōtinens omnino est altera, nū sit gloria appetenda? In qua nobis præcipue elaborandū est, est enim & dignitate, & utilitate & cognitione princeps quæstio. Ac vt melius percipiatur, argumenta ante oculos exponamus quibus appetitio gloriæ maximè sanciri, & constabili vide-
tur.

Principio posuimus gloriam bonum esse, atq; inter externa quidem maximum ex virtute oriri, virtutemq; comitari. At qui omne bonum natura sua est appetibile, vt ex Aristotele didicimus, i. Ethicorum cap. i. & lib. 10. cap. 2. quod si auferas, bonum quoque ipsum auferre te necesse est, non ergo possumus inficiari gloriam esse appetendam.

Secundò, diuitiæ, valetudo, liberi, & huiusmodi alia sine peccato appetuntur, sa-

Aris. i. Eth.
cap. i. & lib.
10. cap. 2.

cri-

crificia quæ pro eis ab Ecclesia offeruntur, supplicationes decernuntur, & ieiunia indi- cuntur, denique sæpè hæc à viris sanctis in scriptura peti videmus: cur igitur non optabimus gloriam, quam his omnibus præstantiorem esse scimus?

Tertio, cum aliquid appetitur, nullo modo est illud auersandum quod ex eo, quod appetimus suapte natura proficiuntur, & nascitur, sed gloria ex honestate ipsa per se oritur, non est itaq; fugienda. Qui enim fieri potest, malum ut sit quod ex virtute gignitur, eamq; consequitur?

Quartò, optabilissimum est quidquid ad virtutem hortatur, nihil est autem in vita hominum quod ad eam vehementius incitet, & alliciat, quam gloria. Nam verecundia vitiorum fugatrix, & conseruatrix honestatis, quæ homines à maximis facinoribus auertit, ex gloriæ desiderio nascitur, est enim verecundia timor quidam dedecoris, ut inquit Aristoteles, 4. Ethic. cap. vltimo. Ad hæc nemo respueret volup- tates, nemo literis, aut fortitudine excelle- ret, nemo res magnas, & arduas aggredere tur,

Verecūdia
est timor
quidam de
decoris.
Aris. 4. Eth.
cap. vltim

tur, nisi paratam virtuti suæ gloriā spe-
raret.

Quintò, nullus appetitus naturalis vitio
sus est, non tam enim nobis, quām aucto-
ri ipsi naturæ tribuendus esset, atqui laudis
appetentiam à natura nobis omnibus insi-
tam videmus. Etenim & optimi cuiusque
animus maximè ad immortalitatem glo-
ria nititur, & nemo est tam sordidus, tam
despiciens sui, vt non glorię dulcedine tan-
gatur, nemo tam malus, tam impudens,
vt bonus videri non velit. Quod autem
maximè à natura esse indicat: *Pueri* (vt est
apud Ciceronem in quinto de finibus) effe-
runtur latitia cum vicerint, et pudet vicitos.

vt se acusari nolunt? quam cupiunt lauda-
ri? quos illi labores non perferunt ut æqua-
libum principes sint? Et Quintilianus, lib. i.
institutionum, capit. 3. mauult puerum
in scholis quām domi institui: Nam prode-
rit (inquit) alicuius obiurgata desidia, pro-
derit laudata industria, excitabitur laude
amulatio, turpe ducet cedere pari, pulchrū
superasse maiores. Nec verò hoc studium
paulatim extinguitur, sed semper cum
etate

Cicer. in s.
de finibus.

Quint. lib.
i. instituc:
oratio. c. 3.

ætate crescit, ut enim ait Horatius:

Ætas animusq; virilis

Querit opes, et amicitias, inseruit honori,

Commisso cauet, quod mox mutare la-
boret.

Horat. in
arte poetica

Senes incredibili gloriæ cupiditate fla-
grant, & immortalitatis spe vehementissi-
mè excitātur, nec aliquid aut crebriùs, aut
libentiùs adolescentibus narrant, quām,
quæ à se olim cum laude, & virtute gesta
sunt. Ut apud Homerum Nestor, quomo-
dò Ereuthalionem quem maiores mirè
metuebant, & fugiebant, ipse adolescens
ad Iordani amnis ripas singulari certami-
ne superasset. Et apud Virgilium Euan-
drus.

Homer. Illi-
ad. lib. 7.

O mihi præteritos referat si Iupiter an-
nos.

Virg. lib. 8.
Æneid.

Qualis eram cum primam aciem Pra-
nesti sub ipsa

Straui, scutorumq; incendi vīctor acer-
nos:

Et Regem hac Herilum desira sub tarta-
ramissi.

Quid verò attinet, de hominibus dice-
re

OP. Q. 1. LIB. 1. *Liber primus,*

re cum muta etiam animantia laude dele-
Etari, capi, videantur, non ratione aliqua,
sed ipso pondere naturæ. Etenim:

Quid. lib. 1.
de arte a-
mand.

*Laudatas expandit avis Iunonia pen-
nas,*

Si tacitus spectes, illa recondit opes.

Quid cum duo tauri acerbè inter se
quasi de laude certant, non ne?

Virg. lib. 3.
Georg.

*Victus abit, longeq; ignotis exulat oris
Multæ gemens ignominiam, plagasq;
superbi victoris.*

Ac deinde omni cura sese exercet, &
semper ad pugnam proludit, ut illam de-
decoris inutram sibi notam aliquando
eluat.

Plinius, lib.
8. natu. hist.
cap. 5.

De elephantis, memoriae prodidit Plinius lib. 8. naturalis historiæ, cap. 5. pudore
sepè affici solere: victumq; vocem fugere
victoris. Addiditq; Antiochum Regem
cum ad flumen ventum esset, duobus Ele-
phantis, quos etiam insignes nominibus
habebat, edixisse, eius fore principatum,
qui transisset, alterum continuo spe laudis
ingressum, phalerisq; argenteis donatum,
alterum ignomiæ dolore confectum,

me-

inedia vitam finisse. De leone mira tradū tur, humū mordet moriens, ne testes infirmitatis gemitus audiantur: fugam ignominiae plenam putat, atq; ideò dūm vide ri potest, quamuis à multitudine petatur, lensus & quasi contemnens ingreditur, vbi nemo conspicatur concitato cursu su git. Quod elegantē Virgilius expressit.

Ceu sauum turb a leonem

*Cum telis premit infensis, at territus ille
Asper acerba tuens, retro reddit, & ne-
què terga*

Ira dare, aut virtus patitur.

Quis ergo inficiari audebit, id homini à natura datum esse, quod etiam in multis animalibus inuenitur?

Ac præter hæc ex sacris literis difficilia cum primis, & magna argumenta ducuntur. Nam videmus quos potissimum miramur, & quos imitari iubemur, amore gloriæ non mediocriter exarisse.

Primùm Deus ipse gloriam, & dignitatem suam vbique asserit, vt Esaïæ, 42. *Ego Dominus hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam*

Argumētū
qua probāt
quod Deus
ipse etiam
& sancti di-
gnitatē &
gloriā qua
ferunt.
Esaïæ, 42.

sculp-

Liber primus,

Numer. 20. sculptilibus. Et numerorum, 20. ita Moy-
semi ac à Aronem alloquitur. Quia non
credidisti mihi, ut sanctificaretis me corā
filijs Israël, non introducetis hos populos in
terram quam dabo eis. Et Christus maxi-
mus pietatis, & virtutum omnium magis-
ter, non semel à patre claritatem, & glo-
riam inter homines petiuit Ioan. 17. Pa-
ter venit hora, clarifica filium tuum. Et sta-
tim. Et nunc clarifica me tu pater apud te
metipsum claritate quam habui, prius quā
mundus fieret apud te. Et Dauid in Psal-
mo, 7. Si redidi retribuentibus mihi mala,
decidam meritò ab inimicis meis inanis.
Persequatur inimicus animam meam, &
comprehendat, & conculcat in terra vitam
meam. Grauissima sibi mala imprecatur,
& quibus maiora nulla homines putant.
At post hæc omnia addit. Et gloriam meā
in puluerem deducat. Quibus verbis fa-
cile ostendit gloriæ se appetentissimum
fuisse.

1. Corin. 15. At quis vno Paulo appetentior? i. Co-
rinthiorum, 15. per gloriam vt per rem
clarissimam iurat. Quotidie (inquit) mo-
rior

rior propter gloriam vestram fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Quod tale est ac si diceret, quotidie perferro in numeros pro Christo labores, quos nunquam equidem perpeterer, nisi resurrectionem sperarem mortuorum. Atq; hoc ut credatis, verissimo pulcherrimoq; iure iurando me vltro deuinciam. Iuro per gloriam nostram quam habeo multis magnisquè factis comparatam. Nam (nostram) legendum esse non (vestram) ex Græco satis constat. Nec indicemus in ullam sententiæ absurditatem si (vestram) legamus ita enim intelligetur. Per gloriam quam ex vobis peperi, doctrina vos Euangelij, sanctisquè moribus imbuendo. Hanc autem esse iurādi formulam ex verbis ipsis Græcis facile iudicauit Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 30. & lib. 8. de doctrina Christiana, cap. 4. Nihil enim potest esse apertius, gloriam suam vbiquè tuetur, nunquam quid quam ei decerpī vult. Ad Philipenses secundo. *Verbum vita continent ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum*

August. lib.
1. de serm:
in monte. c:
3. & lib. 8. de
doct. Chris:
cap. 4.

Ad Philip. 2

cucurri, neq; in vacuū laborauī. Dēnique
Ad Rom. 15.
& 1. Cor. c.
15. & 2. Co-
rin. c. 10. 11.
^{12.}
Et ad Ephe.
3.
Ad Phil. 3.
Ad Galat. 1.
1. Corin. 9.
id facit acerrimè ad Romanos, 15. & 1.
Corinthiorum, cap. 15. & 2. Corinthiorū,
cap. 10. 11. 12. Ad Ephesios, 3. Ad Philippen-
ses, 3. quæ quoniam referri omnia nō pos-
sunt, satis illud erit primæ Corinthiorum
9. Bonum est enim mihi māgis mori, quām
ut gloriam meam quis euacuet. At quam
tandem gloriam? Vt Euangelium (inquit)
prædicans, sine sumptu ponam Euangeliuū.

Quomodo igitur potest accusari studium
gloriæ, quod in tantis viris tam ardens
fuit?

Secundò, Deus ipse palām nobis præci-
pit, vt gloriam appetamus, à quo turpia
præcipi existimare impium est. Vt Ecce-
siastici, 41. Curam habe de bono nomine. Et
ad Romanos. 12. Prudentes bona non so-
lūm coram Deo, sed etiam coram homini-
bus. Quod idem se facere dicit, 2. Corin-
thiorum, cap. 8. Et ad Philipenses, 2. Vt si-
tis sine querela, & simplices filij Dei, sine
reprehensione in medio generationis præua,
& peruersa, inter quos lucetis sicut lumi-
naria in mundo. Et ad Titum, 2. In omni-
bus

Eccles. 41.

Ad Rom. 12.

2. Cor. 8.

ad Phil. 2.

bus te ipsum præbe exemplum bonorum ope-
rum, in doctrina, in integritate & grauita-
te, verbum sanum, irreprohibibile, ut is
qui ex aduerso est vereatur, nihil habens
malum dicere de nobis.

Tertio, Deus non modò non deterret
nos à gloria, verùm illam etiā nobis s̄epe
numerò proponit, tānquam incitamen-
tum, p̄emiumquē virtutis, vt alacrius nos
in p̄eclaris operibus exerceamus. Vt Deu. 4:
teronomio, 4. *Hac est enim vestra sapien-
tia, & intellectus coram populis, vt audiен-
tes vniuersi precepta hac dicant, en popu-
lus sapiens, & intelligens, gens magna.* Et , Reg. 2:
primo regum cap. 2. *Quicunq; honorifica-
uerit me glorificabo eum, qui autem contē-
nunt me erunt ignobiles.* Et Ecclesiastici, Eccles. 10:
10. *Semen hominum honorabitur hoc quod
timet Deum, semen autē hoc exonorabi-
tur quod praterit mandata Domini.* Dēmū
Paulus magnis laudibus effert Romanos,
Philippenses, Colossenses, & alios, vt eos
quasi calcaribus quibusdam excitet ad
virtutem. Corinthios obiurgat, & Galas-
tas stultos vocat, vt metu ac dolore dede-

coris se se à turpibus auocent. Quamobrem egregios, & florentes viros, cùm in cæteris scripture libris, tūm in fine Ecclesiastici eximiè laudari Deus voluit, malòsq; reprehendi, vt nos aut laudibus incenderemur aliorum, aut ignominia terreremur. Nihil igitur appetere gloriam vetat.

C A P V T. X.

De appetitione gloria per se ipsam.



ATIS vt opinor ex instructa argumentorum acie intelli-
gi potest magna huius quæ-
stionis difficultas, quam ita
morum nostrorum corrup-
tio, peruersioq; auxit, vt maximo quidem
labore explicetur: sed multò profectò ma-
iori persuadeatur. Ac nos sanè Deo (cui
maximè confidimus, & cui accepta om-
nia referimus) propitio, vtrunque tenta-
bimus, vtinam eam nobis, omnibusquæ
qui hæc legent, mentem donet, vt nec tē-
mere, nec frustra aliquando tētasse videa-
mur. Quam quidem disputationem Hie-

ronimus Osorius Lusitanus homo magna doctrina, summa eloquentia quinque libris, quos de gloria scripsit, complexus est, in quibus, ac præsertim in extremis duobus, his ipsis ferè argumentis, quæ nos exposuimus, gloriam ardentissimè Christianis hominibus expetendam esse confirmat. Sed quoniam finis externi in ea appetenda non videtur meminisse, nec adiecit ea, quæ adhibenda essent, ut appetitionem à culpa, & reprehensione liberarent. Nos non cōtra hominem, quem etiam ignotum, ingenij, & eruditionis causa mirifice laudamus, & amamus, quemquæ id non lateret, sed contra verba ipsa, quæ multos inducere in errorem queunt, seruata fraternæ charitatis lege, depugnabimus.

Principiò pono gloriam per se ipsam, si nihil aliud addatur, sinè peccato appeti non posse. Et ea cùm ita appetitur omnia opera nostra, quamvis præclara, & excellētia, fædari penitus, & contaminari. Itaq; & siquitquam omni genere virtutis excultus sit, & ornatus, omniumquæ prædicatione dignissimus, tamen si laudem per se

Osorius Lu
sitanus.

Conclus.
Gloria, per
se appeti
non potest.

Liber primus.

ipsam appetat, nec ad alium honestum finem referat, peccat omnino, & quæcunq; eo animo facit, quamuis excellentissimorum virtutum opera videantur, peccata sunt, atque ad hoc quidem approbandum sic progradimur.

Primùm eam à viris maximis, & sanctissimis declinari, & contemni videmus. Nam Christus sæpè numerò editis admirabilibus operibus iubebat ea reticentia tegi, ut Mathæi, 8. Leproso inquit. *Vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdoti.*

Math. 8.

Ioan. 5.

Et Ioannis quinto, ait. *Se claritatem ab hominibus non accipere.* Et cum ad homines erudiendos se applicauit nihil aliud frequenter inculcauit discipulis, quos ex infimae plebe delegerat, quam ut gloriam humnam fugerent, & de se humilierent, atque demissæ sentirent. Omnes autem immodice laudis appetentes verbis acribus insectatus est, eisque præcipitem ruinam, & occasionem denuntiauit. Contra vero, moderatos, & humiles, ingenijque sui opibus difidentes benignè complexus, ad firmissimam spem immortalitatis excitauit. Quod

fatis

satis ostendit & quomodo essent honores
respuendi, cum eos fugit, qui se creare Re
gem volebant, cum vitam inopem, & ab
omni cultu, & elegatia remotissimam se-
cutus est. Adeoque gloriam hominum cō
tempsit, illumq; gloriæ mortiferum vul-
nus ita extinguere curauit, ut vltro sœpè in
magnō dedecore incurrerit, insignes con-
tumelias pati, grauiissimas ignominias ac-
cipere, multisq; flagris cædi, & (quod mor-
tis genus erat olim maximo dedecori) in
crucem tolli, voluit. Ut ex Psalmo, 68. re-
fert Apostolus ad Romanos, 15. *Etenim* ad Rom. 15.
*Christus nō sibi placuit, sed sicut scriptum
est, improperia impropenantium tibi ceci-
derunt super me.* Et Moyses cum in mag-
na nominis celebritate viuere posset apud
Ægyptios, maiores diuitias æstimauit the-
sauro Ægyptiorum improprium Christi, ad Hebr. 11.
ut ad Hebreos, 11. Paulus inquit.

Atq; ut alios missos faciam, quis Paulo
dignior gloria, aut quis illius contemnen-
tior? 1. Corinthiorum, cap. 4. *Mibi autē* 1. Coriat. 4.
(inquit) *pro minimo est, ut iudicer à vobis,*
vel ab humano diè. Et, 2. Corinthiorum, 6. 2. Corint. 6.

Liber primus,

Per gloriam & dignitatem, per infamiam,

Ad Galat. 1. Et bonam famam. Et ad Galatas, 1. An

quero hominibus placere? si adhuc homini-
bus placerem, Christi seruus non essem. Et, 1.

x.ad Thes. 2. ad Thessalonicenses, 2. Ita loquitur non qua-

si hominibus placentes sed Deo, qui probat
corda nostra. Quam obrem vehementer

reprehenduntur qui sibi gloriam querunt,
quasi aliquid aduersus Christi instituta fa-

cientes. Ut Ioannis, 5. Quomodo vos po-
testis credere, qui gloriam ab iniicem acci-

pit? & gloriam quae a solo Deo est, non qua-
ritis? Et cap. 7. Qui a semetipso loquitur

gloriam propriam querit, qui autem querit
gloriam eius qui missit eum hic verax est,

& iniustitia in illo non est. Ostendere aper-
te videtur eos, qui gloriam propriam que-

runt, neque veraces esse, neque iustos. Et Pau-
lus, 1. Corinthiorum, 4. Quid autem habes

quod non accepisti? Si autem accepisti, quid
gloriaris, quasi non acceperis? Et ad Galata-

ad Galat. 6. Nam si quis existimat se aliquid esse,
cum nihil sit, ipse se seducit. Quibus in

locis non modo desiderium gloriae, sed
ipsam etiam radicem euellere conatur: ut

non

non videamur nobis metipsis digni gloria, atq; ita laudem minimè appetamus. Nec verò hic spiritus veritatis stetit, perspicue homines docuit gloriam esse fugientiam: & quæ cius amore fierent innania esse omnia. Vti, i. Corinthiorum, 13. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut glorier, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Scio èquidem apud nos legi (ita vt ardeam) non (ita vt glorier,) Sed tamē Hieronimus in commentarijs epistolæ ad Galatas, cap. 5. ita legendum putat, & apud nostros errorem in ueterâsse dicit ob Græcorum verborum similitudinem: *Vna enim litera differunt apud Græcos ardeā, & glorier.* Sed de hoc quidem testimonio non pugno: Video enim parum ad eum locū pertinere siquid de gloria diceretur, aliudque agere Paulum. Tum Chrisostomum, & Theophilatum, aliisque per multis legisse (vt ardeam) non (vt glorier.) Et Hieronimus ipse docet variare Græcorū exemplaria.

Ad alterum venio quod firmissimum
and ist;

Hier. in co-
men. epist.
ad Galat. c.

Liber primus,

Math. 6:

est, & apertissimum apud Mathæum cap. 6. ita laudis contemptor Christus instituit suos. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosinam, noli tuba canere ante te, sicut Hypocrita faciunt in Sinagogis, & in vicis, ut honorificantur ab hominibus. Amē dico vobis receperūt mercedē suā. Et statim. Et cū moratis, non eritis sicut Hypocrita, qui amant in Sinagogis, & in angulis platearum stantes, orare. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Et cū ieunatis, nolite fieri sicut Hypocrita tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cū ieunas, vnge caput tuum, & facie tuam lauane videaris hominibus ieunans. Est igitur audax, & impium facinus, cū humilitatis auctorem Christum rerum omnium dominum habeamus, clāritatē nominis aucupari velle. Illius enim sunt hæc monita, præcepta, instituta, quibus

būs gloriam euersam, & extinctam conspi-
cimus. Si legitur Christum optimum maxi-
mum, pura, integra, & incorrupta mente
veneramus: si illius disciplinā, in qua om-
nis immortalitas, atq; beatæ vitæ ratio cō-
sistit, sequendā existimamus: si non nomi-
ne dumtaxat, sed re ipsa Christiani sumus:
ōmnem gloriæ appetitum coercere debe-
mus. Aut enim summi illius Rectoris disci-
plina repudianda est: aut gloriæ cupiditas
ex animis extrahenda. Vtrumquē enim
fieri non potest, vt & Christo obtempere-
mus, & gloriæ seruiamus. Cūm ergo nihil
sit, quod tā repugnet cum Christi optimi
maximi disciplina, religione, sanctitate,
quid causæ est, cur non à gloria, tamquam
à re pestilenti, atquè perniciofa fugiamus?
illiusquē impetum summa animi conten-
tione comprimamus?

C A P V T. XI.

*Quod verus si scriptura sensus, qui
expositus est.*

IN TAM perspicuis diuinarum literarū
testi

Liber primus,

testimonijs, superuacaneū omnīnō vide-
retur, vel ex sanctorum patrum libris, vel
ex humanis argumentis aliquod auctorita-
tis pondus, aut firmamenti adiungere, nisi
ipsa maximum momentum haberent ad
probandum verum esse scripturæ sen-
sum, qui à nobis expositus est, idquè ita
semper maioribus nostris fuisse persua-
sum.

Hier. in Ma-
th. cap. 6.
Hier. epist.
ad Galat. c.
5.
Hier. sent.
de appetitu
gloriz.
Lucx. 7:
1103

Hieronimus in Mathieum cap. 6.
socratica inductione usus in ijs hominum
generibus, quæ à Domino acusantur. *Ex*
quibus (inquit) omnibus colligitur, Hypo-
critas esse, qui quodlibet faciunt, ut ab homi-
nibus glorificantur. Et epistola ad Gala-
tas, cap. 5. *Iam dudum cupio in verba pro-*
rumpere, sed teneor timore dicendi. Dicam
tamen, nec tacebo passionem meam, passio-
nem penè communem, non de diuitijs, non
de potentia, non de pulchritudine, & corpo-
rum venustate: hac enim manifestè inter
carnis opera nominantur. Eleemosina si ob-
laudem fiat, innanis est gloria, longa ora-
tio, pallor ex ieiunio sequens. Nō meas sunt
verba, sed saluatoris in Euangelio pertonā-
tis. Ip[er] quoq[ue] castitas in matrimonio, vi-
duita

duitate, virginibus, sapè plausum querit hu-
manum. Et quod dudum timeo dicere (sed
dicendum est) martyrium ipsum, si ideo
fiat ut admirationi, & laudi habeamur à
fratribus, frustra sanguis effusus est. Lo-
quatur Apostolus, loquatur electionis vas.
Si tradi dero corpus meum ut glorier, chari-
tatem autē non habeam, nihil mihi prodest.
Illi qui dixerat. Scio hominem in Christo
ante annos quatuordecim, siue in corpore
nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit,
raptum usq; ad tertium cœlum. Et post mo-
dicū. Raptus in Paradisum, audiuit arca-
na verba, qua non licet homini loqui. Illi
(inquam) qui plus omnibus laborauit, ne
magnitudo reuelationum extolleret eum,
datus est stimulus carnis eius, Angelus Sa-
tana, qui eum colaphizaret, ut non extolle-
retur: & certè ter dominum roganuit, ut dis-
cederet ab eo, sed dictum est ei. Sufficit tibi
gratia mea. Virtus enim in infirmitate per-
ficitur. Quid tam Dei opus, quam scrip-
turas legere? in Ecclesia prædicare? sacer-
dotium cupere, ante altere domini ministra-
re? sed & hac, nisi aliquis omni diligentia
custo-

1. Corin. 12.

1. Corin. 13.

Liber primus,

custodierit cor suū , de cupiditate laudis
oriuntur. Videas plerosq; (quos etiam Tu-
llius ait) libros suos de contemnenda gloria
inscribere, & causa gloriae, proprij nominis
titulos pranotare, interpretamur scriptu-
ras, sāpē vertimus stylum, quæ digna lectio-
ne sunt, scribimus, & nisi Christi causa
fiant, sed memoria in posteros, & fama in
populos, totus labor irritus fiet, & erimus
quasi tympanum sonans, & cymbalum cō-
crepans. Hæc Hieronimus.

Hier. epist.
ad Eusto. de
custod. vir-
ginit.
Et ad Nepo-
tian. de vita
cleric.
In fin. lib. 6.
com. in Efa.
Aug. lib. 2.
de term. do-
mini in mō-
te. c. 1. 2. & 3.

Hoc idem multis comprobat testimo-
nijs in epistola ad Eustochium de custodia
virginitatis, in epistola ad Nepotianum
de vita clericorum, in calce libri sexti com-
mentariorum in Esaiam , alijsque sāpē in
locis. Augustinus grauiter (vt solet) & co-
piosè hoc docet libro, 2. de sermone Do-
mini in monte, cap. 1. 2. & 3. & in princi-
pio secundi ita , inquit, *Laus enim huma-
na non appeti à recte faciente, sed subse-
qui debet recte facientem: ut illi proficiant,
qui etiam imitari possunt, quod laudant,
non ut hic putet aliquid eos sibi prodeſſe,
quem laudant.* Et cap. 3. ostendit. Hinc

Domi

Dominus id se prohibere, ne ea merces appetatur, qua stulti gaudent ut laudentur ab hominibus. In epistola autem quinquagesima sexta mirificè de hac re dissebit, Dioscorumq; vehementer obiurgat, & quidē quam alios soleat acerbius, quòd aliquid à te quereret, ne id rogatus ignoraret indoctus, & hebes ab hominibus putaretur, Quā enim (inquit) peruersè tu ipse nō ob aliud ad ea discenda quā inrerrogas, raperis, nisi ut lauderis, aut non vitupereris ab hominibus: tā peruersè etiam nos putas in tua petitione, talibus causis allegatis, moueri. & utinā possemus efficere, ut tu quoq; tam inani atq; fallaci humana laudis bono minime mouereris, cū tibi nos indicaremus non ad praestandum tibi, quod petis, quoniām hac dete scribis, sed ad te corrigendū moueri, Si intetrogatus quis nō responderit (inquis) indoctus & hebes putabitur. Quā ro enim cur nō dixeris, qui nō respōderit indoctus & hebes manifestabitur: sed potius dixeris qui nō respōderit, indoctus & hebes putabitur: nisi, quia satis etiā ipse intelligis, cū qui talia nō responderit, nō esse indoctū

& vug. epist.
sc. ad Dios-
corum.

Liber secundus,

*E*hebetem sed putari. At ego te admoneo, eum, qui talium putatorum linguis tan- quam falcibus concidi timet, lignum esse aridum, *E* ideo non putarit tantum indoc- tum et hebetem: sed verè esse atque conuinct.

Aug. lib. 5.
de ciuit. ca.
12. & sequē
tibus.

Cap. 13.

Horat. lib.
Epit. epil.
1.

At non alibi vberiùs, nec melius, quàm in lib. 5. de ciuitate Dei cap. 12. & sequenti- bus, & potissimum cap. 13. vbi ita exordi- tur, *Nam saniùs videt, qui E amore laudis vitiu[m] esse cognoscit. Quod nec poe-* tam fugit Horatium, qui ait:

Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quate

Ter purè lecto, poterunt recreare, libello.

Horat. lib.
2. carmin.
ode 2.

Idemque; in carmine Lyrico ad repri- mendam dominandi libidinem ita ceci- nit.

*Latiùs regnes auidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, E uterque Pœnus
Seruiat uni.*

Aug. lib. 5.
de ciuit. ca.
14.

Etcapite decimoquarto, cuius initium est, *Huic igitur cupiditati melius resistitur sine dubitatione, quam ceditur. Tantò enim quisque est Deo similior, quanto ab hac immuni-*

immunditia mundior, quæ in hac vita &
si non funditus eradicatur ex corde, quia
etiam bene proficientes animos tentare non
cessat, saltem cupiditas gloria superetur di-
lectione iustitia, & amor humana laudis
erubescat, & cedat amori veritatis.

Gregorius appetitum laudis humanæ
vbiq; inter peccata enumerat, vt libro
sextō moralium capite vigesimo septimo,
& libro vltimo capite vltimo, & homilia
quarta, & trigesima sexta in Euangelia.
Idemque quomodò appeti posuit expo-
nit in libro vigesimosecundo moralium
à capite sexto vsque ad vndecimum, & in
noueno optimè sic ait, *Qua videlicet attes-
tatione, quid nobis innuitur, nisi quod no-
bis magno metu, & circumspectione opus
est, ne mens nostra unquam de suis laudi-
bus vel tacita latetur? Quisquis enim quasi
claritatē luna, fama sua magnitudinē con-
spicit, sibi in occulto mentis gaudium facit.
Cui iste nisi auctori se pratulit, cuius do-
no, vt bene operaretur, percepit, & tamen
in eius munere de gratia sua laudis bi-
larescit? Despecto enim honore conditoris,*

Glorię cu-
piditas di-
lectione ius-
titia supe-
randa.

Greg.lib. 6.
Moral.c. 27.
& lib. vlt.
ca. vltimo,
& hom. 4. &c
36. in Euāg.
Et lib. 2.
Moral. a ca.
6. vñq; ad 11.

In c. 9.

semetipsum plus amare conuincitur, cuius
præconijs latatur.

Quomodo
sancti viri
aliquando
gaudent de
sua bona o-
pinioae.

Quamuis nonnunquam etiam sancti vi-
ri de bona sua opinione gaudеant, sed cùm
per hanc ad meliora proficere audientes pе-
fant, nec iam de opinione sua, sed de proxi-
morum gaudent utilitate: quia aliud est fa-
uores querere, & aliud de prospectibus exul-
tare. Quia in re necesse est, ut cùm audien-
tium utilitati non proficit, mentem nostrā
fama laudabilis non eleuet, sed fatiger.
Cùm enim humana lingue attestatione
ludamur, occulta pulsatione requirimur,
quid de nobis ipsis sentiamus: ut in hoc
humiles permaneamus. Superba etenim
mens, etiam cùm de se falsa bona dicuntur,
exultat, quia non apud Deum qualiter vi-
uat, sed apud homines qualiter innotescat,
excogitat. Iudicium enim de se omnipoten-
tis Dei despiciens, & solummodo hominum
quarēs, inter auditas laudes, extollitur, &
qui hoc solum quasierat, quasi de brauio
operis latatur. At contra si cor veraciter
humile est, bona qua de se audit, aut mini-
me recognoscit, & quia falsa dicuntur

me-

metuit: aut certè si adesse ea sibi veraciter
scit, eo ipso formidat, ne ab aeterna Dei re-
tributione sint perdita, quòd hac considerat
hominibus diuulgata, paucetq; vehementer,
ne spes futuri muneris in mercedem permu-
tetur transitorij fauoris. Quia ex re agitur,
ut electorum animus magno laudum sua-
rum igne crucietur, atq; ab omni torporis
sui rubigine, marore cogitationis excoqua-
tur. Cauta enim consideratione trepidat,
ne aut de his, in quibus laudatur, & non
sunt, maius Dei iudicium inueniat: aut de
his in quibus laudatur, & sunt, competens
primum perdat. Vnde plerunq; fit, ut si-
c ut iniustus ex laude sua polluitur, ita vir-
iustus audita sua laude purgetur. Nam
dùm bona, qua egit, ab hominibus proferri
cognoscit, subtile contra se, ut dictum est,
extremi iudicij examen metuit, ac trepidus
ad conscientiam recurrit, & quidquid illic
ineft reprehensibile, corrigit. Dùm enim bo-
na sua innotuisse formidat, subtilitatem
secuturi examinis pertimescens, si qua in
se mala occulta sunt, amputat, paucet
namq; si saltem talis Deo non ostenditur,

qualis ab hominibus putatur, & neq^z con-
tentus est, ut in quo potuit innotescere, in
hoc debeat remanere. Iam enim de bonis
suis, quasi retributionem sibi factam esti-
mat, nisi eis, & alia, qua ab hominibus nes-
ciuntur, adiungat. Vnde bene per Salo-
monem Prouer. 27. dicitur. Sicut probatur in confla-
torio argentum, & in fornace aurum: ita
probatur homo ore laudantis. Argentum
quippe vel aurum si reprobum est, igne con-
sumitur, si probum vero, igne declaratur.
Sic nimirum est & sensus operantis. Nam
qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur.
Si enim se, auditis suis laudibus, extollit,
quid iste aliud, quam aurum, vel argenti
reprobum fuit, quem videlicet fornax lin-
guæ consumpsit? Si autem fauores suos au-
diens, ad superni iudicij considerationem
redit: ac ne de his apud occultum arbitrum
grauetur metuit: quasi ex purgationis igne
ad magnitudinem claritatis excrescit, &
vnde incendium trepidationis sustinet, in-
de clarius fulget. Hæc egregie & diuine
Gregorius.

Ambrosius quoq^z; ipsam appetentiam
gloriæ

glorię maximè fugiendam docet lib. I. officiorum, cap. 39. & lib. 6. in cap. 9. Evangelij Lucæ.

Bernardus in illis verbis Apostoli, *Qui gloriatur in domino glorietur*: Sermone de triplici gloria. Et sermone quarto super cantica, inquit, *Si in te, & non magis in Domino gloriaris, propriam profecto, & non domini manum osculari conuinceris, quod iuxta beati Iob sententiam est iniquitas maxima, & negatio in Deum*. Idem asserit sermone decimo tertio in cantica dicens: *Quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris*. Et in epistola decima octaua ad Petrum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, quæ incipit, cum totum me dedero, sic ait, *Pudet nimis granditer exultare, cum sentio in me venerari, vel diligi, non quidem quod sum, sed quod putor*. Neque enim ego tunc diligor, quando sic diligor, sed nescio quid in me pro me, quod non sum ego, immo, ut verius loquar, non nescio, nam certissime scio, quod nihil. Nihil enim procul dubio est quidquid putatur & non est, porro cum amatur quod

Amb. lib. I.
offic. cap. 39
& libro. 6.
comm. in c.
9 Lucæ.

Bern. serm.
de triplici
gloria.
Et sermo 4.
super cant.
& 13.

Et in epist.
18. ad Petr.
Cardinalē.

Liber secundus,

non est, sed esse putatur, non amor vel amas
nihil est, sed quod amatur. Mirandum sed
magis dolendum, quam mirandum, quod
id quod nihil est, amari potest. De uniuersa
li vanitate inest nobis ergo velle laudari,
cum simus vituperabiles, ergo nolle laudare,
quos scimus esse laudabiles. Sed ergo hoc va-
num est, quod nostra plerunque ignorantia
ergo tacetur quod est, ergo prædicatur quod non
est, quid ad ista dicemus? nisi quia vanifi-
lij hominum, mendaces filij hominum in sta-
teris, ut decipiant ipsi de vanitate in id ip-
sum. Laudamur mendaciter, delectamur,
inaniter, ut ergo vani sint, qui laudantur,
ergo mendaces, qui laudant. Alij laudantur,
ergo facti sunt, ali j laudant, quod putant,
ergo falsi sunt. Alij utrorumque praconijs glo-
riantur, ergo vani sunt.

Chrisost.
hom. 1. in c.
2.
Epist. 2. ad
Timor. &
hom. 17. in
Epist. ad Ro-
man. 8 & 28.
in c. 1. Ioan.
& hom. 2.
in Epist. ad
Tit. in c. 1.

Chrisostomus, grauiter, & docte idem
facit, & docet multis in locis in homilia
S. in cap. 2. secundæ Timothei, & homilia
decimaseptima epistolæ ad Romanos,
in caput decimum. Et in vigesimo octaua
in caput tertium Ioannis. Et præser-
tim in homilia secunda in commenta-
rijs

rijs epistolæ Pauli ad Titum in caput pri-
 mum. Cuius quidem verba quia digna
 sunt memoria, & ad rem, quam agimus
 accommodatissima; gratum fuit ad lon-
 gum in presenti referre. *Nihil est* (inquit)
 quod huiusmodi vitia, perturbationesq;
 nō
 vitient & perimant. Caterūm quemādmo-
 dū venti quidē feri & immanes, cū in sere-
 num irruerint pelagus, ipsum totū à fundo
 perturbant, adeò, ut, & arena sapius vndis
 immisceatur: ita, & ha perturbationes, cū
 in animam irruperint, cuncta permiscent:
 & qua superiora erant, ad infima detra-
 bunt, excacentq; mentis clarissimum lu-
 men, atq; in primis gloria vasana cupido.
 Nam pecunias quidem facile quisq; con-
 temnet, dum id instituerit. Porro hono-
 ris esse negligentem, laudemq; non affecta-
 re multorum maximo labore indiget. Mag-
 naphilosophia, & anima cuiusdam ange-
 lica, & qua ipsum verticem cardinis cœ-
 lestis attigerit, certum argumentum. Nu-
 llū enim profecto pernitiosius vitium est, nulla
 magis violenta perturbatio, & qua ita ser-
 me omnibus in locis obtineat, alibi amplius,

Liber secundus,

atq; alibi minus, ubiq; tamèn. Quomodo igitur ipsam superare poterimus, & si nō penitus, tamen ex parte aliqua? Si in cœlū semper nostros defigamus obtutus, si Deum habeamus ante oculos, si cogitationes, sensuq; nostrum terrenis omnibus celsiorem facere studuerimus. Quoties te gloria desiderium tangit, finem considera, & eam nihil esse reperies. Inspice quantum in se habeat detrimenti, quantis, qualib; busq; priuet bonis? Nam labores quidē subiisti, & pericula, dū eā cōsequereris. Caterū fructibus, pramissq; caruisti. Intuere quod ingens sit turba maiorum, eorumq; gloriā despice, unumquēq; recogita, quis nam sit? & videbis ridiculā penitus rem, animaduertes eam confusionē potius esse, quam gloriam. Post hoc incœlum attolle animum, atq; ad caelestes choros cogitatione subuehere, & cum boni aliquid agis, animaduerte quod, & hominibus id oportet innostescere, utilitatis ipsorum gratia, non ipse tamen id appetas, quod & hominibus id oportet innostescere. Et quos, oro, inquiris inspectatores operistui, quoties videri cupis, attende quod hæc

Deus

Deus omnia inspicit, & protinus omnis illa concupiscentia extinguitur. Atollere ab humo, cælesti versa animo theatrum. Homines, & si in præsentiarum laudent, post modicū vituperabunt, inuidebunt, carpēt, & si hoc minimè fecerint, nihil tamen illi penitus proderunt, quem laudant. Et paullò post, Honore perfrueris, abiçce illum, atq; ex animo prorsus elimina non ignorans ex huiusmodi te fieri debitorem. Qui enim fruitur honore mortali, ingentemq; ab hominibus consequitur gloriam, prater id quod maioribus debitis obnoxius fit, in arrogante sàpè tumorem, atque inanem gloriam tollitur, efficiturque hominum seruus. Ista nos & ad principes, & ad subditos dicimus. Anima omnis, qua honoris teneatur appetitu, & gloriam ab hominibus querit, non videbit regnum cælorum. Non mea hac ratio est, à me ipso ista non loquor. Hac verba Dei spiritus profert. Non videbit gloriam Dei, qui eiusmodi est, etiā si virtutis opus exerceat, receperunt enim (ait) mercedē suam, nihil profecto humana gloria vilius, nihil abiectius. Vnum igitur intue-

Liber secundus,

intueamur solum, ad id tota nostra dirigatur intentio, quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Si hoc intentem inspiciamus humana semper omnia nihil estimabimus, (ut non dicam non appetemus) parati semper, ea si ad finit despicere, non secus, quam lutum, in aurum comparzione, renuentes.

Greg. Nazianz. orat.
10 de pau-
perum amo-
re.

Idem confirmat Gregorius Nazianzenus oratione, 16. de pauperum amore, & in qua re gloriandum sit ostendit, dicens, *Ne glorietur sapiens in sapientia sua, nec diuinos in opibus suis, nec fortis in viribus suis, nisi ad summum quidem, partim sapientiae, partim diuinitarum, partim potentiae peruererint. Ego vero ea, quae his consentanea sunt, adjiciam, nec clarus, & celebris in gloria, nominisq[ue] splendore, nec qui incolumentudine est, in sanitate, nec pulcher in forma præstantia, nec iuuenis in iuuenili atate, nec (ut rem uno verbo complectar) in illa aliare ex ijs, quæ apud mortales laudi ducuntur, is, qui ea intumescit: verum qui gloriatur hac una in re gloriatur, quod Deum cognoscat, ac requirat, & calamitosorum vicem doleat, atque*

que ad futuram vitam boni quidpiam sibi
recondat. Cetera enim omnia fluxa, & fra-
gilia sunt, ac, velut in calculorum ludo, alia
ad alios ianctantur, & transferuntur: nec
quidquam est ita possidetis proprium, quod
non vel temporis tractu finem capiat, vel
liuore ad alios traducatur. Hac vero certa
& fixa sunt, nec unquam recedunt, ac
dilabuntur, nec spes eorum, qui fiduciam
in his collocarunt, frustrantur. Vnde in
carmine iambico decimo octauo de virtu-
te sic ait.

*Mudana nanq; gloria, est ventus leuis.
Quod similiter egregie ostendit la reue-
renda & deuotissima vergine de Christo
Donna Battista de Genoua canonica re-
golare Lateranense, in primo tomo ope-
rum suorum in illis verbis Apostoli episto-
la prima ad Timotheum cap. 1. Soli Deo
honor & gloria. Al solo Dio (inquit) si de-
ue ogni honor & gloria. Le altre perfe-
zioni benignamente partecipa conli suoi
cari, come el amore, la sapientia, la bon-
ta, & simili, cosi dimonstra il signore dicen-
do. Estote perfecti, sicut & pater vester
caelestis*

Idem carm.
18. Iambico
de virtute.

Donna Ba-
tista da Ge-
noua in apé-
dice opera
c. 10, tom. 1.

z. ad Tim. 1.

200. dda

nam ab. et

Bassi de b

2813

Math. 5.

Liber secundus,

- cœlestis perfectus est. Si atte perfetti come
Gloria sua
à nuno do
na iddio.
Ioan. 8.
perfecto è il vostro padre cœleste. Ma della
gloria, non solamente a noi non ne da par-
te, ma a se stesso il mio amor in quanto
huomo, non se piglia punto, ma dice. Si
ego glorifico me ipsum, gloria mea, nihil
est. Si io cerco la gloria mea, la gloria mia
è un bel niente. Et in un altro luoco dice.
Ame ipso facio nihil, dame stesso facio nul-
la. Dimodo che sempre che lo diamo qual
si boglia persona, non bauendo le ochio à
Dio dalqual ogni bene procede, ma res-
tando in essa persona. Parmi si dica una
bugia, per che ni un bene puo nascere, se non
da una causa sola. Idem dicit in trattate-
lo della vita spirituale, cap, quinto in illis
verbis Pauli ad Galatas sexto. *Qui se exis-
timat aliquid esse, cum nihil sit.* Hoc
etiam confirmat beatus Esaias Abbas
in oratione de mundi abrenunciatio-
ne, quæ est decima septima, qui sic ait.
*Qui vero gloriam hominum diligit, is vi-
tiorum expers esse non potest, sed amula-
tio, & inuidia habitant in eo, is animam
suam multis temptationibus exponit, &*

cor

Dona Batif.
ta da Geno-
ua, intract.
della vita
spirit. ca. 5:
tom. 3.
San Esaias
Abb. orat.
17. de mun-
di ab ren-
ciat.

cor eius à demonibus conuulnatur, cum explenda cupiditatis sua locum non semper inueniat: finis autem eius interitus.

Et tandem Boetius de consolatione libro tertio prosa sexta, hoc ipsum exprimit dicens: *Gloria verò quam fallax səpē, quam turpis est.* Vnde non iniuria Tragicus exclamat, *O gloria, gloria, in nullibus mortalium nihil aliud facta, nisi aurium inflatio magna.* Plures enim magnum səpē nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt. Quo quid turpius excogitari potest? Nam quæ falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Quæ si etiam meritis conquisitæ sint, quid tamen sapientis adiecerunt conscientiæ, qui bonum suum non populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur? Optimè etiam hoc ipsum docet Laurentius Surius in vita sancti Barbatiani confessoris dicens. *Quid ergo nos miseri dicturi, quid facturi in districto examine tremendi iudicis sumus, qui & virtutes non habemus, & tamen de meritorū execellētia.*

Boet de cō
fol.li.3. pro
fa.6.

Laur. Sur.
in vita San
Barbatiani
conf. to. 6.

82 . 113. LIBER PRIMUS

ante humanos oculos superbimus? qui sanctitatem habere ante interni arbitri oculos nullo desiderio querimus, & sanctitatis non men apud humana judicia nobis fallaciter usurpare gaudemus? Affectantes nimis laudes hominum in semetipsis dissipat fructus laborum. Cumque se ostendere alienis oculis appetunt, ante diuina maiestatis intuitum damnant omne quod agunt. Perpendite fratres mei, quam miserabilis vacordia est, laboriosè agere, & ab ore hominum laudibus inhibare: fortius opere praeceptis cœlestibus inseruire, sed terrena retributionis premium querere. Sicut enim beatus ait Gregorius, qui pro virtute quam agit humanum fauorem desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Vnde cœli regnum mereri potuit, inde famam transitorij fauoris querit. Intus ergo, fratres mei, intus seruanda sunt bona, que agimus, si ab interno iudice vice recipere nostri operis expectamus. Hinc est, quod in Euagelio veritas dicit. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextrata tua, ut sit eleemosyna in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet ti

bi, hinc est, quod de electorum ecclesia per Psalmistam dicitur. *Omnis gloria eius filia Regis ab intus filia Regis, est sancta Ecclesia, quæ in bono est opere spiritualiū princi pū prædicatione generata, quæ dū se in virtutibus sanctæ cōuersationis exercet, quia per hoc soli Deo placere studet, non foris gloriā, sed intus habet.* Hinc Paulus ait, *gloria nostra hac est, testimoniuū consciētiae nostræ.* Gloriā suā Apostolus testimoniuū consciētię memorat, quia fauores oris alieninō appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorabat. Occultāda sūt ergò fratres charissimi, bona quæ agimus, ne hæc in huiusvitę itinere incautè portantes, latrocinatiū spirituū incursione perdamus.

Idē videtur in sermone beati Petri Damiani de sancto Nicolao Episcopo Mirēsi & habetur, 8. tho. Aloysij Lipomani, & in Surio in vita eiusdē Nicolai, thom. 6. *Audi & breuiter (inquit) de honoribus. Duce me te constituerunt, & data cest tibi facultas, ut miseras, & amplius non quiescas. Cumulatur materia sollicitudinum, & inter aruminas cor ipsum exedentes, necesse*

Psalm. 44.

2 Corint. 5.

S. Petr. Damian. serm. de f. Nicol. Epis. Aloys. Lipom: tomo. 8. Laur. sur. tomo. 6. in vi ta Nicol.

L est

Liber primus,

est vultum induere gaudiorū. Nunquid in honore sine dolore, in prelatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Audi & de gloria. Si queris gloriam, omnibus inuidia semina præbuisti: inflatus es, & ventilatorio spiritu plenus disruperis: nec attendis quot te sequatur: sed quot præcedant. Cōglomerantur omnes ad detrahēdū tibi: ad male dicēdū, linguas acuunt: & argutissimus es, si vel lingua vel manū inuidorū possis euadere. Ecce unde gloriosus esse volebas, inglorius esse cōuinceris. Nullū enim inexorabilius persequitur multitudo, quam illum qui sibi multitudinis arrogat principatum.

Sur in vita
S. Mariæ &
gyptiacæ to
me, 2.

Et in vita beatæ Mariæ & egyptiacæ idē Surius hoc ipsum dicit consuetudinē cuiusdā antiqui monasterij & illorū sanctorum patrū ostēdens, dicens. Hic est itaq; huius monasterij canon, & ita perfectè & optimè constitodiebatur. Vnusquisq; enim, ut dictū est, per solitudinē Deo iungebatur, & in semetipso decertabat, ne hominibus placeret, sed soli Deo. Illa enim, quæ propter homines fuit, ut hominibus placeant, aguntur, & nō solum

soliū nō proderunt facientibus, sed multo dā
no talia agentibus efficiuntur obnoxia.

Nilus Monachus de interēptione sancto
rum patrū qui erant in regione Sinæ, hoc
etiam refert, ut habetur in Surio, tom. I. di
cens. Sibi autē & inter se in uicē prohibent
perfectiores unam simul gloriam, & super
biā, iubentes eas cauere non secus ac pe
tras qualatent in mari propè portū, ut que
post multū laborem nauigationis ferunt ad
extremū, & graue periculū eos, qui in ma
ximis vitiorū fluctibus, & tempestate im
mundarū cogitationū, nauem nequaquam
fregerunt. Multi enim, qui nequaquam fra
cti fuerant insultibus temptationū, sed totū
cursum illā si confecerunt, cū sapè post victo
riam confidissent habitui eorum, quae rectē
gesserant, aut in eos, qui se videbātur negli
getius gerere, se erexissent, ceciderūt casula
chrymabili. Nā priuat quidē fortasse vanā
gloria ijs mercedibus, quae dantur propter
labore, & facit operationē, ijs, qui laborant
inutile, est autē cum damno arrogantia, ac
superbia, & nouit magnum conciliare peri
culū, ut quae Deū inficietur eße honestarū

Nilus Mo
nach. de in
teremptio
ne sanctorū
patrū Sinę
in Surio in
vita eorum
tom. I.

11111
at ius dil ni
hosp. agio
translatio
la mense
ob iuste lisi
q. s. ni 263d

rerum cooperatorem: & rerū rectè gestarū sibi adscribat potestatē. Atq; de illis quidē sic dicit propheta. Qui congregat mercedes, congregat in dolium perforatū, ut quæ nōndum iniijciantur, & iam effluant, quæ nō diu maneant indolio, sed mōx ēdolio percurrāt: talis est enim vanagloria. Habet interitū, qui cū lucro cōcurrit, ut quæ in ipso opere deleat id, quod ex eo redit.

De sancta Syncletice, legitur in libro qui communivocabulo, *vitas patrum*, nuncupatur auctore diuo Hieronimo, in libello qui incipit, quod per ostentationem nihil fieri debeat, quod dixisset hæc admirabilia verba. *Sicut thesaurus manifestus citò expanditur, ita & virtus qualibet, cū innotuerit, vel publicata fuerit exterminabitur.* *Sicut ergo cera exsoluitur à facie ignis, ita & anima laudibus inanitur, & amittit virtutis rigorem, seu fulgorem.* Dixit iterum. *Sicut impossibile est uno eodemq; tempore, & herbam esse, & semen, ita impossibile est, ut secularem gloriam habentes cœlestem faciant fructum.* Et in libro Aureo (qui, collationes patrum

Vitas patrū
in lib. qui in-
cipit, quod
per ostenta-
tionem ni-
hil fieri de-
beat in.z.p;

trum nominatur, auctore Ioanne Eremita, qui & Cassianus dicitur) grauissimè, & doctissimè de hac ipsa materia agitur, in II. libr. de spiritu Cænodoxiæ, quam nos vanam, siue inanem gloriam vocamus, vbi perspicuè natura huius appetitus gloriæ, & lethiferi morbi ostendit: & quantum nos cauere à laude, & humana gloria debeamus: ne opera nostra gloriæ vanitas contagio maculentur. Vbi in cap. 2. & 3. Sic ait. *Non solum enim ut cetera vitia in parte carnali, sed etiā in spirituali pulsat subtiliore se nequitia ingerens mēti, ita ut qui non potuerint carnalibus vitijs decipi, spiritualibus successibus acrius sauciētur.* Tantòq; est perniciosior ad conflictū, quanto obscurior ad cauedū. Omnia nāq; vitiorū manifestior, apertiorq; congressus est. habituq; & persona mutata, sub virtutis specie victore confodere, & ingulare pereptat. Nā & in habitu, & in forma, in inceſu, in voce, in opere, in vigilijs, in iciunijs, in oratione, in remotione, in lectione, in sciētia, in taciturnitate, in obediētia, in humilitate, in longintate militē Ghristi vulnere conatur:

Collatio.
nes patrum
libro. II. de
spiritu Cæ-
nodoxiæ.

Cap. 2. & 3.

Liber primus,

Et velut quidā pernicioſiſſimus scopulus
tumentibus vndis obiectus, improuisū, ac
miserabile naufragiū, ſecūdo nauigantibus
vēto, dū nō cauetur, nec prauidetur, impor-
tat. Et in cap. 18. remedia quibus ipsam va-
nā gloriā vitare poſſimus adducit, dicens.
Ideoq; athleta Christi, qui verū, ac ſpirituſa
lem agonē legitime certare deſiderat, hanc
multi formē, variāq; beſtiam omnimodis ſu-
perare festinet. Quā nobis ex omni parte ve-
lut multi plicē nequitiā occurrētē tali reme-
dio poterimus euadere, ut cogitantes illud
Dauidicū elogiū. Dominus diſcipauit offa-
corū qui hominibus placent, primitus nihil
proposito vanitatis. Et in anis gloria capessē-
da gratia nos metiſ ſos facere permittamus.
Deinde ea qua bono initio fecerimus: obſer-
uatione ſimiſ cuſtodire nitamur: ne omnes
laborū noſtrorū fructus poſt irrepens Cano-
doxia morbus euacuet. Quidquid etiam in
couerſatione fratrū minimē cōmunis uſus
recipit, velexerget, omni studio, ut iactātię
deditū declinemus. Et ea qua nos poſſunt in
ter eateros nobiles reddere, as veluti ſolis fa-
ciētibus laus apud homines ſit cōquirenda,
vitemus. His enim vel maximē in diſcījs, Cæ-

nodoxia lethale cōtagiū nobis inhaerere mōs
trabitur. Quod facile poterimus effugere, si
cōsideremus, nō solum fructū laborū nostro-
rū nos penitus amissuros, quos cunq; Cano-
doxia proposito fecerimus: sed etiā reos mag-
ni criminis factos aeterna supplicia (velut sa-
crilegos) soluturos, ut potē qui ad iniuriam
Dei, opus, quod eius obtētu nos oportuit age-
re, bominum gratia maluimus exercere, ab
eo, qui occultorū est cōscius, homines Deo, &
gloriā mūdi gloria domini pratulisse cōuicti:
Sed nō necesse habemus, aut plures, aut lo-
cupletiores testes querere. Nemo est enim
ex taliū numero, qui disfētiait. Rationi verò
quā si thoc valde cōlētaneū, res ipsa indicat

Omnis enim virtus (vt præclarè ait Arist.
2. Eth. cap. 3.) suū habet finē, qui opera re-
ferat: qui, si desit, nullum est opus virtutis.
Quemādmodū, cùm vir fortis intrepid-
se se periculis obijcit, honestate ipsa duci-
tur: (ea est enim virtutum omnium finis,
& scopus) quōd si aliò oculos conijceret,
videri quidem fortis posset, sed non esset.
Cicē. in 2. de finib. latē probat aduersus Epi-
cureos, nō esse virtutis opera, quæ propter
voluptatem, aut alias causas fiant: solām-

Arist. 2. Eth.
cap. 3.

Cicer. in 2.
de finibus.

Liber primus,

que honestatem in agendo esse spectandā.
Si igitur , prius quam gloriæ desiderio ad
egregias res efficiendas incitetur, iam re-
cedit ab honestate , & eò in agendo respic-
it, quò virtus ipsa respicere vetabat. Vult
enim virtus ut sui amore, ac splendore ca-
piamur , atque gloriā intuetur, eiusque
studio ad bene agendum rapitur, profi-
tetur omnino se fuisse cessaturum, nisi glo-

Arist lib. 3.
Top. cap. 3. riam inde speraret. Rēcteque Aristoteles
lib. 3. Topicorum cap. 3. Ea proter glo-
riam fieri , dicit, que minimè fierent, si in
notitiam hominum ventura non essent.

Arist. 3. Eth. cap. 8. Quare iure & meritō in tertio Ethico-
rum cap. 8. Negat eos qui infamia, laudis
ve causa pericula subeunt, fortes esse, qua-
les apud Homerum Hector , Diomedesq;
memorantur. Non enim (inquit) nece-
ssitate, sed quia res est honesta, fortem esse
oportet. At enim præter virtutes mora-
les habemus Christiani charitatem diuini-
tus datam , quæ iubet ut Deum amemus,
eum q; otij, ac negotij nostri finem facia-
mus. Quis le in Apocalipseos initio, alpha,
& omega esse profitetur. Quò sit,

Apocal. t.

vt si quis virtutes has humanas amaret, & in eis se omni tempore exerceret: nec ad Deum vñquam referret ab hominis officio, & à virtute efficeretur alienus. At ego virtutem potissimum, & Deum in bonis operibus spectari volo, cùque facerem & si nullam gloriam sperarem. Sed video laudem cum ipso opere coniunctam, quid vetat eam quòque obiter appetere, atque captare? vetat ipsa natura reiū. Vetat ipsa ratio virtutis. Nā quæro exte, vtrū eam laudē propter se ipsam appetas, in eaq; sistas, an aliū ad finem? si quidē ad aliū finē non tā iam de laude ipsa, quam de fine iudicandum est, vti paulò post disscremus. Si verrò in ea tantūm acquiescas, neque pergen dū porrò putas, vide quām sis iniquus iudex, animaduerte quām meritò accuseris. Non ambiges opinor nihil esse appetendum, nisi quātenus bonum est. Tum illud vltro dabis in vitio esse, qui aliter quidquā optat, quām optari debeat. Itāques si quis pharmacum, quod solius sanitatis gratia sumit, propter se ipsum amaret, dignus reprehensione videretur. Nec lane im-

*Laud huma
na non ap-
petenda.*

merito, naturam enim rerum peruerteret. Bona igitur externa non erunt appetibilia, nisi quatenus bona sunt. At explicatum est satis, non esse ob aliud bona, nisi quod adiumento sunt ad virtutem, & ad felicitatem. Ergo cum bonum in se non habeant, nisi ut ad virtutem referuntur, non sunt per se optanda, sed virtutis, & felicitatis gratia.

Gloria, &
laus de ge-
nere bono-
rum exter-
norum sunt
Nuaquam
per se opta-
de, nisi pro-
pter virtu-
tem.

Aug. lib. i.
de doctrin.
Christ. c. 4.

merito, naturam enim rerum peruerteret. Bona igitur externa non erunt appetibilia, nisi quatenus bona sunt. At explicatum est satis, non esse ob aliud bona, nisi quod adiumento sunt ad virtutem, & ad felicitatem. Ergo cum bonum in se non habeant, nisi ut ad virtutem referuntur, non sunt per se optanda, sed virtutis, & felicitatis gratia. Gloriam, & laudem de genere externalium bonorum esse, negari non potest. Qui igitur in gloria conquiet, qui laudem perse ipsam, hoc est nullo alio sine constituto, exponit, contra ius, & fas, rerum peruersiōnē inducit, corrūptaque iudicat: facit enim perse bonum, quod non est, nisi gratia alterius. Accedit quod Augustinus lib. i. de doctrina Christiana, cap. 4. & sequentibus, solum Deum docet propter se amandum, solo Deo fruendū, cæteris omnibus non fruendum, sed vtendū, ita ut non gratia sui amentur, sed eius, quod propter se amamus, obtinendi. Atque hanc esse hominum cætitatē, & peruersitatē quod fruēdis vtuntur, & fruētur vtendis. Cūm neque nos quidēm met ipsos,

ipsoſ, propter nos, amare debeamus.

Sed video Augustino contra obijci posse id, quod nemo inficiatur. Virtutes sui ipsarum causa esse expetendas, mihi verò voluptatem, quae in bonis corporis numeratur, & externum bonum quodammodo est, propter se ab omnibus queri. Ut enim ait Aristoteles, 10. Ethicorum, cap. 2. Neminem rogamus cuius nam gratia percipiatur voluptatem? est enim per se expetabilis.

Ac ut pro Augustino prius respondeam, animaduertere oportet, aliud esse aliquid per se appeti, aliud propter se, quauis proxima sint hæc duo, & nos quoquè hoc loco altero pro altero usi simus. Id per se appetitur, quod non per accidens, sed ut tale est appetitur. Quemadmodum Aristoteles secundo phisicorum, capite tertio docet, statuarium, causam esse per se statuæ, quia eam ut statuarius est, efficit. Polycletum verò, aut hominem causam esse per accidens.

Propter se autem id propriæ queritur, in quo sifit, & quiescit solicitude querentis. Itaque multa per se amari possunt,

Arist. 10. E-
thic. cap. 2.

Appeti ali-
quid per se,
propter se,
quomodo
diferant.

Aris. 2. phis.
cap. 3.

vt virtutes , vt disciplinæ , quia dignæ sunt ,
 vt quatenus tales sunt , amentur . Sed vnuſ
 tantūm Deus propter ſe eſt diligendus ,
 quia nulla alia re appetitio noſtra fifti , ter-
 minarique debet . Quam loquendi ra-
 tionem , & proprietatem Auguſtinus vbi-
 que ſubtilis , & ſui ſimilis , eo loco ſecutus
 eſt . Sed quoniam inualuit conſuetudo lon-
 ga , & inueterata , vt nonnulla etiam , præ-
 ter Deum , propter ſe expetenda dicantur ,
 intelligamus duplēm in ſimpli verbo
 latere intelligentiam . Propter ſe enim idē
 eſt , ac , non propter aliud . At aliud referri
 ad finem potest , vt propter ſe hoc valeat ,
 non propter alium finem . Quomodo ve-
 re negauit Auguſtinus quidquam , præter
 Deum , eſſe propter ſe amandum , eſt enim
 Deus nobis , tanquam omnium bonorum
 noſtrorum finis , ante oculos ponendus .
 Et ita idem ipſe accepit lib . 13 . de Trinata-
 te cap . 8 . cum ait , virtutes propter ſolam
 beatitudinem amari . Potest etiam aliud ad
 externa cōmoda , & ad illecebras referri ,
 quibus homines ad appetendum incitan-
 tur . Atque hoc pacto , negant omnes prop-
 ter

ter se amandā esse pecuniā. Amatur enim propter aliud, hoc est, gratia emolumenti quod ex ea percipitur. Quod si abesse, non pluris aurum haberet, quam æs, aut lignum, aut saxum. At virtutes, & doctrinæ propter se ipsas quæruntur, quia sunt naturæ maximè accommodatae, & dignæ quæ per se amentur, etiam si nihil ex eis fructus, aut utilitatis decerperetur. Huius rei auctor est Aristoteles primo Ethicorum capite septimo. Idemque tertio Topicorum, capite primo. *Amicitia*, inquit, propter se expetenda est, & si nihil aliud nobis ab ea esse debeat. Et capite tertio ait, *Honorabile propter se est, quod cum nihil aliud debeat esse, propter se eligimus.* Nec dissentit Marcus Tullius, ita enim inquit in secundo de finibus. *Honestum est quod detracta omni utilitate, sine ullis præmijs, fructibus ve, per se ipsum iure potest laudari.* Quod autem ad voluptatē attinet, nego illam gratia sui esse expetendam, nisi de suprema, illa verba fiant, quæ ex perspicua Dei cognitione capitur. Nam quod ex Aristotele adduximus, argumentum est

Arist. Eth.
cap. 7. & lib.
3. Topicor.
cap. 1. & c. 3

Cicer. in 2.
lib. de finib.

Honestum
quid sit.

Eudo-

Liber primus,

Eudoxi, quem eo loco reprehendit, quod
temerè, & imprudenter finem bonorum
in voluptate collocaret. Quod quidem
mancipiorum, & abiectissimorum homi-

1. Ethic. c. 5. num esse dicit, 1. Ethicorum, cap. 5. volup-
tas igitur gratia operis expetenda est, &
quod illud iuuet perfectumq; reddat, ut ait

10. Eth. c. 4. Aristoteles, 10. Ethicorum. cap. 4. & quod ita
natura comparatum est ut in labore sem-
per esse nequeamus, sed otio & quiete, &
voluptate recreari necesse sit, ut integris
viribus ad negotia redeamus. Non enim
ad delicias, sed ad laborem, non ad otium,
sed ad negotium, non ad voluptatem, sed
ad honestatem nati sumus. Verissimumq;
est illud quod Iob cap. 5. legimus. *Homo*
nascitur ad laborem, & auis ad volatum.

Iob, 5.
Arist. in pos-
tremo ad Ni-
com, cap. 6. Quarè grauissimè, & elegantissimè Aristoteles in postremo libro ad Nicomachum,
cap. 6. *Studere (inquit) & laborare gratia*
ioci, stultum profectò, nimisq; puerile esse vi-
detur. Iocari verò ut studeas, secundū sen-
tentiam Anacharsidis, rectè se habere vide-
tur. Iocus enim quieti similis est, atq; cum
continuè nequeant homines laborare, indi-
gent

gent requiete. Non est igitur ipsa requies finis, ut Epicurus & Democritus voluerunt.

Idqz testatur Lucretius Epicureus in, 2. lib. de rerum natura, ubi dum in anes hominū cupiditates, luxuriosasqz, delitias vituperat. Hæc inquit.

*Omiseras hominum mentes, o pectora
caca,*

*Qualibus in tenebris vita, quantisque
periclis*

*Degitur hoc aui, quodcunqz est, non ne
videtis*

*Nihil aliud sibi naturam latrare, nisi,
ut qua*

*Corpo*re* seiunctus dolor ab sit? mente
fruatur?*

Iucundo sensu, cura semota metuqz?

Sed tamen requies fit gratia operatio-
nis. Sed hæc secunda ratio, & si est illa
quidem necessaria, tamen, quia ex natura
bonorum externorum petita est, tertiam,
qua*e* propria sit gloriæ addamus.

Illud est per se appetendū, quod ad pér-
fectionem hominis attinet, eius autē per
fectiō nō in eo posita est quod ipse ab alijs
cog-

Lucrecius
carus in, 2.
lib. de rerū
natur.

Liber primus,

cognoscatur, sed in eo potius, quod ipse cognoscat. Non est ergo per se appetenda gloria.

Deusauctor
omniumbo
nerum.

Ioann.15.
2.Corint.3:
2.Cor.4.

Bern. serm.
13. in cant.
& epist. 126
ad Episcop.
Aquitaniæ:
Lucæ. 2.

Præterea, gloria ut laus quædam est, & prædicatio, virtuti debetut, virtutum autem omnium, & totius honestatis auctor est Deus, bonorum Oceanus, & origo, & fons. Nam nobis quid aliud dici potest, quam quod est apud Ioannem, 15. cap. *Sine me nihil potestis facere?* Et secunda Corinthiorum, cap. 3. *Non sumus sufficiētes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et, 1. Corinthiorum, cap. 4. *Quid habes quod non accepisti? Itaq; laudarim non possumus, nisi quod Deo vocanti, & excitanti assentimur, cùmque (quantum est situm in nobis) quasi adiuuamus.* Quàmuis id quòq; diuini muneris est. Relinquitur ergo vnius Dei esse propriè gloriam, soliq; reddendā, quod elegantissimè confirmat Bernardus sermone, 13. in cantica. Et epistola, 126. ad Episcopos Aquitaniæ. Idemq; cœlo dela pfa multitudo cœlestis exercitus, Lucæ, 2. docuit. *Gloria, inquit, in excelsis Deo,* hæc

quæ

quæ Dei propria est, Deo tribuatur, hominibus autem bonę voluntatis, pax. Et aper*tiūs* Apostolus, i. ad Timotheum, i. *Regi*
autem sacerdorum immortali, & inuisibili
Deo honor, & gloria, in secula seculo-
rum.

i. Tim., i.

Ac ut seruus si, quod heri est, accipiat
nèque in illius emolumentum vertat, merito ei succenseat herus, ita qui gloriam
per se appetit, nèque in Deum, aut in finem
Deo gratum refert, in eius, quem
bonis suis quasi defraudat, offenditionem
incurrat necesse est. Id, ex Pharisæi illius
exemplo, satis intelligitur, qui Lucæ
decimo octauo. Gloriam sibi tribuebat,
quam fortasse dignus fuerat ab alijs, vt ac-
ciperet, meritòque illum Deus, & homi-
nes ridebant ita se se iactantem. *Deus gra-*
tias ago tibi, quia non sum sicut ceteri ho-
mines raptiores, iniusti, adulteri, velut
etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sab-
batho, decimas do omnium quæ possideo.
At quām præclara opera commemorat,
quām dignus laude, si ea, vt i voce præse-
fuit, re vera Deo accepta retulisset: nec

Lucæ, 18.

asir

M

fibi

sibi gloriam, sed ei, cui gratias agit, quæ
 sijsset. Imo verò cùm quisquam diuitijs,
 aut potentia superbit, nec Deum agnoscit
 auctorem, quia sibi, quod alienum est,
 arrogat: magnis exemplis Deus iniuriam
 Daniel.4. vlciscitur suam. Ut in Rege Babylonis, Da-
 nielis capite quarto videmus. Quem co-
 dem die opibus, potentia, imperio, ho-
 nore spoliauit. Septemque annis syluis
 cultu, ac vietu ferino viuere coegit, do-
 nec gloriam Deo reddidit, quam sibi per
 summam impudentiam, & iniquitatem
 vendicarat. Et Lucas in actibus Aposto-
 lorum, cap. 12, commemorat Herodem
 Regem ab angelo occisum, eo quod non
 dedisset honorem Deo, adeò verum est
 illud Esaiæ, 42. *Gloriam meam alteri non
 dabo.*

Præterea si magnorum criminum esse
 etus est obnoxius coram Deo, duplique
 poena multandus, qui terrenam proximi
 sui substantiam furtiuè surripit, vel violen-
 ter extorquet, quanti sceleris arbitrandus
 est reus, qualive animaduersione in hoc
 seculo pariter, & in futuro æquissime se-
 riens.

riendus, qui diuinum furari præsumit honorem? & quod folius est Dei sibi ipsi ne-
quiter vendicare conatur?

Sanè hujusmodi tenebrarum principē Ez. 14.
imitatur, qui testante propheta in corde
suo ausus est dicere. *In cælum ascendam,*
super astra cæli exaltabo solium meum, se-
debo in monte testameti in lateribus Aqui-
lonis, ascendam super altitudinem nu-
bium, similis ero Altissimo. Imitatur in-
quam illum, qui dominum Iesum Dei fi-
lium dum tentare auderet, vniuersam
mundi exhibuit gloriam, atque ab eodem
se adorari poposcit, dicens. *Hac om-*
nia tibi dabo si cadens adoraueris me. Un-
dè illico repercussus audiuit: *Vade retro*
Satana. *Scriptum est, Deum tuum a-*
dorabis, & illi soli seruies. Illius quip-
pē temeritatem repulit sanctorum au-
toritate scripturarum, & quem adora-
re debeamus, cui ve nostræ seruitutis ob-
sequium impendere, illum reprimendo
nos docuit. Non igitur licet nobis in
hac peregrinatione honorem appetere,
non licet (inquam) gloriam temporalem

Gloriam tē
poralem ap-
peti nō licet

1.Tim., 1,

ambire, cùm scriptum sit. *Regis aculorum immortali, & inuisibili soli Deo honor, & gloria in sacula aculorum. Amen.*

Nempe nescit Deū, & semetipsum prorsus ignorat, qui ante oculos hominum honorabilis apparere desiderat. Utique si sciret Deum, à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, qui vniuersa, quæ sunt, fecit ex nihilo, cuius cuncta famulan tur arbitrio, & quem Angelorum, Archangelorumque innumerabilis colit exercitus, ipsi soli deferrī concupisceret, ipsumq; corde venerando, & ore laudādo timeret.

Deniq; si semetipsum agnosceret, profecto se humiliando deprimeret: neq; præ sui cordis confusione, oculos ad cœlum leuare præsumeret, quemadmodum publicanus ille euangelicus, qui reatus sui compunctione perterritus pectus suum percutiendo dicebat. *Deus propitius est omibi peccatori.*

Non enim potest non gemere, neq; honorem, & gloriam prætereuntem non fugere, qui propriæ infirmitatis est conscius, propriæque conditionis est gnarus. Quomodo (quæso) valet se continere:

Lucr. 18.

à gemitu , qui mentis oculos in semetipsum reflectens videt se densissimis ignorantie reuolutum in tenebris diuersarum cupiditatum irretitum vinculis? noxiarum cogitationum agitatum procellis? varijs tentationum perturbatum generibus? àtque innumerabilium delictorum vinculis astrictum? qua (inquam) ratione humanæ laudis, & humanæ gloriæ gaudebit attolli fauoribus, quisquis conditionis suæ initium considerare studet, & finem? Sànè homo in peccatis natus de vilissimo conceptus est semine, productusque in lucem in huius peregrinationis calamitatibus plorādo se intuetur astrictum. In ipso siquidem sui ortus primordio, sicut rationis vsu caret, ita sensuum, membroruq; officio, adeò ut alieno in omnibus indigeat suffragio gubernari. Nullum profectò inter quadrupedia, àtque reptilia ad se tuendum illo minus est validum, & ad se nutriendum illo minus est aptum, àtque ad se mouendum minus est forte. Si èsurit, si sitit, si dolet, si patitur, si aliquo naturæ solatio eget, vagiendo lachrymas fundit. Nā

Liber primus;

necessitatum suarum ciulatus, & fletus indices esse probantur, sicque fit ut pedentim crescente eadem corporis magnitudine pariter augeatur & poena, multiplicentur ærumnæ, passiones crebescant, ingeminentur mala, incommoda grauiora emergant, donec suprema veniat dies, in qua, (velit, nolit) debitum humanæ conditionis exoluat. In illa quippè die, quàm vana omnis corporis pulchritudo, quàmque fallax sit sæculi huius prosperitas, & gloria, absque rationis ambiguitate percipitur? Nam repente totius corporis elegantia, faciei decor, flos iuuentutis, incolumentatis bonum surripitur, caligat quòque visus, auditus obturatur, odoratus deficit, amittitur gustus, languet attractus, membra rùmque cæterorum debilitatur usus, atque uno, eodemque momento vniuersa corporis species, tanquam arbor pulcherrima, fructus, florùmque amænitate fœcunda præciditur, & efficitur, quod paulo anteà mouebatur, diligebat, amplexabatur, cadauer fætidissimum, visu

sui horribile, exercitationi immobile, plenum squalore, pallore respersum non reseruationi, sed etiam ab amicis, & propinquis voluntarie sepulturæ traddēdum.

Porrò humani corporis conditionē, prosperitatem, & finem dominus insinuare volens, inquit ad prophetam. *Clama, & dixit: quid clamabo?* Et dominus iterum. *Omnis caro fenum, & omnis gloria eius tanquam flos fani, exiccatum est fenum, quia spiritus domini sufflavit in eo.* Verè exiccatum est fenum, & verè fenum est populus. Nempè quem àdmodum exiccato fæno marcescit ipsius fæni pulchritudo, florūmque redolentia, ita deficiente humano corpore, mundana illi deficit gloria, vestimentorum cultus, gemmarum pompa, diuitiarum iactantia, generosa soboles, popularis fauor, dignitatum fastus, regni ambītio, imperandi auctoritas, pr̄fidentium eminentia, atque dominantium honor. Tunc quippè luce clarissim patet, quam breue id fuit quod repente transiit, quam contemptibile quod in puncto aruit, quā

Isai. 40,



Liber primus,

detestabile quod mors abstulit, quam
instabile quod velut umbra aufugit, tunc
(inquam) carnalium amatoribus volupta-
tum terrenarumque cupidis facultatum,
ac apparentium honorum, & gloriæ hu-
manæ sectatoribus innata clamat ratio, ut
quamdiu viuunt, & operari licet, sapient
saeculi istius vitare fallacias: intelligat quo
que qualiter Deo seruiendo, spirituales va-
leant præbere delicias, & veram gloriam:
atq; in sensu cordis studeant, quæ præpara-
ta sunt impijs, æterna prouidere, & deuita-
re supplicia, quam obrem beati proculdu-
bio illi censendi sunt, in quorum cordibus
splendor gratiæ cœlestis effulgens fugat
tenebras, & lumen Dei, suique cognitio-
nem infundit: iij proculdubio quamdiu in
hoc lumine, veritatis agnoscent lumē, nec
vitæ huius irretiuntur blanditijs, nec que cu-
iuscunque dignitatis, aut gloria humana,
vel laude hominum, & honore subuertun-
tur illecebris.

Est enim maximæ infidelitatis indicium
in hoc ærumnoæ perègrinationis decur-
su de quotidianis laboribus, vel de sanguini-

ne, & nobilitate, de scientia, de diuitijs, &
similibus spreta Dei gloria, laudes expecta
re humanas. Cùm scriptum sit. *Deus dissipa
vit omnia offa eorum, qui hominibus pla
cent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit
eos.* Nempè qui huiusmodi errore du
cuntur à fide alieni arbitrandi sunt, quem
àdmodum dominus noster Iesus Christus
Phariseis protestatus est. *Quòmodo, in
quit. Potestis vos credere, qui gloriam ab
invicem accipitis, & gloriam quæ à solo
Deo est, non quaritis?* Non enim conueni
re potest ut quis honorem Dei, & sui quæ
rat. Sibi hæc omnino aduersantur. Per tu
morem enim mentis sibi ipsis, quod Dei
est proprium, vendicare conantur. Et licet
multa quidem beneficia, innumerabiliq;
dona, tām corporalia, quām spiritualia di
uinam bonitatem gratis hominibus con
tulisse perspicuum, atque notissimum est,
nusquam verò in sacris legitur volumini
bus honorem suum, & gloriam dominum
præstuisse mortalibus. *Videte (inquit idē
per Moysen.) Quod ego sim solus, & non
est aliud præter me. Ego occidam, & viuere*

Psalm. 52.

Ioan. 5:

Deut. 32.

Liber primus,

faciam, percutiam, & ego sanabo; & non
est qui de manu mea possit eruere. Per
prophetam quoque alium audi quid di-
cat. *Ego dominus* (ait) & non est alter
formans lucem, & creans tenebras, faciens
pacem, & creans malum, *ego dominus fa-*
*cien*s *hac omnia*. Quum igitur proprium
elati cordis sit velle præesse: humanam
ardentissimè appetere gloriam: sibi quod
aliorum est honoris, laudis, commenda-
tionis, & famæ arrogare: atque loquaci,
& mendaci interdùm assertione propala-
re, quæ sibi ad decus & laudem prouenire
dijudicat: euidentissimè patet omnia hæc
vniuersali domino, eiusque gloriæ esse
contraria. Ipse namque solus est extol-
lendus laudibus, veneratione colendus,
exorandus precibus, quotidianis virtu-
tum exercitijs placandus, amplectendus
yotis, totisque animæ viribus diligendus.

Vnde si totus honor, & gloria Deo
tribuitur (cuius profectò est) quæ, oro,
portio de eodem debetur homini? Atta-
men si forte aliquid agat, quod sit laude
dignum, id prorsùs non est suum, neque
yalet

valet ex se, sed ex singulari dono ipsius, qui dedit illi, ut possit. Ipsum donorum largitorem audiamus dicentem Ioannis decimo quinto. *Sicut palma non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere.* Paulum quoque Apostolum eadem confidentem intelligamus. *Non possumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Idemque. *Quid enim habes quod non accepisti? Et si accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?* Porro qui, quod habet, accepit, illi utique debet honorem exhibere, & gloriam, à quo habet quod habet.

Quamobrē nōn sine detimento nostro atq; diuini honoris præiudicio possimus quidquam tractare de nostro, quūm nedum laudabilia opera (si qua nobis sunt) verūm etiam nos non sumus nostri, sed illius à quo facti sumus, per quem sustentamur in, quo viuimus, de cuius bonitatis plenitudine gratis percepimus gratiam, qua operante, & cooperan-

Ioan. 15.

2. Corint. 3.

8. ad Cor.

V. 1801

Liber primus,

te perficere valuimus bonum , quod egimus: cuius etiam lauacro mundati, pretiòque gratificati, atque redempti sumus.

1. Corint. 6. Dicente Apostolo. *Empti enim estis pratio magno, glorificate, & portate Deum in cordibus vestris. Glorificate*, ait, *Deum*, non vos. Quid verò mirum, si Deum glorificare debemus, non nos, quùm ipse vni genitus Dei filius dominus noster Iesus Christus de se ipso dicat? *Ego non quero gloriā meam, est qui querat, & iudicet. Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est, est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.* Et idem. Pater (inquit) venit hora clarifica filium tuum, ut & filius tuus clarificet te: clarificame tu pater apud te met ipsum claritate, quam habui, prius quam mundus esset apud te. Nusquam reperiemus dominum nostrum Iesum Christum glorificasse se ipsum , sed semper gloriam referre patri: quamuis patris honor , & gloria sit etiam filij , qui est coæternus, consubstantialis , & coæqualis ei, qui initialiter genuit illum. Pudeat itaque hominem, qui est terra & cinis, putredo,

Ioan. 8.

Ioan. 17.

do, & vermis, se extollere: & in præsenti
 seculo gloriam querere? quum ille qui
 Deus est, in diebus carnis suæ, quamdiu cum
 hominibus cōuersatus est omne humilita-
 tis exemplum, voluntariumque honoris,
 ac mundi contemptum in habitu, in ser-
 mone, in moribus, & in omni sua conuer-
 satione exhibuit: ut suis daret formam vir-
 tutis, discerentque ab illo non appetere
 honoris, & gloriæ mundanæ altitudinem,
 quæ elatos deicet in profundum abiisse:
 sed humilitatis viam, quæ utique in futuro
 humiles exaltat in cœlis. Huius itaque spi-
 ritualis disciplinæ eruditus magisterio do-
 mini nostri præcursor, quum tantæ esset
 sanctitatis, ut Christus existimaretur a mul-
 tis, interrogatusque utrum esse Helias? an
 Propheta? noluit affirmare, quod illi erat
 honoris, aut famæ, sed tantum: *Ego (in-*
quit) vox clamantis in deserto, parate viam
domini. Quid hac responione humilius?
 & quid verius? testimonium vero domi-
 no perhibens, omnemque illi honorem,
 & gloriam reddere volens ait. *Qui post me*
veniturus est, ipse est qui ante me factus
est,

Math. 3, 2

Ioann. 3.

est, cuius ego non sum dignus, ut soluam eius corrigiam calceamenti. Qui habet spōsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est, illum oportere crescere me au tem minui. Qui de terra est, de terra loquitur, qui de cœlo venit super omnes est, & quod vidit, & audivit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit. Vniuersa quippe hæc ad gloriam & laudem Christi, suęque humilitatis custodiam protulit.

2. Corint. 4.

Paulus quoq; Apostolus in cunctis suis prædicationibus, & epistolis, Christi, non propriā annuntiabat gloriam: vt locis superius citatis visum est. Et 2. Corinth. cap. 4. dicebat. Non enim prædicamus nosmet ipsos, sed dominum Iesum, nos autem seruos vestros propter ipsum. Hinc est, quod tanta cum autoritate tanquam seruus legitimus, ac fidelis par anymphas corā Regibus, principibus, & populis nō expauces vincula, carceres, verbera, nomē domini predicabat. Quādbrē nō in honoribus,

non

non in hominum gloria, neque laudibus,
non in virtute miraculorum, non in se-
cretorum cœlestium reuelatione, neque
in spiritualium abundantia charismatum,
sed in infirmitatibus suis gloriabatur: quē-
admodum ipse testatur, dicens. *Si gloriari*
oportet, non expedit quidem. Libenter ta-
men gloriabor in infirmitatibus meis, ut
inhabitetur in me *virtus Christi*, propter
quod complaceo mihi in infirmitatibus
meis, in contumelijs, in necessitatibus, in
persecutionibus, in angustijs pro Christo.
Totus namque inhærebat Christo, totam
que vitam suam Christo dedicauerat, pro-
pterea fiducialiter aiebat. *Mihi vivere* Ad Philip. 1.
Christus est, & mori lucrum, quare absit
mihi gloriari, nisi in cruce domini mei Iesu ad Galat. 6.
Christi per quem mihi mundus crucifixus
est, & ego mundo.

Claret igitur perspicuec, quod omnes qui
ambulat in veritate, & Deo in cordis simili-
tate famulatur, non propriâ ex ijs, que lau-
dabiliter agunt, querunt gloriâ sed cōditoris
sui, de cuius utique munere agnoscunt se irre-
prehensibiliter vivere. Alioquin nec sancte,

neque

que laudabiliter viuere dicendi sunt, imò potius iniqué & damnabiliter, si operis sui mercedem in ore instituunt laudantiū.

Ad Gal. 1.

Vnde Apostolus in se, & de se detestans ait.

Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Falluntur prorsus qui aliter sentiunt, tribuuntque homini quod solius est Dei. Homo quippe boni instrumentū est operis, artifex autem solus est Deus. Loquebatur Apostolus Paulus sapientiā inter perfectos, sapientiā utiq; nō huius sēculi, sed in mysterio absconditam, quam nemo principum huius mundi cognouit. Nunc quid ipse? prorsus minimē. Nam instrumentum erat: artifex verò quis? vera, sempernāque Dei sapientia dominus noster Jesus Christus, sicut idem Apostolus fateretur.

1. Corin. 13.

An experimentum (inquit) queritis eius qui in me loquitur Christus? Loquuti sunt prophetæ, loquuti sunt Apostoli, sancti; Doctores, operati etiam sunt sancti Martires, & amici Dei mirabilia, & quæ humanæ virtutis omnem transcendunt facultatem, sed in ipsis, & per ipsos Christus (qui est Dei virtus, & Dei sapientia) virtus,

superior

in-

inquam, in operando, sapiētia autem in loquendo: ut videlicet ipse sit omnia in omnibus tanquam caput in corpore, & vita in homine, quātenus. *Qui gloriatur, in domino glorietur.* 2 Cor. 10: 18

Quamòbrem si qua laus, si qua virtus, si qua veritas, si qua bonæ famæ opinio reperitur in homine, totum adscribendum est præsentiae Christi, gratiæ, virtuti, bonitati, & sapientiæ eius, qui agit in homine, quidquid in Ecclesia redolet sanctitatis odorem, & gloriam. Ex dictis patet apertè quòd errat profectò, & ab humanitatis itinere supra modum deuiat, quicunq; concupiscit aspectibus hominum honorabilis apparere: cum Apostolus dicat, quòd, *Soli Deo debetur honor, & gloria.* Suo quippe non alieno debet quicunq; gloriari, inanis enim est gloria, quæ de alieno ære, indumento, seu alio quovis munere ad tempus collato possidentem attollit. Nam cùm voluerit ille qui dedit, ad libitum vallet auferre. Quamòbrem impudentissimum esse dixerim, de alieno quempiam gloriari. Intelligat quod suum est, & pa-

Liber primus,

Iam cognoscet nulla dignum esse laude
nec gloria. Nostrum namque est propriū
posse peccare, de nobis præsumere, tem-
poralia, & aliena concupiscere, à Deo mē-
tis obtutum auertere, & in desperationis
barathrum nosmetipſos præcipitare. De
quo autem & in quo sit gloriandū Aposto-
lus docet dicens. *Qui gloriatur in domino*
glorietur. Quare verò in domino: quoniā
ab ipso percipimus totum quod dignum
est gloria. Obserua quæſo, à quo habeas,
vt ſis, vt rationalis ſis, vt ſis cœleſtis voca-
tionis particeps, Ecclesiæ membrum, ſa-
cramentorum Dei capax, cohæres Christi,
& angelorum confors. Reuolue (Inquam)
quis innumera tibi contulerit bona natu-
ræ, & gratiæ munera, aduerte à quanta per
regenerationis lauacrum ſis feruitate libe-
ratus, quo redemptus pretio, quo cœleſti
quotidie alimento nutritus, quo meracif-
ſimovino potatus, quo custode protectus,
quo amore dilectus, quantis beneficijs spi-
ritualibus, & temporalibus astrictus, quā-
tisq; ineffabilibus promissionibus, & eter-
nis gaudijs animatus, atq; allectus.

2. Corin. 10.

Hæc

Hæc si diligenter consideraueris, com-
punctus præ admiratione, necnon præ
dulcedine debriatus cum propheta cla-
mabis. *Quid retribuam Domino pro omni- psal. 115.*
*bus quaretribuit mihi? Rursumq; ingemi-
nabis quod memoratus propheta alio in*
psalmo decantans ait. Non nobis Domine
*non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nē-
pē his duobus breuibus versiculis, super-
borum, & elatorum atteritur frons, & alta
sapientium, ac de se præsumentium depri-
mitur insipientia, eorum (videlicet) qui
de alieno sibi vendicant gloriam, & condi-
toris sui de ipsius donis nō formidant usur-
pare honorem. Tales si rectè saperent, in-
telligerent utiq; quòd si quid possunt boni
agere, ab illo habent, qui dicit. *Sine me ni-
hil potestis facere.* Si sciunt quidquam cō-
mendatione dignum, ab eo percipiunt,
qui ait. *Spiritus sanctus quem mittet Pater*
in nomine meo ille vos docebit omnia, &
suggeret vobis omnia, quæcunq; dixerim vobis. Instruit Paracletus, & docet hominem
scientiam, tribuit intellectum, sapientiam,
atque consilium. Si volunt, & desiderant,*

Psalm. 113:

Liber primus,

quod Deo placet, & non aliunde habere
id se arbitrentur, quam ab illo, qui iustifi-
cat impios, conuertit errantes, soluit com-
peditos, cæcos illuminat, elisos erigit, &
resuscitat mortuos. Ipse profectò domi-
nus, & bonitatis fons, & omnium largitor
bonorum, qui nemini ex debito, sed vni-
uersis præstat gratis beneficia sua, quem-
admodum Apostolus Iacobus testatur in-
Iacobi 1.. quiens. *Omne datus optimum, & omne*
donum perfectum de sursum est descendens
à Patre luminum. Nam & si nostra lauda-
bilia remunerat opera, hoc non agit ex de-
bito, nisi in quantum ex mera ipse sed ebi-
torem voluit facere liberalitate: quatenus
aliquid esset in homine, vnde à iusto iuste
remuneretur Deo. Confitentem audi pro-
Psalm. 103.. *Benedic anima mea dominum,*
& noli obliuisci omnes retributiones eius,
qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redi-
xit de interitu vitam tuam, qui coronat
te in misericordia, & miserationibus. Co-
ronat utiq; te, non ex meritis, aut in operi-
bus tuis, sed in misericordia & miseratio-
nibus suis. Ut agnoscas non per tua me-
rita

rita tantum, sed per suas miserationes posse saluari. Hoc & Paulus suo affirmat testimonio dicens. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Ad Tit. 3.

Cæterum si in extremo iudicij magni die videtur remunerare misericordię opera in proximorum necessitatibus exhibita, ipsa quippè minimè absq; ipsius gratia, quæ gratum facit, & charitate efficit dignum, fieri potuissent. Ut autem scias quæ dicuntur veritati esse innixa, Apostoli obserua sententiam. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Subintellige itaq; ipsam charitatem nobis esse infusam non ex operibus, sed per Spiritum Sanctum, ut gratia sit gratia. *Si enim ex operibus* (ait Ad Rom. 5: Paulus) *iustificatur homo, ergo gratia iam non est gratia.* Gratia ideo vocatur, quia gratis datur, & si gratis datur, ergo non ex merito recipientis, sed ex libertate tribuitur largientis. Vnica auctoritate Apostolum confirmare ea, quæ dicuntur, nec nō

in anis gloriæ dannare elationem diligenter aduerte.

Quid enim habes (inquit) quod non accepisti?

Et si accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?

Et alibi non est (ait) voluntatis, neq; currentis, sed misericordis Dei, et quem admodum filius pro libito aliud vas de eadem massa facit in honorem, aliud in contumeliam.

Quum igitur ab ipso domino nedum habeamus quod accepimus, verum etiam quod sumus: illum debemus ex toto corde diligere, illi gratias agere, ipsiusque gratiam, & misericordiam confiteri. Non autem inflari sicut Phariseus, qui voce gratias referebat, & corde supra publicanum se extollebat ante Deum, qui solus cordum secreta rimatur, quam obrem de templo non iustificatus, sed potius reprobatus egredens est, quia sui munus non cognouit auctoris, se procaciter laudauit, atque aduersus proximum suum se mendaciter iactauit. Multos iste suos erudiuit exemplo: Dicitque quam solerter debeamus gloriam mundanam & hominum laudes fugere. Qua humilitate Deo gratias agere, qua intentio

tentione opera quæ in se sunt laudabilia facere, nullumque postremò (quamuis peccatorem) condemnare, humilitatem sectari, quæ omnium est radix ac magistra virtutum, & gloriæ mater, ut proverbiorum 15. *Timor Domini disciplina sapientia, & gloriā præcedit humilitas,* & 29. *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

*Prover. 15.
& 29.*

C A P V T. XII.

Quod Ethnici quoq; appetitionem gloriæ reprehendant. Aliquaq; Sanctorū Patrum referuntur exempla, qui huiusmodi gloriæ appetitum, & humanam gloriā fugerunt.



VAMVIS Autem Ethnici penè omnes incredibili quodā gloriæ desiderio flagrarent, tam tanta est vis veritatis, ut se ijs qui loquuntur imprudentibus, aut sepe etiam inuitis exerat: nūnquamq; ita latet, ut non aliquando existat, nūnquam ita extincta sit, ut nullus eius radius eluceat.

Liber primus,

Itaq; plurimi ex ijs naturam bene viuendi magistram, ac ducem secuti, vitiosum esse laudis, & glorię amorem intellexerunt, & nō nulli libros (vt à veteribus accepimus) de contemnenda gloria ediderunt. Aristo teles, (vt paulo ante dixi) negavit fortes es se, qui, suscipiendi dedecoris timore, strenue se in adeundis periculis gererent: aper tē videlicet indicans, omnes virtutes desiderio gloriæ pollui, atq; maculari. Marcus Tullius (& si se gloriæ audiissimum semper fuisse fateatur, eaq; principem ciuitatis, quasi cibo, alendum putet) tamen in

*Cicer. in r.
de officijs.* primo eorum, quos de officijs ad filium scripsit, testatur gloriæ cupiditatem facilimè ad res iniustas impellere: fortem animum, & magnum rerum externarum desipientia maximè cerni nihil præter virtutem esse expetendum, & paulò post. *Cauē*

*Idem in 4
Tuscul.* da est etiā gloriæ cupiditas (vt supra dixi) eripit enim libertatem, pro qua magnanimitas viris omnis debet esse contentio. Et in quarta Tusculana, desiderium gloriæ inter ægritudines animi numerat. Et postea in quinta. *Intelligendum est (inquit) nec glo-*

*Idem in 5.
Tuscul.*

riam

riam popularem ipsam per se expetendam,
nec ignobilitatem extimescendam. Notum
est illud Horatianum, cum enim ægritudi-
nes animi enumeraret, quibus philoso-
phia medetur addit.

Horat. lib.
2. Epist. epif.
tolar.

Laudis amore tumescat amorsus

Et quidem huiusmodi dicta extant, ho-
dièq; multa, facta non autem. Quanvis nō
defuere nonnulli, qui aut gloriam verè cō-
temnerent, aut quod laudabile esse cerne-
bant, plenumq; honestatis, simularent. Vt Sab. lib. 10.
Socrates, Diogenes Cynicus, qui se nun-
quam tantum abiecisset, vt pueris contēp-
tui esset, si ex vana vulgi opinione, & mul-
titudinis plausu pependisset. Maluit ille es-
se vir bonus, quam prædicari: magis natu-
ræ æmulus, quam gloriæ cupidus. Estq;
propterea post mortem assequutus, quod
viuus repudiauit. Hoc scilicet nec alio asse-
ctu Heraclitus Ephesius, & Timon Athe-
niensis, tam diuersi abierunt ab hominum
opinione: vt hic omnium commercium
fugeret, ille vellet à nullo sua scripta intelli-
gi. Timoleon Corinthius tantum etiam
abfuit ab huiusmodi vitio, vt cæde Diony-

Sab: Ibidem,
& Diog. La-
ert. in vita
corum.

sij Tiyranni, & eius euerso principatu libertate Syracusis comparata, in solitudinem sua sponte fugere, & priuatus vagari, quam in oculis liberatorum ciuium, & in magna celebritate, & officiorum frequētia septus viuere, maluit.

Sab. Ibidē.

Et apud Romanos Quintus Cincinnatus, qui dictatura sponte deposita rediit ad aratum vnde fuerat accitus. Curius Dentatus, & Fabricius, & Quintus Fabius Maximus, qui teste Ennio. *Salutem rumoribus anteponebat.* Et maior Cato, minor etiam, de quo ita Velleius Paterculus scripsit ad Vicinium, nunquam recte fecisse, ut facere videretur.

Ibidem.

Fuit etiam in Phocione exemplum id genus vnum in raris habendum, cuius virtutem maximē mirati sunt illi, qui ab Alexandro aurum illi dono tulerant, nam ille regium aurum atque honorem pertinaciter recusauit. Plancus Numatius discipulus Ciceronis, Orator insignis, dicere solitus erat. Siquis honorem sibi defferri vellet, inter miseros ei viuendum esse.

Nostri si in hoc genere numerandi essent nullus finis esset, aliqua tamen & admirabilia aliquorum Sanctorum Patrum nostrorum exempla adducam, quibus ostenditur quomodo hanc laudis, & humanæ gloriæ appetentiam parui fecerunt: & quod hæc pugna, & appetitus mundanæ gloriæ, non melius vincitur, quam fugiendo. Ideoque Christus Dominus, ac magister noster, & sancti eius ipsam fugientes, nos exemplis suis fugere docuerunt. De Christo namque legitur Matthæi octauo, quod leproso mundato dixit. *Vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdoti.* Et capite uno, cæcis illuminatis ait. *Videte ne quis sciatur.* Et discipulis tribus in transfiguratione dixit. *Nemini dixeritis visionē hāc donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Itē post miraculum illud maximum de quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, quibus satiati sunt viri quasi quinq; milia, sine mulieribus & pueris, & impleti duodecim cophini fragmentorū ex quinque panibus hordeaceis quę superfuerunt his

Matth. 8.

Et 9.

Et 17.

Ioan. 6.
Et Matth.
14.

Lucæ. 10.

bis qui manducauerant, cùm turbæ admi
tarentur viso signo, & Iesus cognouisset,
qui à venturi essent, vt raperent eum, & fa
cerent eum Regem, fugit iterum in mon
tem ipse solus. Et Lucæ. 10. contra vanam
gloriam repressit discipulos suos dicens.
*Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo
cadentem. Ecce dedi vobis potestatem cal
candi supra serpentes, & scorpiones, & su
per omnem virtutem inimici, & nihil vobis
nocebit, veruntamen in hoc nolite gaude
re, quia spiritus vobis subiiciuntur, gaude
te autem quòd nomina vestra scripta sunt
in cœlis.* Hanc fugiens beatissima, & im
maculatissima Virgo Maria laudationem
Angeli expauit, & erubuit. Se ancillam di
xit, quando mater Domini prædicatur. Ad
montana fugit ubi Elisabeth se ancillam
exhibuit.

Lucæ. 1.

Ibidem.

Vincet. Bel
uoc. in spe
culo morali
lib. 3. dist. 8.
part. 3.

Ad hanc fugiendam Beatus Antonius
socios adiurauit moriens, vt corpus suum
ita sub terra occultaretur, ne ab aliquo sci
retur, vel inueniretur: ne mortuo eius ca
daueri honor aliquis exhiberetur. Item
Beatus Hylarion per mare, & per terras
cam

eam fugiebat, utique timens, & fugiens laudes humanas.

De sancto Petro Tarentasiensi Episcopo legitur in vita eius, quod cum esset famosissimus sanctitate, predicationisq; gratia, & miraculorum, nec posset secretò latere latenter fugit simulato sub habitu clericali, ut effugeret periculum laudis, & gloriæ hominum cœnobium quoddam sui ordinis Cisterciensis in Germania constitutum, quasi nouitius intras ubi diu latuit humillime subiectus, & obediens, donec cognitus, & manifestatus redire compulsus est.

Diuus Hieronimus Romanum Cardinalatum fugit, & abiit profugus in ægyptum, Diuus Augustinus fugiebat ab omniciuitate quæ non habebat Episcopum, ne in Episcopatum raperetur: qui etiam inuitus a beato Valerio Hipponensi Episcopo presbyter est ordinatus.

De beato Ambrosio legitur quod cum esset missus Mediolanū iudex non baptizatus mortuo Auxentio Arrianæ perfidiae Episcopo urbis, qui Dionysio beatæ memorie confessore ad exilium destinato, in cubabat

Surius in e-
uis vita, to-
mo. 3.

Vincet: Bell
uacēs in spe-
culo moral.
par. 3. dist. 9.
lib. 3.

Laur. Su-
rius in vita
eius tom. 2.

Liber primus,

cubabat Ecclesiæ, seditioq; esset populi in Ecclesia de Episcopi electione, intravit eā Ambrosius ad populum sedandum, ibi q; cùm alloqueretur plebem, subitò vox fer tur infantis sonuisse, vt Ambrosium elige rent, ad quam vocem in eum omnes con sentiunt, quo ille cognito, egressus Eccle siam, tribunal sibi parari fecit, promittens tormēta electoribus suis, qui cùm nec sic cessarent, publicas mulieres publicè ad se ingredi fecit, ad hoc tantū, vt visis his po puli intentio reuocaretur. Cùm autem vi deret nihil nec intentionem suā hoc profi cere posse, fugam parauit; egressusque no etis medio ciuitatem, cùm Ticinū se per gere putaret, manè ad portam ciuitatis Mediolanēsis, quæ Romana dicitur (Deo volente) inuenitur, ubi inuētus, & captus, baptizatus die octaua in episcopum est or dinatus.

Laur. Sur. in
eius vita to.
2.

Idem legitur de Beato Gregorio mag no quod mortuo Pelagio Papa omnis po pulus Romanorum eum Papam elegit: & Mauritius Imperator eum inuitum, & re nitentem confirmauit, & cùm portę virbis

[ita

ita seruarentur, ut ne posset effugere, obtinuit à quibusdam negotiatoribus, ut eum intra dolium super quadrigam educerent ab urbe: & cum per triduum latuisset, & Romanus populus ieiunijs & orationibus pro eo se affligerent, columnalucis tertia nocte ubi latebat, super eum mirabiliter descendit, & sic inuentus, ad Papatum reductus est.

Ad idem est exemplum de Priore Clare vallenſi Ganfredo nomine, quod cum esset electus Episcopus Tornacensis, & ab Eugenio Papa, & beato Bernardo Abate suo cogeretur onus Episcopatus illius accipere, prostrauit se ad pedes beati Bernardi & clericorum in modum crucis, & ait: monachus fugitiuus, si me eligitis, esse poterō, Episcopus nunquam ero,

Sanctus Iustus Episcopus Lugdunensis, Episcopatu relieto, ad eremum fugit: ubi aliquot annis angelicam egit vitam.

De beato Nicolao refert Surius in vita eius verba haec. Tantum enim vir Dei ab omni humanæ laudis desiderio ab horribat, ut quantum cæteri sua maleficia, tantum

Vicēt. Belū;
in specul.
moralit: pat:
3: dist. 9. lib.
3.

Surius in 7.
tom. ex Mar-
tioli: Ab-
don: prid.
idus octob:

Liber primus,

tum iste beneficia sua cellare studeret.

De diuo Francisco Asisinate opere pre-
tiūm est audire quid commentus sit ad-
uersus gliscentem sanctitatis sue famam,
quæ cūm in horas maior ferretur , ne qua
voluptas subiret animum , negotium de-
dit dicacissimo cuidam, ut vitam & mores
suos omni verborum petulantia incesse-
ret. Vrgere ille immaniter volentem, rus-
ticum vocans, indoctum , stigmaticum.
Probare id conuitum Frāciscus , ac testa-
ri multo verius de se illa dici, quam laudes
abullo prædicari.

Laur. Surius
in vita eius
Fr. Theod.
de Appol-
dia domini-
cano conf-
cripta, lib. 4.
cap. 10. tom.
4. surij.

De Beato Dominico refert Laurentius
Surius hæc adm̄dum ad mirabilia verba.
Diues fide, mundi huius opes respuit, sacerdo-
ci pompas fastidiuit, humilitatem Christi,
et Euangelicam paupertatem illis longe
ante ponens. Electus enim in Cizeranen-
sem Episcopum, proorsus recusauit, dicens
sem alle è terra exire , quam velle eiusmo-
di electioni consentire. Mundus illi cruci-
fixus erat , & ille mundo , quando & ipse
mundi contemnebat gloriam, & contem-
nemdam docebat , & mundo huic deditū
illum

illum spernebat, & contemptibilem existimabat. Interrogatus cur in Carcassona diœcesi libentiùs moraretur, quām in Tolosana? respondit: *In Tolosana diœcesi multos inuenio qui me honore afficiunt, in Carcassona omnes me oppugnant.* En verum mundi cōtemptorem, Christiq; germanū discipulum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.

De sancto Arnulpho Episcopo Suessiensi refert Surius in vita eius à Lisiardo suo successore conscripta, quod cum cōmuni consilio fratrum, fauente clero, & populo Abbas sancti Medardi electus esset, Antistes Theobaldus cum fratrum caterua ad Arnulphum inclusum contendit, & præmissa oratione solenni, appellat eū rogans, obsecrans, monens, & imperans ut votis fratrum acquiescat, Abbatissq; ministerium in Christi nomine suscipiat: at ille qui iam triennij, & sex mensium silentium tenuerat, nimirū expauescēs, arrepta tabella tale respōsum scribit. *Rogo vos fratres charissimi parcite mihi, & me peccatorum*

Laur. Sur. in
euis vita to-
mo 4. c. 9. &
10.

torum mole prægrauatum, sinite aliquem
 Deo offerre pænitentia fructum, nec me ho-
 minem insulsum ullo modo cogatis ad ta-
 le onus suscipiendum. Quod si modò non
 vultis cedere precibus meis, inducias, vel
 usq; manè, mibidetis, ut possim hac in re ex-
 plorare Dei voluntatem. Eo responso perle-
 cto, Episcopus cum clero aduertit eū quip-
 piā animo callide versare; datis tamen
 inducijs, custodes ne noctu fugiat, in celle
 circuitu disponunt. Verum ille altis suspi-
 rijs, crebrisq; gemitibus noctem trahens
 peruigil, vbi aduertit custodes optato so-
 pore correptos, scalam ascēdit, & permu-
 rum aufugit: posteaq; cùm deliberasset ad
 remota deserti loca fugere, duce lupo, qui
 illi se itineris comitem adiungit, (vel po-
 tius authore Deo) redit ad urbem Suessio-
 nensem; vbi inuentus, & cognitus præfe-
 ctus, & Abbas cœnobio illi sancti Medardi
 etiam inuitus creatus est. Postea mortuo
 Theobaldo Suessionum Episcopo, à cle-
 ro, & populo in Episcopū electus est. Sed
 nolens acceptare dignitatem, ab Hugone
 Legato Gregorij septimi Summi Pontifi-

cis, sub Anathematis poena, & in virtute sanctæ obedientię coactus est Ecclesiæ in Pontificali officio deseruire: & sic licet mærens & afflictus mandato constrictus cessit eorum voluntati.

De sancto Vulmaro Abbatे & Confesore refertur in Surio, quod cum in agone huius vite viriliter aduersus vitia, & concupiscentias contenderet & de virtute in virtutem progrediens, omnibus tanquam lucidissima lampas radios bonæ operacionis administraret, Deo seruiens cum omni mansuetudine & humilitate, dignus sacerdotali munere, sacerdotio initiatus, ob vi-tæ meritum ab omnibus cum magna reverentia prædicabatur. Sed vir Dei laudes hominum non ferens, timensque per huiusmodi adulaciones se aliquando aeterno brauio priuandum (sicut de quibusdam in Euanglio dicitur. *Recepérunt mercedem suam*) in eremum aufugit, nihil secum ferens nisi sacerdotalia vestimenta.

Sed inter tot sanctos & grauissimos viros non relinquendum putauit sanctum Theophanem, qui & Isaacius, dictus est

Laur. Sur. in
vita eius to
mo 4.

Laur. Sur.
in eius vita
tom. 2.

eiisque grauissima, & sanctissima verba.
Qui cùm nocte in cubiculo cum sponsa
sua esset, & in lectulo consideret, & toto
animo res diuinæ agitaret, suspirio indi-
cans desiderium suum sic eam alloqui ag-
gressus est. *Vita et curriculum coniux* (ut om-
nibus patet) exiguum est, & incertum, ne-
mo enim mortalium nouit quando mors
sit accessura, nosque hinc ad futurum illud
iudicium (quod omnibus est commune) di-
missura, in quo rerum gestarum ratio seue-
ris questionibus reddenda erit, cum impara-
ti nonnunquam, & magnis peccatorum cu-
mulis onerati illuc homines rapiantur, &
rerum procreatarum pulchritudine spolia-
ti, omnium cruciatuum acerbitate, atque
igne conficientur sempiterno. Et cùm bo-
na quedam exigua (si tamen dicenda sunt
bona, qua specie tantum, & opinione sunt)
eiusmodi possederint, innumerabilibus tor-
queantur calamitatibus, qua morte sunt
ipsa longè grauiores. Atque ut interim ta-
ciam quam brevia hac sint, atque insta-
bilia, diuitiae, nisi recte illis utaris vitio-
rum magis quam virtutum ministra sunt,
& mul-

E multorum insidijs obnoxia, & ante quam
parte sint, dilabuntur. Iam humana gloria
quid inanius? prasertim si cum aeterna illa co-
paretur. *Quam obrem, nihil est cur numere*
tur in bonis. Hæc & alia multa sanctus iu-
uenis loquebatur cum pura sponsa, atque in
tegra Christi columba, solitudinis, & casti-
tatis cupidior, quam nuptiarum. Sicque amo-
re Christi succensi ambo in perpetuam co-
tinentiam sponte sua consentiunt. Pos-
tea vero Monachus factus est in Monas-
terio quod proprijs sumptibus, & facul-
tatibus in insula (quam Calonymum vocant,)
construxit. Vbi cum Praefectus Monaste-
rij ab hac mortali vita discessisset, omnes
ad eum cōcurrentes, & lachrymantes sup-
plicabant ut sibi praesesse vellet, & saluti eo-
rum consulere. Sed animum eius mouere non
potuerunt, qui in rebus abiectis, ac vilibus
constituerat permanere. Et baculum in ma-
num sumens ad Sigriancem montem perue-
nit fugiens Monasterij praefecturam, res
omnes mortales pro nihilo ducens.

Sed ne videamur in exemplum ad
imitandum afferre solum homines eos,

Liber primus.

qui per lōgissimū tempus à nobis absunt,
oportebit ex nostris, qui propinquius ac-
cedunt, quosdam memorare, quos nulla
dierum præteritio, nec annorum vicissitu-
do obliuioni traddet. Ii enim commenda-
tionum hominum obliti, & humanæ
gloriæ parùm cupidi, vel sublimioris dig-
nitatis sedes occupare noluerunt: vel
certè, vi principum compulsi, ad eas eue-
cti sunt.

Adest enim primū in recenti homi-
num memoria. D.D. frater Franciscus Xi-
menez de Cisneros, ordinis sacrati diuī
Francisci, vir profectò summis virtutibus,
& studio religionis cum quodam Hila-
tione comparandus, fortitudine armo-
rum, & expeditione bellorum cum Cæ-
fare conferendus, & paupertatis amore:
viris Apostolicis simillimus. Quem cùm
Reges Catholici Ferdinandus, & Elisa-
beth pro eius meritis vellent præmio affi-
cere, supremam apud Toletum ecclesiam
suae curæ dediderunt. Sed ipso renuente
hunc locum præcellentem ascendere, ope-
ram secretò Reges adhibuerunt, tūm vt

Magister I-
liefonf. Vi-
l'egas, in s.
par. de vitis
sanctorum:
discurso 22:
de dignita-
tibus.

Bullæ

Bullæ gratis & absque ullis sumptibus expedirentur, tūm etiam ut Summus Pontifex intra literas iuberet ei sub obedientiæ virtute, ut eam gubernationē susciperet.

Præterea memoria nusquam excidet grauissimus pater, & eruditus magister frater Dominicus de Soto Dominicanus unus quidem non è septem sapientibus Græciæ, sed è sapientissimis orbis apud Academiam Salmantensem, quem velut parente Dialecticæ, & Philosophiæ, atq; Doctrinæ primum tractationū moralium pro doctrina Sacramentorum, & rerum ad salutem animæ pertinentium, nō Hispania solum, sed vniuersè prouincie literatorum hominum venerantur. Hunc (inquam) Carolus Quintus Hispaniarum, & Indianorum Rex, & Maximus Imperator, merito rū illius omnino conscius, Episcopatu Se-gouiensi donauit: sed ipse quāmuis Ecclesia hæc condita sit in loco nativitatis suæ proprio, māgis saluti animæ suæ, quām cognitorum commoditati, vel honorationi populari prospiciens, eam tantam dignitatem dimisit.

Idem, ibide

48 Fuit etiam eidem Imperatori periu-
cundus, & acceptus, D.D. frater Ioannes
Hurtadus de Mendoça, nobilitate præ-
cellens, literarum studijs versatus, & vir-
tutum ornamenti conspicuus. At ipse
quæ retrò sunt obliuiscens (ad imitatio-
nem Pauli ad Philippenses tertio) ad ea,
quæ sunt priora extendens se ipsum, (Nā
vt prior ante oculos ponenda est glo-
ria cœlestis, & tamquam posterior, ad
tergum reijcienda mundana gloria) cùm
summus Imperator vellet eum cæteris
omnibus eminere in Archiepiscopatu To-
letano: ipse potius elegit subesse cunctis,
& supremam apud Hispanos dignitatem
ablegauit à se. Et sicut carbo accensus
sub cinere iacet, ne extinguitur: hic vir
diuina dilectione flagrans, & ardens ad
protegendum virtutis ardorem, ne for-
fam aër vanitatis esflare, desiderans eam
suam mundi despectionem sub silentio
esse, quasi sub cinere humilitatis, sum-
mis precibus ab Imperatore petiuit, ne
vlli hominum rem istam enuntiaret, nisi
post obitum ciusdem viri. Præstitit ita Ca-
rolus.

rolus. Sed viro præstantissimo vita fun-
cto, cum Imperator quadam die vna cum
Proceribus suis Ecclesiam ingrederetur,
iuxta sepulchrum eius parum sistens, quoſ
dam ex Pramatibus suis sic alloquutus est.
Sub isto lapide iacet Monachus quidam,
quem ego preficere volui *Ecclesia Toletana,*
& *pro testimonio sit nostra sacrata coro-*
natio, quod voluntati mea noluit annuere.

Nec silentio prætereunda est illa terrenæ
gloriæ despectio, quæ in D. D. Ferdinando
de Toledo fratre Comitis de Oropesa reſ-
plenduit, hic enim integrissimus vir, cùm
eſſet in Hispania, propter rectitudinem vi-
tæ, prudētiæ, & sapientiæ lumē, & ob alias
animi perfectiones, Romæ in numerum
Cardinaliū adscriptus est, de qua electio-
ne cùm sumimus Pontifex cum per literas
certiorē faceret, ipſe quasi ineptus muneri
tanto, & veluti tanti honoris indignus, glo-
riam à ſe Cardinalatus excuſſit.

Magna etiam recordatione dignus
eſt, illustrissimus vir, D. D. Franciscus Bor-
gius Dux Gandiensis, Marchio de Lom-
bay, qui Dei amores succensus, sanctorum

Iacobus A
-el p̄ficio
mporium q
-trivob. dīl
-ob. nsq. H
-ll. 111

ibidem

Petrus de
Ribadenei-
ra, Societa-
tis Iefu in
vita eius, li-
bro 2. ca. 5.

Alphons.
Garc. à Ma-
ta Moros, in
lib. de viri-
Hispan, do-
etis.

imitatione commotus, atque virtutum maximarum agitatus studio, publicis regum honoribus perfunctus, amplissimis opibus abundans, potentia eminens, generosis liberis auctus, è fluctibus saecularibus emersit, & è grauiissimis regalis Curiæ tempestatibus in columis euasit. Nā oblato sibi multoties Cardinalatu in sancta Romana Ecclesia à Julio Tertio, & à Pio Quarto, & Pio Quinto Pontificibus maximis, parui quidem ducēs, traddidit se ipsum Societati Iesu, quasi nomen dans perfectissimè militiae Christianæ, ad gerenda bella Domini, tertiusque Præpositus Generalis totius eiusdem sanctissimæ religionis factus est. In qua reliquum tempus vitæ suæ magnis vigilijs, orationibus, & prædicationibus sanctissimè & religiosissimè consumpsit, magno cum omnis Christiani orbis fructu, & prouentu, diù nocteque in oratione permanens, ita inedia corpus suum affecit, vt cūm esset nimis grossus, ita crassitudinem extenuauit, vt cutis ipsa macerata superfluens pectori superponetur duplicata. In literis etiam ita profecit,

ut multa nobis doctissima, & grauiSSima
composita opera reliquerit pietate Chris-
tiana, cœlesti Philosophia, & spiritu diui-
no, facundiaque sacra referta.

Sed quamvis hæc magna sint, maio-
ra nobis proponenda supersunt. Rapuit
enim in admirationem animos vniuer-
sorum hominum illa regnorum abdica-
tio, victoriarum intermissio, & maiesta-
tis imperatoriæ neglectio, quam poten-
tissimus, & inuictissimus princeps cele-
berimus, & sanctissimus Heros. Caro-
lus Quintus fortiter, & magnanimititer
effecit, qui duplicem Coronam, impe-
ratoriam scilicet, ac Regiam, ē suo capi-
te submouens, alteram tribuit Regi Bo-
hemorum Ferdinando fratri suo, alte-
ram autantissimo & prudentissimo filio
proprio Philippo Secundo cunctarum
dominationum suarum hæredi, & spo-
liatus summa maiestate, ingentibus o-
pum, diuinitiariumque thesauris pro sua
propriavoluntate orbatus, vacuus mun-
danarum rerum curis, omnibusque prin-
cipum commoditatibns relictis, in soli-
tudi-

Fr. Prud. de
Sandoval
ord. S. Beno
dic, Abaf. 6.
Yfid. in
Chron. Ca-
rol. Quinti.
2. lib. 32, §.
38.

tudinem fecerit: ubi apud Iuste præstan-
tissimum, & deuotissimum Cænobium
ordinis sacrati Divi Hieronimi, qui si-
nem multorum bellis acerrimorum ho-
stium extrinsecus posuerat, & ab huma-
nis ducibus victorias comparauerat, ini-
micos animæ debellauit: & Principibus
tenebrarum deuictis, finem suis annis im-
posuit, & victor per gratiam, è vita disce-
dens, ad cœlum euolauit.

Arist. Eth.
cap. 7.

Sed ijs quæ diximus aduersari vides-
tur durum profectò, & Philosopho in-
dignum verbum in primo Ethicorum
capite septimo. *Honorem, voluptatem,*
mentem, ac virtutem omnem propter se
expeti, ipsorum enim (inquit) quodque
expeteremus, si nihil inde etiam nobis e-
ueniret. Cui respondeo equidem, ho-
norem & gloriam, & eiusmodi res prop-
ter se ab hominibus appeti, quoniam, &
si eas alia externa commoda non con-
sequerentur, omnes honore, & laude gau-
derent. Sed easdem, alios ad fines or-
dinari, & dirigi, minimè ille quidecim
negauit. Immò capite antea quin-
to

to, scripserat. *Honorem ab hominibus quari, ut boni ducerentur.* Quòd si nullo proposito fine honores per se ambien-dos Aristoteles aliquando iudicauit, non naturæ lumini, sed communis tūm homi-num imbecillitatis, & ægritudinis iudicio stetit.

Ex his quæ hactenus explicata sunt, diiudicari rectè potest, ad quod potissimum genus bonorum in partitione illa Platonica, quam capite octauo exposui-mus, gloria referatur. Non enim est ex illis, quæ aut sui tantum, aut sui qui-dem, & ex se fluentium bonorum causa petuntur, sed ex ijs, quæ non propter se, sed propter ea, quæ efficiunt, eliguntur, & amantur. Näm nèque gloria est iustitia, aut aliqua ex cæteris virtutibus, quas in illo genere medio collocauit Plato, nèque si alia desint, per se optari ab homine Christiano potest,

ut superiùs appro-

batum est.

(?.?)

CAP.

C A P V T . XIII.

Quo pacto appeti possit gloria.



E D Q UONIAM gloria non est res naturā mala, sed bona (vt dictum est) & omne bonum expetibile est, non erit eius appetitio reprehendenda, si debitæ cautiones, & moderationes adhibeantur.

1. Conclus,
Primus mo-
dus quo ap-
peti gloria
potest.

Aug. lib. 2.
de sermon,
in mont. c.
1. & 2.

Primum omnium rectè appeti gloria potest, cum in ea non statur, sed ē vestigio ad Deum itur: vt si ego placere optem hunc laborem meum bonis, & eruditis, habeisque laudari, non ut doctus habear, sed ut laudetur *Pater ille luminum, à quo est omne datum bonum.* Ita censet Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 1. & 2. Et est profectò suāpte spontè manifestum, nam, qui ita laudari cupit, nō suam, sed Dei gloriam optat, quod est diuino, & humano iuri imprimis consentaneum: Deo enim vere & propriè gloria debetur. Est autem ita comparatum ut opera nostra speciem & nomen à fine for-

tian.

tiantur. Nam qui multa largitur, ut opem alienis calamitatibus ferat, non liberalis est, sed misericors: qui bellum gerit, ut in pace viuat, non est amator belli, sed pacis; qui furatur, ut viam ad adulterium muniatur, non tam est fur, quam adulter, ut est vi-
sum Aristoteli lib. 4. Ethicorum cap. 1. &
lib. 5. cap. 2. Similiter qui laudari se, aut sua
vult ut laudetur Deus, diuinæ gloriæ appe-
tens dicitur, non suæ. Huiuscmodi gloriæ
desiderio Dauid incensus descendit in sin-
gulare certamen cum Philistæo illo, 1. Re-
gum, 17. quod ex verbis eius patet. *Ego au-*
tem venio ad te in nomine Domini exerci-
tuum, Dei agminum Israël quibus expro-
basti hodie, & dabit te Dominus in manu
mea, ut sciat omnis terra quia est Domi-
nus Deus in Israel, & nouerit uniuersa Ec-
clesia hac, quia non in gladio, nec in hasta
saluat Dominus. Et Psalmo, 33. In Domi-
no laudabitur anima mea, audient man-
sueti, & latentur. Ideoque Psalmo, 113. ait.
Non nobis Domine, non nobis, sed nomini
tuo da gloriam. Et Dominus Matthæi, 5. præcipit Apostolis. Sic luceat lux vestra
coram

Arist. 4. E-
thic. ca. 1. &
lib. 5. c. 2.

1. Reg. 17.

Psal. 33.

Psal. 113.

Matth. 5.

corām hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, qui in cœlis est. Ideoque, prohibet (inquit Augustinus) opera iusta coram hominibus fieri, cùm ad laudem nobis conciliandam facimus (ait enim) *Attendite ne iustitiam vestram faciatis corām hominibus ut videamini ab eis.* Iubētque idem in oculis, conspectūque omnium exponi, ut inde ad ad Dei laudes excitemur. Nam ut gloriæ Dei quasi detrahitur cùm malè viuimus, (ut ex Esaia refert Paulus ad Romanos, 2.

Ad Rom. 2.

Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est) ita accessio quædam fieri videtur, cùm in officio manemus. Delectantur enim homines naturā virtutibus: & cùm aliquid egregiè factum vident, miris laudibus efferunt, & fidem, & Deum auctorem fidei, ac bonorum. Quod ad Galat. 1. Apostolus indicat dicens. *Tantum autem auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat, & in me clarificabant Deum.* Et quidem si scripturam sacram

Ad Gal. 1.

cram euoluamus, inueniemus Patres no-
stros ita sibi gloriam persæpè quæsisse,
etenim Christus Ioannis decimo septi-
mo, *Pater (inquit) venit hora, clarifi-
ca Filium tuum.* Sed quem ad finem? ut
Filius tuus clarificet te. Paulus non vere
tur se gloriosum dicere, sed ita dicit, ut in
Deum referat, eique laudem tribui ve-
lit, non sibi: ita enim scribit ad Ro-
manos decimoquinto: *Habeo igitur
gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non
enim audeo aliquid loqui eorum, que per
me non efficit Christus in obedientiam
gentium, verbo, & factis, in virtute
signorum, & prodigiorum in virtute Spi-
tus Sancti, ita ut ab Hierusalem per cir-
cuitum usque ad Ilyricum repleuerim E-
vangelium Christi.* Et prima Corin-
thiorum decimoquinto ait. *Abundan-
tius illis omnibus laboravi, non autem
ego, sed gratia Dei mecum.* Deni-
que Actorum tertio, Petrus & Ioan-
nes, cùm redditam claudio sanitatem
sibi tribui viderent, continuò osten-
dunt se Dei gloriam, non suam quæsisse.
1. Corint. 15

Liber primus,

*Viri Israëlitæ (inquiunt) Quid miramini in
hoc, aut quid nos intuemini, quasi nostra
virtute, aut potestate fecerimus hunc am-
bulare? Deus Abraham, & Deus Isaac,
& Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum
glorificauit Filium suum Iesum. Non est
ergo cur laudationes hominum reformi-
demus, earumque causa præclara opera
fugiamus, modò animum purum, & in-
tegrum retineamus. Quod peregregie à
Persio poëta explicatum est.*

*Non ego cum scribo, si forte quid aptius
exit,*

*Quando hac rara avis est, si quid tamen
aptius exit,*

*Laudari metuam, nèque enim mihi cor-
nea fibra est.*

*Sed recti finemq; extremūq;, esse recusa.
Eugenium, & bellè.*

*At hoc Christiana philosophia Ethnicæ
addit, ut quamuis eo animo non feceris,
cùm tamē laudaris, eas ipsas laudes statim
transferas in Deum.*

*Addit sanctus Thom. 2.2. quæst. 132. art.
1. & in quæst. 9. de malo, art. 1. licere etiam*

opta-

In laudatio
ne hominū,
quo modo
nos gerere
debeamus

Perfius.
Sat. i.

S. Thom. 2.2
q. 132. a. 1. &
q. 9. de malo
art. 1.

optare, ut bona nostra hominibus probentur, in quantum utilia sunt ad hoc quod Deus ab hominibus glorificetur, & ut testimonio alienę laudis stimulati, vel ex ipsis bonis, quae in nobis cognoscimus paratores ad perseverandum, & proficiendum in dies promptioresque esse possimus. Idem est iudicium, ac eadem ratio cum gloriam petimus, quam necessariam esse sentimus, ut aut moderatas diuitias, aut aliquem dignitatis gradum assequamur: modò ista etiam iuste appetantur, & ad Deum tandem dirigantur.

Sed est semper magnopere aduentendum, ne cum laudabilia facimus, paulatim gloriam in animos nostros irrepere sinamus, eiusque suavitate deliniamur, & quasi instituti nostri obliti in ea acquiescamus. Obuersetur semper animo illud. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Quia licet hoc sane per difficile est: erit tamen facile si videre valemus: *Nos non esse sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, & quod omnis sufficientia nostra ex Deo.*

Appetere laudem, ut eo testimonio quis in bono opere perseveret, & in dies frat parator ad virtutē, & præclarū opus minime quidem malum est, sed est hominum imperatorum.

2. Conclus.
Secundus
Modus, quo
Appeti glo-
ria potest.
Math.25:

Alter autem appetendæ gloriæ modus est, idèmque non reprehensione, sed laude dignissimus, cùm boni, aut eruditî haberi volumus, nō causa nostra, sed eorum quorum plurimum interest eam de nobis concipere opinionem.

Atq; hic qui Reipublicæ respicit utilitatem in quinq; omnino partitus est. Aut enim quæ bene à nobis, & cum virtute sūt, laudari cupimus, quoniā utile illis est bona noscere, & probare, essetq; inhumanū optare ut quæ bona sunt, nō eis talia viderē tur, aut quia laudibus nostris vehemētiū ad honestatem concitantur, ut Themistocles ille, quem Milciadis trophea dormire non sinebat. Item ne nostro exemplo mouentur in malum, et ne religioni labes inferatur aut dedecus. Aut cū alios docemus apud quos, ut proficient, debet esse nostræ eruditio[n]is existimatio.

Omnia hæc uno, eodemq; fundamento nituntur, quòd in eis diuina laus, non humana queritur. Nam & quæ alijs beneficia dantur, sibi ipsi dari Christus Matthœi 25. interpretatur, cùm ait: *Quod vni ex mis- nimis*

nisi meis fecisti, mihi fecisti. Et qui membrorum decori, saluti, utilitati studet, non dubium est quin gloriam capit is promoveat, eiusque, cuius laudes (cum aliquid facimus) augentur. De primo ita Augustinus libro secundo de sermone Domini in monte capite primo. Recte autem (inquit) vivere, & nolle laudari, quid est aliud quam inimicum esse rebus humanis, que utique tanto sunt miseriores quanto minus placet recta vita hominum? Si ergo inter quos viuis, recte viuentem non laudauerint: illi in errore sunt. Si autem laudauerint: tu in periculo. Nisi tam simplex cor habueris, & mundum, ut ea que recte facis, non propter laudes hominum facias, magisque illis recta laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum est, placet quam tibi. Secundo autem prudentissime Paulus vtebatur, aliorum virtutes apud alios praedicando, ut utrisque stimulos ad virtutem subderet. Ut secunda Corinthis noueno. Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis

Aug. lib. 2.
de serm. in
mon. cap. 1.

Corinthus
dilni obit
dicitur
solidab. A. 3
...
eb. diligita
naturae
...
2. Cor. 9:

Liber primus.

2. Thessal. i.

glorior apud Macedones. Et, 2. ad Thessalonicentes, 1. Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesijs Dei pro patientia vestra, & fide,

Tertius mo-
dus quo ap-
peti gloria
potest:

Tertius modus latissime patet. Debemus enim omnes, atq; ij potissimum qui magistratus gerunt, aut excelsum aliquem amplitudinis & dignitatis gradum tenent, vt monachi, sacerdotes, Episcopi, Duces, Reges, Imperatores, non honeste modo viuere, verum etiam operam dare, vt alijs id notum, & manifestum sit, quos ad sui imitationem, allicere iubentur. Plenum est enim crudelitatis bene intus viuere, & foris scelera simulare. Nam quid aliud hac simulatione efficies, nisi te malum vt arbitrentur, & ad paria facienda moueantur? Qua de re Augustini verba subscribā

Vide in lib.
2. Machab.
c. 6. de Elea-
zaro.

Aug. lib. de
bono viduit
cap. 24.

in libro de bono viduitatis, capite vigesimo secundo. Ne quis humilitatis esse putet suas semper occultare virtutes. Nec audiendi (inquit) sunt siue viri sancti, siue foeminae, quando reprehensa in aliquo, negligentia sua, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longe abef-

abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficerre conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solum, verum etiam crudeliter contemnentes. Cum occidunt animas aliorum, siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem, (quasi turpis) qua casta est, displicet vita sanctorum. Siue etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitorum, atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit. Quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra. Vnde dicit Apostolus placete omnibus per omnia, sicut, & ego omnibus per omnia placebo non quarens quod mihi utile est, sed quod multis, ut saluifiant. Et iterum in epistola ad populum Hippensem de communia vita clericorum sermone quadragessimo nono in sermonibus de diuersis, quae habetur duodecima quæstione prima sic ait: Nolo ut aliquis de nobis in veniat male vniendi.

1. Corin. 10.

Aug. in E-
pist. ad Pop.
Hippone. de
conim. vita
clericor. in
sermonib.
de diuersis,
12. q. 1.

Liber primus.

occasione, prouidemus enim bona, ut
2. Corint. 8. ait idem Apostolus non solum coram Deo,
sed etiam coram hominibus propter nos
conscientia nostra sufficit nobis, propter
vos fama nostra non pollui, sed pollere
debet in vobis, tenete quod dixi atque
distinguite, duæ res sunt conscientia, fama,
conscientia tibi, fama proximo
tuo, qui fidens conscientia sua negligit fa-
mam suam, crudelis est. Hactenus Au-
gustinus. Cum quo illud etiam Cice-
ronis in primo libro de officijs semi-
per probauit. Negligere quid de se quisque
sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam
omnino dissoluti.

Matthæi. 5. Hoc ipsum Dominus Apostolis præ-
cepit Matthæi quinto. Vos estis lux mun-
di, non potest abscondi ciuitas supra mon-
tem posita: neque accendunt lucernam,
ponunt eam sub modio: sed super can-
delabrum, ut luceat omnibus qui in
domo sunt, sic luceat lux vestra coram
hominibus, ut videant opera vestra bo-
na, glorificant Patrem vestrum qui in
caelis est. Hoc Apostolus saepissime ite-
rauit,

rauit, ad Romanos duodecimo. *Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et prima Corinthiorum decimo. *Sine offensione estote Iudeis, & gentibus, & Ecclesiae Dei,* sicut & ego per omnia omnibus placebo, non quarens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Et ad Philipenses secundo. *Omnia autem facite sine murmurationibus, & habitationibus, ut sitis sine querella, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prava & peruersa, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

At Episcopis accuratius etiam praecipit prima Timothei quarto. *Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Et paulo post. *Hec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus.* Et ad Titum secundo. *In omnibus te ipsum prabe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in granitate, ver-*

Ad Rom. 12

1. Cor. 10

Ab Philip.

1. Thim. 4

Ad Titum

Liber primus,

bunum sanum irreprehēsibile, ut is qui ex aduerso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.

*Quartus
modus quo
appetit glo-
ria potest.*

*Quartus est ne aut turpiter agentes,
aut quo hominum aures de nobis sermo-
ne compleantur parui pendentes, & alios
perire, & religionem nostram, aut digni-
tatem in contemptum apud populum
Christianum, aut apud Ethnicos adduci
sinamus. Quod sumimae etiam curæ
Paulo fuit, i.ad Timotheum, 6. *Quicun-
que sunt subiugo serui, Dominos suos om-
ni honore dignos arbitrentur, ne nomen
Domini, & doctrina blasphemetur. Et*
*ad Titum secundo. Tu autem loquere
quaæ decent sanam doctrinam, senes ut
sobrij sint, pudici, prudentes, anus si-
militer in habitu sancto non criminatri-
ces, non multo vino seruientes, bene do-
centes, adolescentulas ut viros suos ament
ut non blasphemetur verbum Dei.**

*Perditissima etiam ratio est, sacerdo-
tem, Episcopum amare alia, neglige-
re famam, ut infirmi homines impin-
gant, amplissimæque dignitates con-
tem*

1.Timo. 6.

Ad tit. 1.

temnat: ex quo nascitur omnis morum peruersitas, & depravatio. Debet illis semper ante oculos versari, quam personam induerint, dandamque esse operam, ne peccata quae prius priuata fuerant, in commune totius communitatis, & reipublicæ dedecus emanent. Ac ideò prima Timothei tertio, Diaconos, & Episcopos (in quibus etiam presbyteros intelligit) cum creatur, non tantum bonos viros esse Paulus vult, sed etiam tales ab omnibus existimari. Imò verò in eorum filijs (nequa infamiae pars venire possit ad parentes) non putat testimonium famæ negligendum, ait enim ad Titum primo. *Filios habens fideles, non in accusatione luxuria, aut non subditos.* Quantò melius de se idem dicit ad Romanos undecimo. *Mi- nisterium meum honorificabo, quomo- do prouocem ad amulandum carnem meam.*

Illud autem, quod erat in diuisio-
ne ultimum, non paruam vim habet,
Est

i. Timot. 3..

Ad Titum 1..

Ad Rom. 11..

Liber primus,

Est enim & cum prudentia, & cum Christianæ vitæ institutione mirifice congruens, non tantum optimum, aut, (si ita munus tuum postulet) doctissimum esse, sed etiam eum (ut alijs vñi sis) cupere videri. Fecit hoc singularis ille vniuersorum hominum magister, & bene viuendi preceptor Christus. Nam & se magnoperè ab Ioanne laudari voluit, Ioannis primo & tertio. Et ipse potentiam, dignitatem, diuinitatem suam non dissimulauit: præsertim in Ioannis Euangelio, quoniam videbat in eo sitam esse hominum salutem, ut ipse Dei Filius, & seruator, & beatitudinis effector crederetur. Qum & Ioannis duodecimo. Cùm vox de cœlo audita esset Patris, Filij gloriam, & claritatem præferentis, palam testatus est se hominum gratia laudari, cognoscique voluisse. Non propter me (inquit) hac vox venit, sed propter vos. At Paulus qui se imitatorem Christi esse profitetur, cum auctoritatē suam infringi à pseudo Apostolis videret, in qua totius penè orbis terræ vertebatur salus, palam

Iamque illi iactitarent, nullam ei fidem habendam, qui neq; à Domino vocatus, neq; institutus, ut cæteri Apostoli fuisset. Præterea nec constare sibi, sed nunc circumcisionem è medio tollere, nunc euchere laudibus. Qua contentione animi causam suam agit, vt se defendit, vt agcoscit in se Dei beneficia, & virtutes suas. *Quoniam multi* (inquit, 2. Corinthiorum, 11.) *gloriantur secundum carnem, & ego glorabor.* Ac paulò superiùs, existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. *Nam & si imperitus sermone, sed non scientia.* Et in quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. *Hebrei sunt, & ego. Israelite sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt, & ego.* Ut minus sapiens dico, plus ego. Quo in loco insignem Apostoli moderationē spectemus. Sæpè cùm se laudat, insipientem se vocat, & insipientia se loqui dicit, ut perspiciamus non sine apertæ insipientiæ nota, & demetiæ, laudes quæri: (vt admonuerunt Chrisostomus, & Theophilatus) cùm sine necessitate queruntur. At ad

Gala-

Liber primus,

Ad Gal. 1.

Galatas scribens , ita auspicatur. *Paulus Apostolus non ab hominibus; neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem.* Et statim , sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, *Anathema sit.* Nec multo post. *Notum enim vobis facio fratres Euangeliū quod euangeliū zatum est à me, quia non est secundum hominem , neq; enim ego ab homine accepi illud, nec didici , sed per reuelationem Iesu Christi.* Et capite consequenti contulisse se Euangeliū suum cum magnis Apostolis dicit, sed accepisse ab illis nihil. Adeò ut Petrum etiam principem , & doctorem omnium, & Barnabam ab Spiritu Sancto ad id muneris lectum, palam reprehendere, quod non recte ambularent ad veritatem Euangeliij. Plurima sunt eiusmodi in Paulo, ut ad Roman. 15.1. Corinth. 15. Ad Galat. 5. & 6. Ad Ephesios, 3. Ad Philippen- fcs, 3.

Ad Gal. 2.

Ad Rom. 15.

1. Cor. 15:

Ad Cal. 5. &

6.

Ad Ephes. 3.

Ad Philip:

3.

Manet igitur appetitum gloriae vbiq; esse reprehendendum, nisi cum ad Dei laudem, aut ad nostra, fratrum vel nostrorum com-

commoda dirigitur. Quod ego latius persecutus sum, quoniam non deesse intelligo, qui gloriae per se desiderium laudent, atque commendent, aduersamque sententiam perlubenter sequantur. Quæ quidem, ita ut verba ipsa præferunt, accepta, non modo est falsa, verum etiam perniciosa, peruertit enim mores, & homines maiori, quam par erat, studio laudem ambientes magis, magisque incitat, & mouet. Ac ea metes maximè ad hoc laboris adeundū impulit, quod maximo verebar opere negligentia illa deteriores homines fierent, & optimarum mercedem actionum inani prædicatiuncula commutarent.

C A P V T . X H I I .

*An possit appeti gloria, ut est debita virtutis? & de quibusdam dubijs,
ex dictis*



VERO HOC in loco optimè quæri potest, an (nullo alio fine spectato) optari possit gloria, ut est tantum debita

bita virtuti? vt si Augustinus laudari libros
 suos cuperet, non quidem plusquam dig-
 ni erant, sed eam gloriam, quam sibi debe-
 ri sciret, exigens, & petens; Thomas Caie-
 tanus, 2.2. quæst, 132. art. 1. ait: Ego contrà
 negandum puto. Nam quanuis prædica-
 tione digna sit virtus, & boni iure lauden-
 tur, tamen non ea est gloria quæ per se ex-
 petibilis est. Per se autem sine dubio expeti-
 tur, cum quasi debita exigitur, nec aliis fi-
 nis additur. Nam quod ipse confirmandi
 gratia adducit hunc appetitum gloriæ, ad
 Dei tandem laudē referri, quia gloria pro-
 ximè ad virtutē dirigitur, & virtus ad Deū:
 mihi minimè valere ad confirmandum
 videtur: Qui enim laudem, vt debitam pe-
 tit, is gloriæ, nō Dei causa laborasse (quod
 alienum est à virtute & mercede, quam
 quasi suo iure postulat) indignum se esse
 declarat. Ecquis vñquam id tanquam iu-
 rè sibi debitum postulauit, ad quod ipse
 minimè respexit in agendo? Iniquum est
 gloriam nomine debiti exigere cuius cau-
 sa fecisse nihil tu te ipse fatearis. Imò verò
 (inquires) imò eam deberi mihi puto maxi-
 tem

Thom. Caie
 can. 2. 2. q.
 132. art. 1.

Gloria quæ-
 do per se ex-
 petitur.

mē, quia eius causa feci nihil. Quem autem lēdo, si disoluī mihi volo quod debitum est? Hic iam tūte tibi repugnas. Si enim ad eam respectum non habuisti, contempsisti, & leue (ut erat) bonum, ac indignum, quod pro benefactis peteretur aestimasti: quæ nunc instantia est, eandem temere repeteret, quam prudenter abiecisti? Sed (quod maximè ad rem facit) non considerauit, Caietanus bonos viros nullam gloriam appetere, nisi quam se virtute meruisse sperant. Nam si eam peccarent, quam non meruissent, & si optimum ad finem referrent, non esset dubium peccare illos. Eset enim hæc inanis gloria, quia ex re vana, & indigna petebatur. Cū ergo à maioribus nostris accusantur omnes qui sibi mercedem gloriæ reddi volunt, nisi honestiorem finem addant & in Dei laudem, aut fratribus referant salutem, atque ita demum posse appeti statuunt: apertum est de ijs loqui, qui debitam virtuti suæ gloriam aucupantur, ut ex corum dictis cerni

Gloriam
quando ap-
petunt viri
facti.

potest. Quod autem ait, *Gloriam proximè ad virtutem dirigi, ac referri*, id ambiguatatem quandam habet. Potest enim intelligi referri gloriam ad virtutem, ut præmium illius, & est hoc quidem verum, sed non omne præmium virtutis est per se appetendum: ut opes, ut sacerdotia, ut potentia. Itaque gloriam reddere nobis alij debent, à nobis nullo alio adhibito fine non est petenda. Si autem ad virtutem referatur tanquam eius stimulus quidam, & incitamentum, tunc non per se ad virtutem refertur, sed per accidens: propterea quod homines non valde virtute prouecti dulcedine gloriæ vehementer ad honestatem incitantur. At beatis, ac etiam perfectis hominibus gloriam ob virtutem reddimus, non ut incitamentum, sed ut præmium. Ex quo intelligitur eam per se præmium esse virtutis: incitamentum autem non nisi per accidens. Atque ideo cum aliquis finis non præfigitur, per se appeti censetur.

Quod si urget nihilo plus appetendam

dam esse pecuniam , quam gloriam , posse autem operarium pecuniam pro opera exigere , licere itaque pro virtute gloriam diuersa est in primis , & dispar ratio . Etenim operarius deactus est cum altero , & pecuniam iure pacti , conuentique poscit , cuius causa laborare potuit : non eam enim per se appetit , sed quia est ad parandum vietum , ad vitam tuendam necessaria : gloria vero neque deduci in pactum potuit , neque debuit . Quamobrem qui benefacientem non laudat , iustitiam non violat .

Sed quia aliorum causa gloriam quaeri posse diximus , dubium est liceat ne cuiquam aliquid facere causa , aut parandi , aut augendi gloriam , non quidem suam , sed patriae , aut ordinis , aut generis , aut collegij , aut alterius communitatis ? Evidenter ambiguitate quaestio non caret : partim enim gloria per se appeti videtur , quod peccatum est : partim aliorum utilitas quaeri , quod officium est . Atque amplificationem quidem & gloriam aliquius ordinis , aut collegij , vel uniuersitatis

sitatis, recte optare possumus, verbi causa.
Mihi sacerdoti licet cupere me quam op-
timum esse, ac videri, ut qui sacerdotes
insectari solent, intelligent esse quidem
nonnullos malis moribus, sed existere
alios, quos mirari possint, & imitari.
Eodem pacto officium est me operam
dare ut iure optimo doctus existimer, no
ut ego laudationibus afficiar, sed ut hoc
vel illud collegium, vel maxima Complu-
tensis Vniuersitas, vel Schola Salmanti-
censis, vel Vallis Oletana Academia cla-
rorum virorum, & doctissimorum al-
trix (ut est) & parens habeatur. Horum
una est, & eadem ratio, quod & honesti-
ti ordines ciuium, & haec doctorum ho-
minum domicilia, quae iam diu inuales-
cente consuetudine Collegia vocamus,
sponte sua ad reipublicæ ornamentum, &
utilitatem instituuntur. Patria, & genus
non videntur esse in tam bona causa. Na
quamuis patriæ præsertim gratia omnia
facere, ac pati debeamus, tamen huius ciui-
taris, aut huius domus laus no videtur pro
xime ad publicam utilitatem referri. Ete-
nim

nim qui nobilitatis auctor exticit, praelucere posteris, sibiique, ac suis splendorem conciliare sempiternum, non prodesse rei publice voluit. Qui vero oppida, aut ciuitates collecti in unum condidere, sui modò, non aliorum habuere rationem: inuenire enim voluerunt quomodo frigoris, & caloris iniuriam vitarent, tranquilleque viuerent, atque omnia ad vitam necessaria suppeditarent.

Quamobrem gloriam querere ut familiam, aut patriam nobilitemus, nullo alio fine praestituto; nempe ut alios ad imitandum trahamus, ut illi domesticis laudibus incensi omnem operam in virtute ponant, sicutque ad gubernandam rem publicam idonei, & apti, vix arbitror, ac ne vix quidem recte fieri posse. Est enim id gloriam per se appetere. Interest autem nihil virum tibi an alijs gloriam per se appetas? Veroque enim modo quod Dei est ad homines transfers. Quod si tibi id optare non licet, quia viciosa est glorie per se appetatio, optare alijs cur licet? Non enim malum est quia tibi optas, sed quia gloria

Liber primus,

ita optari non potest. Dénique cùm virtutibus nostris alias res laudari, nobilitari que volumus, magnòpere cōsiderandum est, num illæ suapte natura communem vtilitatem spectent, ita vt è republica sit eas extolli? nam si eiusmodi non sint, ab officio recedemus, quoties ijs perse laudes appetemus. Ac si quisquam de peccati gratuitate quærat, dicemus nos quidem id posse à, cùm de inani gloria disputabimus. Nunc tantùm confectum volumus, pecari quoties aliquid fit studio gloriæ, nec ea ad alium dirigitur finem.

Verùm his aliquis posset ita dubitare. Aio èquidem gloriæ desiderio, quasi labore quadam, honestas aliòqui actiones infici, cùm id nos præcipue ad agendum trahit. Sed si ego charitate mihi proposita egenis vietum largiri, aut publicè in Ecclesia cōcionari incipio. : & (vt fieri solet) blandè postea laudis appetitio subeat: nūm ea totum opus polluet, & perdet? exemplum est apud Gregorium in fine librorum moralium, ybi ad se ipsum rediens, & de longo illo ac præclaro opere loquens. *Dum*

Dubiū qua-
tenus fādē-
tur bona o-
pera appeti-
tū gloriæ..

Gregor. in
Sæc Moral;

if sam

ipsam (inquit) subtiliter radicem meā intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summōpere placere voluisse cognosco: sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se, nescio quomodo, intentio humana laudis interferit. Ad hoc ita respondemus. Si quidē illa laudis appetitio sit, veluti impetus quidam, & aggressio, cui continuò resistatur, ac aditus in animum negetur, id tantū à peccato aberit, ut etiam victoria suscepti operis augeatur amplitudo: at si leniter se se insinuet, animūmque occupe, peccabitur quidem: sed concionis, aut largitatis meritum non amittetur, si statim ejiciatur. Quod si ea non prius, quam actio ipsa, finiatur, pars illa quæ gloriæ studio maculata non est, deformari, eò quod postea irrepit, non potest, altera quæ deinde consequitur, omnino perditur.

Sed emergit ex dictis, nec leuis, nec cōtemnenda dubitatio, satis ne sit omnem gloriam, quam optauimus aliquo antea die, in Deum, aut in emolumentum fratrum referre, ut quamuis eam postea sine

Dubiū an sa
tis semel re
fere gloriā
ad bonum
finem.

(multo)

Q 4 alio

alio fine optemus, à virtute non discedamus? verbi gratia. Dominico die ita mecum statui, siquid hodiè, aut hisce sex proximis diebus laudis appetam, id in Dei gloriam, aut in aliorum salutem tantum appetitum volo. Non multò post pauperibus subuenio, publicè dispergo, ad populum orationem habeo, cupio misericors, acutus, disertus videri: utrum erit hoc studium reprehendendum? an proris relationis causa excusandum? & sanctum non esse reprehendendum, non obscurum videtur.

Nihil enim plus habet pecunia, cur operetur quam gloria: licebit autem proflus patri familias pecuniam querere, etiam si finis illi in mentem non veniat, modo prius apud se decreuerit augendas esse opes, non ad auaritiam, sed ad familiā alienam. Cur igitur idem in gloria non licebit? Deinde non necesse habemus actiones nostras semper in finem actu referre, satis erit, ac super ante retulisse. Quemadmodum si Compostellam, aut Romā, (quod est vulgare, & vetustate protritum exemplum)

plum) religionis causa proficiscamur, satīs est illius itineris laborem Deo semel (cūm aggredimur) dicare, nihil necesse est per singulos gradus Dei, Iacobi ve meminisse. Qui ergō quam quæsitus sit gloriā principio Deo obtulerit, & quasi consecrauerit, non erit accusandus, si quoties eam optabit, Dei, aut fratrum non recordabitur. His ut satisfaciamus, duo sunt animaduertenda. Primum, antecedentem relationem vim non habere, nisi cūm tale est opus, ut ex ea prodijse intelligatur. Si enim quis in via dormiat, aut saltet, aut etiam ieiunet, aut oblatam adulterij occasionem repellat, non pertinent hæc quidem opera ad priorem Compostellanæ peregrinationis relationem: alterum est nihil efficere relationem cūm contraria voluntate, aut actione interrumpitur: ut si hunc ipsum suscepti itineris pæniteat, aut referre pedem incipiat. Cūm verò appetitus gloriæ accusari non soleat, nisi debito fine cūm caret, tota hæc versatiur difficultas, vtrum ne is appetitus gloriæ ex precedentí relatione nascatur? An ve-

ro, quia nouus finis non additur, sit potius illius interruptio, atque intercapedo quedam relationis? Est enim sine dubio bonus si ex ea emanat. Sed isthuc ipsum dijudicare difficillimum est.

Primum omnium animus maximè intuendus est, ut rectè percipi possit, ita ne gloriam petierit, aut cæperit, ut aut noua extiterit aliquo modo voluntas per se illā cupiens? aut, ut ita cuperet pertentatus nō àdmodum repugnauerit? tunc enim magna fit significatio interruptā fuisse relationem. Deinde etiam diligentissimè inspicendum est, num plus concupierit glorię quā proposito fini satis sit? aut ex ea re quę nihil conducat ad finem? Satis enim constat tum per se ipsam appeti gloriam, ut si opinione docti hominis quiduis efficere apud fratres possis, & velis tamen omniū doctissimus haberi, aut cùm sola queritur eruditio, cupias bonus iudicari, aut concionator studeas Mattheeos peritissimus videri.

Prætera conscientiam nostram non modò rogare, sed etiam accuratissimè execute

cutere oportet, ut videamus an id quod facimus facturi nihilominus essemus, si vel ad Deum laus, vel ad fratres utilitas, nulla vero ad nos gloria perpetua esset? Si enim non eramus facturi, nemini id quidem dubium est, ad antecedentem relationem respectum non haberis: quemadmodum si librum legas, quem usui alijs futurum spes, atque eum minimè ederes, nisi te spes glorie inuitaret. Relinquitur itaque ex superiori disputatione eam dénum gloriæ cupiditatem laudabilem esse, quæ actu, aut virtute ad honestum finem refertur, nisi talis sit ut cum priori relatione non tam congruere, quam pugnare videatur.

C A P V T. XV.

In quo quinq[ue] prioribus argumentis pro appetitu gloriæ respondetur.

SEDE iam (ut videtur) explicata, argumentis, quæ pro appetitione gloriæ capite noueno adduximus, singulatim respondeamus, sunt enim difficultia, & quæ negotium

gotium haud mediocre facere possent, ni
si tan multa dicta essent. Damus igitur ul-
trō (quod primum efficere volebat) glo-
riam, qui ab omnium quoddam est, expetibi-
lem esse. Verum eo modo expetibilis est,
quo bonum est. Est autem ex bonis exter-
nis, quae bona non sunt nisi secundū ana-
logiam, (hoc est) quātenus ad virtutem,
quę perse bona est, diriguntur. Quamob-
rem non est expetibilis nisi cùm ad Deū,
aut ad virtutem refertur.

Ad Secundum respondeo diuitias, va-
letudinem, liberos optari quidem posse,
non sui gratia, sed ut instrumenta suppe-
tant, quibus aut Deum melius colamus,
aut emolumento reipublicę simus. Idq;
Ecclesia cùm hæc à Dō petit, ipsa testa-
tur. Ut in prima ad Timotheum cap.2. A-

<sup>2. ad Thim.
cap.2,</sup> postolus iubet orationes, & obsecratio-
nes fieri pro regibus, & omnibus qui in su-
blimitate constituti sunt, ut quietam, &
tranquillam vitam agamus in omni pietate,
& castitate.

Tertiij assumptio speciem quādam præ-
fert veritatis, sed falsa est. Non enim glo-

ria ex virtute per se nascitur, sed ei quasi res quædam externa accidit, nam fieri potest (& sæpè numero videmus) ut homo sanctitate excellens ignobilis sit, & ingloriosus. Atque adeò hæc duo sciuncta sunt, ut optimos esse nobis, cùm volemus, integrum sit, gloriam habere, extrinsecus, (hoc est) ex multorum arbitrio pendeat. Et quidem quāmuis per se ex virtute manaret, non esset ea ratione appetibilis, sed ut bonum quoddam est. Quo quidem modo non est per se expetenda, ut sæpè diximus.

Quarti argumenti vires superiùs eneauimus: cùm auctore etiam Aristotele 3: Ethicor. cap. 8. ostendimus non esse virtutem, sed speciem quādam, adumbratio nèmque virtutis, quæ infamiae timore, aut laudis desiderio quidpiam facit. Non igitur gloria propriè incitat ad virtutem, non enim opus virtutis, quod sit causa gloriæ.

Quintum est profectò difficilius, assūmit enim id quod vix inficiandum videatur, naturalem esse gloriæ appetitio-

Arist. 3. Eth.
cap. 8.

ab. dil. g. u. A
id. n. o. o. d. l.
n. i. p. o. o. i.
m. o. i. r. o. o. i.
ab. n. d. l. s. t.
v. r. s. n. o. i.

nem

nem. Sed abhorret sine dubio à veritate plurimum. Etenim vniuerso hominum generi insitum à natura est rectè ubique, & secundum virtutem operari. Estque hominis naturæ (rationis compos animal cum sit) rationem optimam benè viuendi ducem sequi: ideòque omne vitium eo ipso quòd vitium est, contra naturam est, ut acutè probat sanctus Thomas, i.2. q. 71. artic. 2. cuius verba sunt: *Vitium virtuti contrariatur, virtus autem uniuscuiusq[ue] rei consistit in hoc, quòd sit bene disposita secundum conuenientiam suæ naturæ.* Vnde oportet quòd in qualibet re vitium dicitur ex hoc, quòd est disposita contra id quod conuenit suę naturæ. Vnde & de hoc vnaquaque res vituperatur, quod confirmat Augustin. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 14. dicens: *Quod perfectioni naturæ deesse perspiceris, id voca vitium.* Et in 11. de ciuitate Dei, cap. 17. sic ait: *Vitium autem ita contra naturam est, ut non possit nisi nocere naturæ, non itaque effet vitium recedere a Deo, nisi naturæ (cuius id vitium est) potius competenteret esse cum Deo.*

Aug. lib. de
libero arbitrio c. 14. in
fine r. tom.
Et lib. 11. de
ciuit. c. 17.

Cum

Cùm ergo cupiditas gloriæ vitiosa sit, bonorumq; operum depravatrix, & naturales appetitiones cōtrarię esse non possint, non est abstrusum, neq; absconditum laudis appetentiam aduersari etiam hominis naturæ (Tantum abest naturalis vt sit) nisi cùm est ipsius comes, & administra virtutis. Quòd verò hæc in omni reperiantur ætate, nihil mirum est. Naturæ enim nostræ primi parentis peccato debilitatæ, & fauicatæ plurima vitia adhærescent, eāq; à ratione, & à virtute reuocare nituntur, ut effrænata veneris, & diuitiarum, & honorum, & dominationis cupiditas. Quas affectiones, & propensiones, & si non in omnibus modò hominibus, verùm etiā in belluis videmus, tamen naturales non vocamus. Non igitur hæc à natura data sunt, sed viciatam, & corruptam, & depravatam naturam consequuntur. Suntq; ex plagiis illis, quas homo accepit descendens ab Hierusalem in Hierico: de quibus etiā à Domino Genesis octauo, dictum est: *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* In belluis est.

Lucr. 10:

Genes. 8.

est, quidem quasi sensus quidam , & appetitus laudis, sed culpavacat, quia cum rationis ex perte cùm sint, coercere nō possūt, Nec verò inde efficitur naturà in homine in esse, nam homini(vt homo est) id tantū naturà convenit , quod est secundum rationem.

C A P V T . XVI.

In quo argumenta ex sacris literis aducta diluuntur.

VN C Ad ea, quę ex sacris literis petita fuere , veniamus , eaq; quam vim habeant excutiamus. Nam fortiora esse , quam vt debilitari , frangiq; possint, visa sunt Osorio nostro.

Quod ad primum attinet , nemini id quidem dubium esse debet, rectè , & iuste Deum gloriam expetere posse. Habet enim in se quidquid laude dignum est , nō aliunde acceptū: estq; ipse solus totius laudis, & bonitatis autor, & origo. Iure igitur suo petere à nobis laudes potest . Causa nostra

nostra multum dissimilis est, quid enim habemus, quod non acceperimus? Sed quoniam ille nostri non est indigens, sicut in Psalmo decimo quinto scriptum est. psalm. 15.

Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: tantaq; est eius præstantia, & amplitudo, ut nec laudibus nostris amplificetur, nec vituperatione minuatur: nostri causa laudari vult, quoniam in eo sita est nostra fœlicitas, ut eum, & mente cognoscamus, & ore manuq; latidemus.

Qua de re eleganter disputat Augustinus tractatu quinquagesimo octavo in Iohannem. De Christo autem, eiusq; lectatore Paulo multa diximus, omninoq; (ut arbitror) fidem fecimus in Ubi gloriam & hominum utilitatem claros se, & præstantes haberi voluisse. Et sanè sic etè eorum verba expendamus, facile intelligemus gloriam quæ à Deo est utrumq; optasse, magni q; fecisse: eam quæ ab hominibus datur, (nisi quatenus illi ipsi qui dabant utilis erat) penitus contëpsisse. Non enim inquit Christus, velim ab hominibus gloriam habere, sed *Pater clarifica Filium tuum,*

Aug. tract.
58. in Ioan.

Liber primus;

clarifica me tu Pater apud te metipsum.

Quid Paulus? Nunquam à Magistro dis-

sidentit. *Verbum*(inquit ad Philippenses se-

cundo) vita continentis ad gloriam meā

in die Christi. An laudem ab hominibus ex-

peccat, qui eam in hac vita non vult, sed in-

extremi usq; iudicij disert diem? Quid au-

tem prima Corinthiorum quarto ait? Mi-

hi prominimo est, ut iudicer à vobis, vel ab

humano die. Et secunda Chorinthiorum

capite 13. Oramus autem Deum ut nihil

malificatis, non ut probati appareamus,

sed ut vos quod bonum est faciatis. Hoc

ergò pacto, intelligenda sunt, quae de glo-

ria in eius epistolis legimus. Ut cùm per

eam iurat, quam malle se mori dicit, quā

amittere. Ac siquidem de humana verba

faceret, facile amittere potuisset, odio, in-

vidia, suspicioneq; hominum varie de eó-

dem iudicantium. Verum hoc significare

volut. Licebat mihi per Christum more

cæterorum Apostolorum ab eis ali, quos

Ad Philip:

z. 1. Cor. 4.

1. Cor. 4.

2. Cor. 13.

ri malim quam insignis facti mercede pri-
uari.

1. Cor. 9.

O Illud de Dauide palmaris videtur post
omnium calamitatum commemoratio-
nem addente. *Et gloriam meam in pulue-*
rem deducat. Quod & si ut ea, quæ de Pau-
lo attulimus, non absurdè intelligi potest,
quemadmodum Augustinus ex ponit: ta-
men quoddam habet peculiare, quod quia
ab ijs, qui cōtra disputant, animaduersum
non videtur, & ad sacrarum literarum in-
telligentiam valde conducit, non est omit-
tendum.

Psalm. 7.

Gloria consuetudine, usq; scripturæ
ambiguum nomē est, latiūsq; manat, quā
hactenus significauimus. Dicitur enim
cūm aliquid valdè fulgens, & splendens,
atq; (ut Hieronimi verbis in cap. 5. ad Gala-
tas vtar) augustius ac diuinius hominum
se præbet obtutibus, quod multi maiesta-
tem interpretantur. Ut exodi quadrages-
imo capite. *Opperuit nubes tabernaculū*
testimonij, & gloria domini impleuit illud.
Nec poterat Moyses ingredi tectum fœde-
ris nube operiente omnia, & maiestate do-

*Hieron. in
c. 5. ad Ga-
lat.*

901. 81.3.8. Liber primus,

B. Reg. 8. mini coruscante. Et tertio regum octauo.
Impleuerat enim gloria Domini domū Do-
mini. Ezechielis etiam primo, & secundo
capite, legimus gloriam Domini Prophetæ
apparuisse. Paulusq; 2. Corinthiorum 3.
splendorem illum quo tota Mosis facies
collucebat, gloriam vocavit. Ita (inquit)
ut non possent intendere filij Israel in facie
Moysi propter gloriam vultus eius. Atq;
hinc effectum est, ut quoniam Deus (quo
nihil esse potest splendidius, neq; augustius)
se se purgatis, ac beatis animis palam in
caelo videndum, perfruendumq; præbet;
summa illa beatitudo nostra iure optimo
gloria dicatur. Quod quidem aperte Psal
16. expressum est. Satiabor cum apparue-
rit gloria tua. Et Lucæ 24. Nonne hoc opor-
tuit pati Christum, & ita intrare in gloriā
suam? Sapissime vero gloria dicitur affluē-
tia diuinarum, & quam vulgus fortunæ
prosperitatem appellat. Ut Genes 45.
Nunciate Patri meo uniuersam gloriam
meam. Idest, quam potens sim in ægypto,
quantis opibus abundem. Et 2. Paralipo-
menou capite 17. posterius verbum prio-

Psal. 16.

Lucæ 24.

Genes. 45.

2. Paralip.

ri explicatur. *Factaque sunt ei infinita diuinitas, & multa gloria.* Apertissimum est autem illud ex psalmo, 48. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Quod nihil est aliud atque id quod paulo ante dixerat: *Et relinquet alienis diuitias suas.* Quomodo illud quoque Matthaei, 6. intelligitur. *Et de vestimento quid soliciiti estis? considerate lilia agri quomodo crescunt, & non laborant.* Neque nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unus ex ipsis. Hoc est, nunquam Salomon diuitijs suis, quamuis magnis, & penè incredibilibus possidere vestem tam pulchram, ac lilia quae in agro sunt, potuit. Atque hoc modo in hoc Dauidis loco (in quo nunc versamur) accipitur, quasi ita diceret. Non vitam meam tantum inimici mei appetunt, atque insectantur: sed etiam omnes facultates meas, & hoc ipsum regnum, quod non virtute mea partum, sed ab te donatum habeo cruant, euertant, demoliantur, exci-

psalmo. 48.

Matth. 6.

Liber primus,

dant, ut mecum finiatur, nec ad posteros
meos transeat. Isthuc idem propè sibi acci-
disse Iob, cap. 19. querebatur. *Abstulit* (in-
quit) coronam de capite meo & spoliauit
me gloria mea. Et Esther cap. 14. non spon-
te se corona, regnique insignibus ornari
confitens. *Scis* (inquit) *necessitatem meam*
quod abominer signum superbiae, & gloriae
meae, quod est super caput meum. Constant
igitur recte omnia: nec erit iam difficile,
quoties tale aliquid occurrerit, ambiguita-
te nominis explicata, atque animaduersa,
interpretari.

Quod autem secundum argumentum
affert, hortari nos Deum ipsum ad famam
& gloriam, non alia ratione fit, quam
quod nobis necessaria est vita nostra, alijs
fama nostra. Quàmuis sacri libri (si ani-
mum diligenter aduertamus) non labo-
rant in excitando nos ad gloriam. Vedit
enim eorum auctor Deus hac quidem in-
re nos non calcaribus egere, sed fræno. Id
potius à nobis impetrare nituntur, ut à
fucata, simulatèque gloria declinemus,
& ijs nos semper actionibus exerceamus,

quæ

quæ possint & Deo placere, & homines rapere in admirationem sui. Itaque cùm aiunt, curam habendam esse de bono nomine, prouidenda bona coram Deo, & hominibus, non de famæ desiderio præcipiunt, sed de operibus laude, & prædicatione dignissimis, ut in secundo libro dicemus, cùm de præcepto gloriæ disputabimus. Quod si aliter homines accipiant, nec egregia facta debita laudatione prosequantur, nec id homo Christianus dolebit, nèque diligentiam, & contentionem suam remittet. Quemadmodum rectè Seneca epif.
8. dicit
oportet agere Lucili charissime in hoc ire impetu toto, licet pauci sciant, licet nemo videat. Et rationibus dictis nequàquam aduersantur sententiæ, & exempla sanctorum, qui visi sunt propriam zelasse gloriam, & famam. Id enim minimè propter se gerunt, sed prorsus pro gloria Christi. Ut videlicet in ipsis non minueretur gloria Dei, quæ aliquantulum minorari videtur in terris, quando

Seneca epif.
8.

Sancti quomodo gloriam suam appetant & bonam famam,

Liber primus.

ij, qui ab hominibus lumē esse creduntur,
& per iustitiae incedere semitas, ex operi-
bus minus rectis, seu ex oborta infamiae
macula, ab illis, qui exteriora iudicant, te-
nebræ esse arbitrantur, hinc est quòd accu-
ratissimè sancti, & amici Dei famam suam
impollutam laudabiliter conuersando cu-
stodire conantur, non (vt dictum est) pro
se ipsis, sed pro honore Dei, proximorūq;
salute, qui vtiq; edificantur in bono, & pro
mouentur ad bonum, considerantes com-
mendabilia acta eorum, atq; diuinam lau-
dant bonitatem, quæ p̄estat homini vndē
ipsa laudetur. Nam & veritas in Euangeliō
hoc insinuare voluisse videtur, cùm dicit:

Matth. 5.

*Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt
videant opera vestra bona, & glorificent
Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Petrus
quoq; inquit, *Conuersationem vestram ha-
bentes bonam inter gentes, vt in eo quod de-
tractant de vobis, tamquam de malefacto-
ribus, ex bonis operibus vos considerantes
glorificant Deum & Patrem in die visita-
tionis.*

Tertium fortis (vt videtur) & diffici-

li ratione pugnat, quod nos Deus ipse sæpè gloriæ quasi in citamento, præmiòque ad virtutem allicit. Sed in primis falsum est gloriam tamquam præmium vltimum proponi: longissimè enim à summo bono abest (vt diximus) verùm enim quoniam multos esse Deus videbat, qui nec cælestia bona cogitatione informare, complectique possent, nèque eorum admirabili pulchritudine, & dignitate caperentur: nè quid prætermitteret, quod saluti hominum necessarium aliquomo-
do videretur, quos maiora non mouebant, gloriæ dulcedine, & suavitate tra-
hendos putauit. Humanam igitur glo-
riam rudibus, & imperfectis, præcipue
ijs, qui sub lege, quasi sub pedagogo erant,
pollicetur. Quibus etiam diuitias, & cæ-
tera bona temporaria, & caduca sæpè pro-
missit. Ut exodi vigessimo capite: Et Exod. 20.
Deuteronomij vigesimooctauo: & alijs Deuter. 28.
frequenter in locis videmus. At viris
magnis, & qui multum virtute promo-
uerunt, licet bona quæ in vita daturus
esset enumeret: vt genesis duodecimo, & Genes. 11.
22. 26. & 28.

vigesimo secundo, & vigesimo sexto, & vigesimo octavo, tamen, quia eos altiori, & erectiori animo esse scit, quam ut eiusmodi bonorum spe admodum moveantur, maiora, & æterna proponit.

Genes. 15:

Vt genesis decimoquinto. *Noli timere*

Abraham, ego protector tuus sum, & mer-

Matth. 5:

cess tua magna nimis. Et Matthæi quinto,

Gaudete, & exultate, quia merces vestra
copiosa est in cœlis.

Dénique in nouo testamento, ubi iam cum filijs, perfectisque loquitur, animos nostros passim ad cœlestia erigit, terrestrium vix unquam meminit, quamuis illis quodque ipsis terrestribus, quæ in veteri pollicebatur, cœlestia spiritualiter contineri, & Paulus Apostolus sæpè indicauit, & nonnulli id temporis intellexere.

Nam illud Ioannis. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pa-*

ter meus, & eiusmodi alia, ec quis du-

bitare potest ad gloriam huius mundi

1. Corint. 4:

non pertinere? cum de Apostolis, 1. Co-

rinthiorum cap. 4, scribat Paulus. Tan-

quam purgamenta huius mundi facti sumus,

omnium

omnium peripsema usque adhuc. Et vero imperfectos esse, nihilque in virtute profecisse, qui gloria ad honestatem incenduntur, res ipsa indicat. Vir enim bonus, nec tantum nomine, sed re ipsa Christianus Deum agendo respicere, & spectare debet, & omnis merces ut abefset, una dignissima est virtus, quae per se ametur, & colatur, & ipsa sibi merces est, tum amplissima, tum iucundissima. Quod paucis verbis Virgilius ostendit, cum ait.

Quæ vobis, quæ digna viri, protalibus ausis

Premia posse rear solui? pulcherrima primum

Dij, morèisque dabunt vestri.

At pugnat tamen semper, & stat argumentum. Gloriam nobis Deus ante oculos ponit, ut eius amore deliniti virtutem amplectamur. Iubet ergo eam appeti, ut appetitione quasi trahamur, quoniam ergo nos ad id vocaret, quod appetere nemini liceret? Accutè sanè, & val-

Virg. Aenei.
lib. 9.

lens ratio. Sed responderi potest, minimè id quidem Deum velle, ut nos gloriam per se optemus. Non est enim ut homo, ut mutetur, nec ut filius hominis, ut mentiatur. Ut cùm diuitias pollicetur, non vult eas per se appeti, sed ut appetendæ sunt. Præterea quoniam videt multos nihil habore gloria antiquius, vel inde adeorum salutem ansam arripit, ut virtuti assuefieri incipient spe illa laudis capti, atque allecti, donec iij paulatim euadant, qui gloriam abiiciendam, honestatem sine externis illecebris sequendam putent. Quemàdmodum substantia, atque natura timoris seruilis est illa quidem minimè mala, sed modus ille, atque illa (ut ita loquar) seruilitas incusatur. Et qui aplurique timore filiorum, qui per se honestus est, non mouentur, sempiternas Deus calamitates, & inextinctum ignem intentat: quo seruili saltem metu à vitijs deterreantur: viamque sensim ad charitatem muniant, quæ foras mittat timorem, & ille alter substituatur, qui permanet in sæculum sæculi.

CAPVT, XVII.

*An appetitus gloria possit cum humilitate
consistere?*

V A SERAT ex argumentorum angustijs , & quasi ex scrupulosis cotibus enauigauerat oratio , nisi nunc ad scopulum haud mediocrem appulisset. Etenim humilitas propria Christianorum virtus , charitatis socia , & comes , religionis adiutrix , pietatis tutatrix , fundamentumque virtutum , sine qua fructu laboramus , tam aduersari videtur appetitui gloriæ , quam quod maximè . Cui autem rei cum humilitate non convenit , illa nefaria , & pestilens sit necesse est. Recepit enim inquit in epistola quinquagesima sexta ad Diocorūm Augustinus . Ut olim Demosthenes rogatus quid esset in arte rhetorica potissimum? primas pronuntiationi , & secundas , & tertias detulit : ita si ex se quereretur quid esset in religione primum? Humilitatem dicturum , id est ref-

Aug. epist.
56 ad Diocerum.

Liber primus,

responsurum, si millies rogaretur. At quid ab humilitate disunctius, quam appetitus gloriae? Ita enim hac cœlestis, & diuina virtus homines instituit, ut latere, contemni, laudes fugare, probra non vereri velint.

Cōtra appetitus gloriae in conspectu, & luce omnium versari, infamiam, & contemplationem, quasi finem malorum vitare, predicationes hominum sectari ardenter iubet.

Deinde gloriam optare non potest, nisi, qui sibi bene conscius, ea se dignum putat, alio qui inanis, & falsa gloria esset. Cūm verò humilitas tota in hoc sit ut exigua, & abiecta de nobis sentiamus, nosq; non laude, sed vita operatione dignos iudicemus: quomodo potestullo modo appetitus gloria cum humilitate coherere? Magnas profecto, & invictas vires habet hæc oratio, sed aduersus eos tota pugnat, qui gloriam per se appeti volunt, nulliusq; in appetendo finis meminere. Itaq; refellere eam quidem in libris suis nituntur, sed laterem (vt est in proverbio) lauant, & mouent se vndiq; diligenter, sed nihil promouent. Qui enim gloriam suam amat, quomodo ferre poterit notā sibi

Humilitatis effectus,
ad mirabiles.

sibi aliquam turpitudinis inuri? quam rationem seruiendi famæ inhonestam putabit? quomodo non ægrè feret alios sibi honore præferri? dignitate, & existimatio ne anteponi? quamobrem verissimum est illud Augustini in illa Epistola ad Diocorū. *Huic humilitati saluberrimæ, quā dominus noster Iesus Christus ut doceret, humiliatus est, huic (inquam) maximè aduersatur quadam (ut ita dicamus) imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus quid Anaximenes? quid Anaxagoras? quid Pythagoras? quid Democritus senserit? & ceteri eiusmodi? ut docti, eruditique videamur.* Et in explanatione Psalmi 33. ait. *Quid est esse humilem? nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est, qui superbus non est, humilis est.* Præterea, qui gloriam per se appetit, aliquid quod proprie Dei est appetit, longè igitur ab humilitate declinat, in superbiamq; discedit. At amori gloriæquem quidem nos cōfirmauimus, & constituius, magna intercedit cum humilitate necessitudo. Negauimus enim amari posse gloriam, nisi cùm ad Dei

Greg. lib. 3.
Moral. c. 33.
8 & 24.

Genes. 18.

Dei laudem, & ad salutem fratrum dirige-
retur, probauimusque tuum non nostram,
sed diuinam quæri, quod est cum humilita-
te coniunctissimum. Efficit enim humili-
tas ut peccatorum nostrorum magnitudi-
nem, turpitudinemque recordemur. Ut
præclare docet Gregorius lib. 3. Moraliū
cap. 23. & 24. Et infirmitatem, ac imbecilli-
tatem nostram sentiamus, quam multa ma-
la, quam nulla bona faceremus, si diuino
auxilio destitueremur. Unde super illa ver-
ba. Sedens in sterquilinio. Sic ait Grego-
rius. In sterquilinio sedet, qui infirmitatem
suam solitus respicit, & se de bonis qua-
per gratiam percepit, non extollit. Anno
in sterquilinio apud se Abraham sederat?
qui dicebat, loquar ad Dominum meum,
cum simpuluis, & cinis, aperte enim cerni-
mus in quo se apud se loco posuerat, qui pul-
uerem se, ac cinerem, etiam cum Deo loque-
retur, estimabat. Si igitur ita se despiciat
qui usque ad honorem diuinæ collocutionis
ascendit, sollicita intentione p̄fandum est
qua p̄pana illi serendi sunt, qui & ad sum-
ma nō proficiunt, & tamē de minimis ex tol-
luntur.

luntur. Nam sunt nonnulli qui cùm parua
 agunt, de semetipsis magna sentiunt, in al-
 tum mentem subleuant, & praire se ceteros
 virtutum meritis putant. Hi nimirū apud
 se introrsus humilitatis sterquilinium de-
 serunt, & elationis fastigia ascēdunt, illum
 videlicet imitantes, qui accepta conditio-
 nis dignitate contentus non fuit, dicens, in
 cælum consendam, super astra cœli exalta
 bo solium meū. *Quisquis ergo introrsus in-*
tumescit, in altum se apud semetipsum po-
nit. *Qui enim verè se humiliat, continua*
considerationis oculo, quibus circumseptus
fit delictorum sordibus, proficiens pensat,
quia omnis electus in infirmitatis sua consi-
deratione se comprimit. Hæc Gregorius.
 Efficit ènī humilitas vt nos metipso cognoscamus, quod proprium est Christianorum, vndè Augustinus tractatu, 25. in Ioannē. *Tota (inquit) humilitas tua est, ut*
cognoscas te. Meliusq; dixit, quām aut intel-
 ligere, aut etiā suspicari potuit, qui scripsit,
E cœlo descendit.

Vident excelsi & magni animi homines
 (quos humiles Christiani vocamus) quid-

sup

S

quid

Aug. tract.
 25. in Ioan.

Iuuen. sat.
 11.

Liber primus,

quid habet boni, Dei esse, nihil sibi tribuit,
nihil se habere sciunt, quod non accepte-
rint, æquissimo animo fatentur, nihil se
habere esse, quasi exesse, nulla est in eis fre-
^{Mai. 26.}quentior vox, quam *omnia opera nostra*
operator es in nobis Domine. Nemo est
qui diuinam gloriam vehementius expetat. At
haec omnia (si recte ratiocinemur) in eo ve-
niemus, qui laudem non nisi ut diximus ap-
petit. Cernit se suapte natura infirmum, &
fragilem, nihil habere cur in pretio habeat-
ur. Si quid videt boni, diuina fuisse largi-
tate donatum intelligit, Deo deferendam
esse gloriam, hominem nihil sibi arrogare
debere, nisi cum per Dominum licuerit.
Atque ita excelsa quadam & admirabili ani-
mi magnitudine se ipse contemnit, glo-
riam sibi non querit, omnia Dei causa facit
silaudationem suam aut eius gloriae, aut fra-
ternæ saluti necessariam esse iudicet, non
reformidat: immo etiam, si necesse est, querit.
Quod si ea causa non cogat, domini non
inuitus latet, laudes declinat, ignominia
non mouetur, abest enim id quod in eo a-
morem efficiebat gloriam. Paulus nihil vnu-
biup. 2
quam

quam omissit, quod quidem hominibus expedire iudicaret, gloriam (quatenus ad hoc vtilem videbat) amabat. Sed nec vlla fuit tam magna, tamque honorifica prædicatio, quæ cum efficeret: nulla nota, aut infamia tanta quæ frangeret. Itaque ex humilitate nascitur ille appetitus gloriæ, tantum abest, ei ut aduersetur. Docet hoc Spiritus ipse sanctus, qui cum vbiique homines ad humilitatem hortetur, ad hoc etiā gloriæ genus inuitat. *Vt psalmo, 5. Et gloriabantur in te qui diligunt nomen tuum.* psalm. 5.

Et psalm, 31. Latamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. psalm 31.

Et, 2. Corinth. 10. Qui autem gloriatur in Domino glorietur. Tum autem in Domino gloriamur, cum nihil nobis tribuimus, sed cunctam gloriacionis causam & apud eum collocamus, & in eum diriginus. 2. Cor. 10:

Quemadmodum prima Corinthiorum primo, explicat Apostolus. Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ademit omnem occasionem glo-

gloriandi in nobis, ut semper in Domino gloriemur. Addit enim: *Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, ut quemadmodum scriptum est. Qui gloriatur in Domino glorietur.* Itaque humiles gloriari in se vetat (est enim id ab humilitate, & ab omni virtute sciunctum) gloriari in Domino non vetat, sed iubet.

Ac id quidem Paulus aperte se sefacere indicat, ait enim ad Galatas, 6.

Mibi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Quod acutè David percipiens, ac videns, egregie laudem illam non nostram, sed diuinam vocavit. Ut confiteamur (inquit psalmo, 105.) nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.

Ecclesiastici, 17. Iesus Sirachi filius. *Laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.* Id est, non tuæ, sed Dei laudis studeto. Quod si ad eam necesse habes laudari, gloriam compares licet, modo tibi quod gloria dignum sit tribuas, ac venedices nihil, sed Dei miseratione donatum intelligas.

Si vero quisquam est, qui intam mani
festis testimonij, quasi maligna in luce,
caligat: nec videt non appetitum modò
gloriæ, sed gloriationem ipsam optimè
cum humilitate consistere: evidentia pro-
feram, caliginemque omnem discussiam.

Judith octauo legimus, *ut sicut conturba-*
tum est cor nostrum in superbia eorum, ita
etiam de nostra humilitate gloriemur. Et
Iacobi, i. *Glorietur autem frater humili-* *Iacobii, 1.*
in exaltatione sua, diues autem in humili-
tate sua. Vide vero simul humilitatem,
gloriationem, rationem recte gloriandi,
1. Corinthiorum, 15. *Ego enim sum mini-* *1. Corin. 15.*
mus Apostolorum, qui non sum dignus vo-
cari. Apostolus, quoniam persecutus sum
Ecclesiā Dei, gratia autē Dei sum id quod
sum, & gratia eius in me vacua non fuit,
sed abundantius illis omnibus laboravi, nō
autem ego, sed gratia Dei mecum.

Illud vero quod principio obiectum
est, gloriam appetere neminem posse, nisi
ea qui se dignum aestimet: omnino verum
est. sed humilitatem efficere, ut nos vita-
peratione potius dignos iudicemus, nec id

Liber primus,

quidem negauerim: si ea tantum considerentur, quæ nos non à Deo, sed (ut aiunt) Marte nostro habemus. At ut sua despicit humilitas, ita Dei in se dona agnoscit, veneratur, amat, non indigna quæ laudentur, putat. In magna ergo vulgus, non dicam ignoratione, sed cæcitate versatur, indecorū enim esse humili credit, ea, quæ ex Deo accepit, agnoscere, & (cum res postulat) confiteri (semper enim sise laudari audit ore inficiatur) cum contra facere ingrati, & abiecti, & turpificati animi habeatur.

Psalm. 88: Daudis misericordias Domini in se aspicit, & sentit, & perpetuo cantare vellet testatur,

Paulus nihil abiectus, aut putidus, ita de se,

Ad Rom. 8: & sui similibus scribit ad Roman. 8. *Nos*

i. Cor. 2: *ipsi primitias spiritus habentes. Et, i. Corinth. 2. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, quæ*

i. Corin. 13: *& loquimur. Diceret ne idem vñquam, an experimentum queritis eius, qui in me lo-*

i. Corin. 11. *quitur Christus? aut, imitatores mei estote, sicut & ego Christi? si humilitas (cuius ipse fuit amantissimus) tam mirificabona*

reti

reticere præciperet. Quid? maiores nostri, qui hac maximè virtute floruerunt, appulissent ne aliquando animum ad docendū, aut ad scribendum, nisi præstantem suam eruditio[n]ē intellexissent? atq[ue] ea se v[er]sui eccl[esi]æ futuros credidissent? Num negat Maria immaculatissima Virgo, cum aut *gratia plena*, aut *benedicta inter mulieres* salutatur? An nō est eius magnifica illa, & in tali ore digna vox? *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* Non est itaq[ue] humilis, sed mendax, non bonus, sed ingratus, nō sui despiciens, sed superbus, & arrogans qui data sibi diuinitus beneficia insificatur: aut cùm manifesta esse oportet, reticentia cōtegit, & quasi sepelit sua. Verissimūq[ue] est illud Augustini in, 10. confessio[n]um cap. 38. *Sapè hominem de vanâ gloria contemptu vanius gloriari.*

Ex his intelligi potest, nec magnanimitatem quidē, quæ in maximorum honorū appetitione versatur, aduersam esse humilitati. Ut à sancto Thoma in, 2. 2. q. 129. acceptimus. Spectat enim humili scipsum,

S. Tho, 22,
q, 129, art, 3,

Ang. lib. 10.
cofcl.ca., 8.

viresque naturæ, submittit, ac contemnit
Reg. 15. se. Vnde illud primi regum, 15. cùm Sa-
 muel ad Saul loqueretur dixit. Nonne
cum parvulus essem in oculis tuis, caput
tribubus Israël factus es? Magnanimus
 quamvis hoc quidem facit, pergit tamen
 porrò, & virtutum suarum (hoc est) do-
 norum Dei contemplatione delectatur,
 sequè, sine superbia, eorum causa, hono-
 re dignum iudicat. Ac ut ipse neminem
 illis virtutibus, ac illis donis ornatum vi-
 deret, quem non coleret, & tractaret ho-
 norificentissimè, ita nihil sibi indignum
 sapientis grauitate, atque constantia fa-
 cere videtur, si amplissimos honores sibi
 haberi sinat. Quemadmodum de

Ad Phil. 2.

Christo ad Philippenses secun-

do scribit Paulus. *Non ra-*

pinam arbitratus est,

se esse aequalem

Deo.

CAP.

CAPVT. XVIII.

*Cuius virtutis actus sit appetitus
gloria?*



ED Quoniam omnis actio honesta, atque laudabilis ex aliquo habitu oritur: & appetitum glorie, ijs, quas diximus, cautionibus adhibitis, ac ijs honestatis praesidijs septum, laudabilem esse demonstrauimus: id quod consequens est queramus: à qua potissimum virtute nascatur? vix enim ad aliud opus magis necesse habemus habitū, quoniam non tam ducimur omnes studio glorie, quam capimur. Itaq; nisi adsit frænatrix, moderatrixque virtus perdifficiliter resistitur.

Atque aliquis fortasse charitatis: Cum esse respōdebit, videlicet hac ratione duci, quod ea diuino homines amore incēdit, facileq; ab eo, qui Deum ardentissime amat, impetrabitur, vt eius ubique glorie, & fraternalis commodis prospiciat, & consulat. Sed eadem ratio, si paulò esset robustior, virtutes omnes similiter tolleret,

ac vnam ferè relinqueret charitatem. Nā omnes actiones nostræ aut erga Deum, aut erga homines sunt; & ad eas satis esse præsidij in charitate videretur. Non igitur necessaria esset fides, non iustitia, non temperantia, non aliæ dñe virtutes, quia qui verè Deum amat, facile ei obsequitur, ac credit, facile fratres diligit, & ab omnibus abstinet iniurijs. Sed longè aliter res habet. Etenim charitas est Princeps quædam, & regina virtutum, easque supra se extollit ipsas, & ad Deum, quem maximè omnium intuetur, dirigit. Atq; ut Princeps munera, & magistratus distribuit in republica, duces, & summa prospiciens tribunos, ceturionesque constituit, quorum opera in bello vtatur; ita charitas virtutes alias, quasi comites, & administras habet; eisque (cùm res postulat,) imperat. Fide vtitur ut pate facta à Dèo arcana credantur, spe vt diuina bona sperentur, prudentia vt maturè, & consultò fiant omnia, iustitia vt nemo lædatur, fortitudine ad belli pericula subcunda, temperantia ad turpes affectiones coercendas.

Proinde quemadmodum in his virtutibus præter habitum imperantem, & diri gentem, alterum necessariò signamus quā si obsequentem, ex quo, vt ex principio proximo actus oriatur, ita erit in gloriæ appetitione faciendum. Et est id quidem difficile. Vix enim illa esse videtur in virtutibus moralibus, cui eiusmodi actus tribui queat, sed est tamē tentandum. Aristoteles quidem summus Philosophus (sic enim fuit) vidit appetitum honoris non esse natura malum. Quamuis in eo homines (vt in alijs multis) peccarent, interdum plus quam par est appetendo, interdum etiam minus. Et, (quod necessarium erat) animaduertit virtutem aliquam esse statuendam, quæ communem hanc animi affectionē moderaretur: vt nèque excessu pectaretur, nèque defectu. Naturam igitur ipsam, & rationem secutus, mediocritatē quandam in affectandis honoribus inter duo vitia extrema collocauit in, 2. ad Nicomachum, cap. 7. & in 4. cap. 4. Scilicet inter ambitionem, & auersionē honoris. Quod inter utrūque interiectum est medium,

Arist, in, 2,
ad Nico, c, 7
& in 4, c, 4,

dium, à nobis dūm commodiūs explicari non possit, modestia nuncupatur. Sed ut exiguos, communēque sumptus liberalitas moderatur, maiores verò & generosiores magnificentia: ita circa paruos honores est ita, quā diximus, modestia, in magnis & optimo homine dignis dicimus magnanimitatem. Oppositorum alterū, pusillanimitas dicitur, alterum quidē nos arrogantiam, aut inflationē appellamus.

De quibus multa Aristot. lib. 1. magpor.

Arist. lib. 1,
magu, mor,
c. 26. & lib.
3. ad Eude-
mum, & lib.
4. ad Nico-
cap. 3.

moral. cap. 26. Et lib. 3. ad Eudemum. Et lib. 4. ad Nicomach. cap. 3. Diuersę autem virtutes iudicantur modestia & magnanimitas, quoniam peculiaris & diuersa est in vtrāque difficultas. Fieri enim potest, ut qui tenuum honorum contumctioni assuefactus est, si magni & præclarri deferatur cedat ē vestigio, eoque quasi bonum quoddam mirabile, minimēque aspernandum, consecetur. Contraverò magnanimus, quia maiores semper appetit, innorespueret, atque contemneret, & facile in vtranuis partem peccaret. Est ergo is modestus, qui paruos, & exiles honores, qui-

bus



bus se dignum existimat, ordinatè appetit, magnanimus, qui se dignum magnis sentit, & eos iudicio, ac moderatione sectatur. Sed quas in appetitu gloriæ cautiones adhibuimus, cædem (vt ab officio non recedatur) in persecutione honoris adhibendæ sunt. Est enim etiam externum bonum honos, & Deo maximè accōmodatus, vt prima Timothei primo legimus. *Soli Deo honor, & gloria in scula sculorum amen.*

I. Timo. 1.

His ita inductis, & constitutis, sic cōquidem statuo, ordinatum, & rectum gloriæ appetitum, siquidem exigua sit, ex modestia progredi, atque nasci: si eximia, & ingens, ex magnanimitate. Ita sane uterque Thomas & Aquinas, & Caietanus docent
2.2. quæst. 132. art. 2. Sed Aquinas hac ratione nititur. Gloriam esse effectum honoris, laudibus enim, & honoribus fiunt homines apud alios clari, & gloriosi, ideòque ad eandem pertinere virtutem. Caietanus animaduertit non satis cōstat rationem, quoniam strenuitas in bello gerendo honoris est efficiens, nec tamen ad eandem virtutem ambo attinent. Itaque quasi cō-

S. Thom. &
Thom. Ca-
ietan. 2.2. q.
132. ar. 2.

motæ



motæ atque nutanti stabilitatem, & firma-
mentum hoc adiungendum putauit; fa-
teri se quidem causam, & effectum non
semper ad eandem spectare virtutem: sed
id peculiare esse gloriæ, & honori, quia
sunt eiusdem rationis, atque naturæ: am-
bo externa bona, & eodem modo appeti-
bilia, testimonia virtutis, & præmia. Mihi
bis addendum videtur recte id dici potuisse,
quoniam gloria ita est effectus hono-
ris, ut ex gloria quoque honos efficiatur.
Ut enim gloriosus euadit, qui laude, & ho-
nore afficitur, ita, qui cæteris antestat glo-
ria, & existimatione, omni honore credi-
tur dignissimus.

Sed quod potissimum vim habet ad co-
firmationem, gloria non est de aliquo
percepta opinio, nisi sit expressa, perspicua
manifesta, ut capite primo diximus. Mani-
festa autem esse sine laudatione non potest,
atque laudatio pars est quædam honoris,
ut cap. 4. ex Aristotele in libris ad Theode-
sten, & ex Xenophonte in Tyranno con-
clusimus. Quare gloria non solum magnâ
habet cum honore necessitudinem, &
cogna-

Aristo. ad
Theod. c.4.
Xenoph. in
Tyranno.

cognitionem, sed quodammodo eius pars, & quasi species videtur. Effetque vere, nisi quod gloria iudicium quoddam est, honor ex iudicio, atque ex opinione nascitur.

C A P V T, XIX.

De mediocritate in appetenda gloria.

**S**E QUONIAM virtus omnis sita est in mediocritate quadam, quam, velut in linea, transilire licet nemini: itaque ab Aristotele². Ethicorum cap. 6. definitur, ut sine mediocritate esse non possit, & omnibus penè in rebus est modus quidam atque finis, quos ultra, circaque (ut ille ait) nequit consistere rectum: necessariò in hanc disputationem vocamus, ut qui modus ad libendus sit in gloria, & quatenus sit appetenda videamus: Nec enim principi illi questioni de appetitu gloriæ fatisfecerimus, si prætermissa hæc pars fuerit.

Arist. 2. Ethic.
cap. 6.

Primum id certum, atque exploratum haberi

haberi debet, nemini plus gloriæ appetere licere,) & si optimo animo appetat) quām tuæ virtuti, meritisque debeat. Itaque quāmuis plurimūm reipublicæ intersit me quam optimum existimari, & si essem minimē quidem malus; tamen nisi maximē virtute praestarem, contra officium es- set cupere optimum videri.

Dupliciter in hoc genere peccatur , & cūm is qui veravirtute caret, eam se habere persuassum esse omnibus affectat , vt cūm fortis, aut temperatus , aut modestus censeri cupit , qui nihil minūs est: et cūm ille qui habet, maius quid habere quam habeat, aut plūs in ea profecisse, quām re ipsa profecerit, videri contendit. Verbi causa, es tu quidem liberalis, & modestus, sed appetis magnificus, & magnanimus haberi, rūdis es adhuc, & ferus in virtute, & optas iam cum magnis viris comparari. In eodē vitio sunt , qui ignorant se nescire, quod nesciūt, & vix primis literis in philosophia, aut in Theologia degustatis , doctissimi existimari volunt. Hoc malo plenæ sunt philosophorum, & iuris consultorum , & theo-

theologorum, & cæterorum omnium Scholæ. Elinguis disertus iudicari amat, disertus sapiens, Sophistes accutissimus in disputando, philosophus medicus, theologus philosophus, Jurisconsultus theologus, barbarus linguarum peritus, hic se vñū scire, atq; intelligere omnia: sed quid de doctis loquor? plena est vniuersa hominum vita, omnes hoc morbo laboramus, præter paucos fortasse.

Virg. lib. 8.
Encl.

Quos aquus amauit

Iuppiter, aut ardens euexit ad aetheræ virtus.

Itaq; quasi vsu turpitudo minuatur, perfecit iam cōsuetudo ipsa, vix vt se quisquā hoc in genere peccare arbitretur. Sed quāuis obduremus, & obsurdescamus, tamen semper natura ipsa, & ratio clamabit. Näm cūm gloriam ita appetimus, ex re quæ nō existit quærimus, ex religitur inani. Quid ergo est, si nō hæc inanis gloria est? Inanis enim dicitur, quia ex eo quod vacuum, & vanū, & inane est, petitur. In inani gloria peccatum esse quis non videt? Deinde mētiri alios volumus, & corruptè iudicare, id

T enim

Liber primus,

enim nobis tribui volumus, quod non ha-
bemus. Cum conscientia nostra, & cum
ipsaveritate pugnamus, & in vitium hy-
pocritarum incidimus, quod Dominus
acerrimè vbiique reprehendit, ac omni-
no personati incedimus, quia iij haberi vo-
lumus, qui non sumus. At utilis est alijs hec
de me opinatio. Sit sanè, tibi inutilis est,
Deo displicet, cum natura non congruit.
ad h. giv. b. 10. 1.
Num te aliorum utilitas cogere poterit, ut
malefacias? non est honestum opus, cui
bonus finis propositus est, nisi reliqua om-
nia habeat bona. Malum est cùm quid-
quam desit, ut bonum sit omnia contin-
gant, & conueniant necesse est. At hīc vñ
abest, quod gloriam ex ea re quæris, quæ
gloria digna non est, quomodo enim fiet,
ut gloria dignum, aut laudis efficiens sit,
quod non existit? Non existit autem il-
lud quod non habes. Est etiam hoc in
philosophia tūm constantissimum, tūm
etiam apertissimum. Aristoteles quidem
Aris s. mag. mor. cap. 26. sicut in primo magnorum moralium cap.
26. eum, qui honorari voleat, dignum esse
honore debere. Et in cæteris locis, quæ
T pau-

paulò ante adduxi, confirmat modestum,
 & magnanimum nulos appetere hono-
 res, nisi eos, quibus se dignum esse sentit.
 Ut igitur meritò à philosophis incusatur,
 qui minimè se, cum opus est, eo cultu, atq;
 honore dignatur, quem deberi sibi inte-
 lligit (incurrit enim in vitium auersionis
 honoris, aut pusillanimitatis) ita ille tur-
 pis, & insolens est, qui maiorem quam pro-
 meritis, & dignitate sua aut petit, aut acci-
 pit. Nam in alterum virtuti oppositum
 (hoc est) in ambitionem, aut in arrogan-
 tiā, delabitur. Cūm autem ad eadē
 virtutes, honos, & gloria referantur, aper-
 tè de gloria intelligitur quod de honore
 dictum est. Sed quid inter philosophos
 versamur, cum à nostris explicatum ha-
 beamus? Ecclesiastici, 10. *Fili in mansue-*
tudine serua animam tuam, & da illi hono-
rem secundum meritum suum. Idest, ne
 illam maiori honore affici velis, quam
 factis suis meretur. Christus, & si Domi-
 nus erat & cœli, & vniuersi orbis terræ,
 tamen quia regnum, quale est apud ho-
 mines, non habebat, nec sibi deferendum
Eccles. 10:
Ioann. 6:

Ioan. 18.

accipere voluit: & palam apud Pontium Pilatum testatus est regnum suum non esse de hoc mundo. Ioannes Baptista missis à Senatu populòque Hierosolymitano Sacerdotibus, ut siquidem ipse vellet Christus crederetur, itaq; coleretur, repulit excellentem gloriam, abiecit maiorem meritis dignitatem. Elegit (vt homilia, 6. in Euangelia scripsit Gregorius) solidè subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se, negauit se esse Christum, Heliam, etiā & Prophetam. Atq; (vt alios præteream) Paulus hoc abunde exemplo suo, suaq; auctoritate sanciuit. Nunquam quidquam sibi tribui vult quod non fecerit. Nunquam plus laudis vendicat, quam promeritus sit, vt ad Romanos capite decimoquinto. *Habeo igitur gloriam in Christo Iesu, non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Et secunda Corinthiorum capite, 10. (quo nihil est ad hoc accommodatius) *Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam qui se ipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipso metientes, &*

Greg hom.
6. in Euang.

Ad Rom. 15.

~~cor. 10. 15.~~

a.Cor. 10:

comparantes nos met ipsos nobis. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regula, quia mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usq[ue] ad vos. Non enim quasi non persingentes ad vos, superextendimus nos. Imò vero, cùm à Corinthijs, quos docuerat, maiori se in pretio haberi videret quam decebat, contentius hanc existimationem delere nititur, & qualis censeri velit ostendit. Nunquid (inquit prima Corinthiorum primo) Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Et capite tertio. Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri eius cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui irrigat, sed qui incrementum dat Deus. Et capite quarto. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Prima igitur mediocritas in appetitu gloriae, nec ea quidem ignota philosophis est, ut nos met ipsos metien-

1. Corint. 3.
2. Corint. 3.

1. Corint. 4.

tes(quem admodum ait Paulus,) & nobis
ipsis comparantes maiorem quam mere-
mur gloriam nec optemus, nec verò acci-
piamus, si detur. Et quoniam suspecti su-
imus nostrorum meritorum iudices, vixq;
aliquis est, qui non affectu rapiatur sui, op-
timum erit, ut paulò etiam minorem quā
deberi nobis credimus, appetamus.

Divinus mo-
dus appetē
di gloriam
humanam.

Altera est quam nemo principum hu-
iussæculi cognouit. Est enim propria Chris-
tianorum, atque eorum maximè, qui verè
humiles sunt, vt in unaquaque retantum
demum gloriæ nobis dari velimus, quantū
diuinis laudibus, aut fraternalis emolumen-
tis necessarium esse videatur. Exponamus
hoc more scholastico. Fingo me dignum
esse decem gradibus gloriæ, ac munere
fungi concionatorio, in quo vnam fratrū
meorum utilitatem specto. Video ad id sa-
tis mihi esse quinque, aut sex gradus, ac ni-
hilo plus me illis usui futurum cum dece
habuero; non licet maiorem gloriam hoc
quidem loco, atque hoc tempore optare,
quam quæ quinque, aut sex gradibus con-
tinetur. Expedit alibi quatuor tantum ha-
bere

te intendere dicebas, sex gradus gloriæ suf-
ficiunt, ergo plures optare non potes.
Quod si optas, iam non causa finis, sed per
se gloriam appetis, quod vitiosum est. Atq;
hoc quoq; quam consentaneum sit sacris
literis videamus. Christus, qui non paucio
ra exemplis quam verbis docuit, apud Ma-
tthæum cap. 26. adiuratus à principe sacer-
dotum *Fatetur se esse Christum Filium
Dei viui, & quia expedire cernebat, non
putauit dissimulandam diuinitatem suā.*
Veruntamen Ioannis, 18. cū ab eo per-
cunctaretur Pilatus esset ne rex? conti-
nuit in se quam habebat gloriam, hoc
vnum responsum dedit. *Regnum meum
non est de hoc mundo.* Confessus est se
esse regem, sed cur amplissimi regni dig-
nitatem, splendorēmque reticebat? cur
infinitam, & immensam potestatem te-
gebat? cur se ipsum incredibili gloria
priuabat? omnino quod fini ad quem
respiciebat utiliseo loco non erat,

Quid ita Ioannes inficiatur se esse He-
liam, aut prophetam, cum posset mag-
nam sibi responsione sua gloriam com-

Matthæ. 26.

Ioan. 18:

parare? de quo à veritate ipsa dictum est.

Matthæ. 11. *Quid existis in desertum videre? Prophetam? e iam dico vobis plusquam Prophetam?* Et item: *Et si vultis recipere, ipse est Helias, qui venturus est.* Per opportuné, nam eam gloriam tempus non postulabat. Prudenter ergo reiecit quod alio loco, àtque alio tempore fortasse non inuitus accepisset.

In Pauli epistolis persæpè hoc ipsum videntur: & si enim aliquando laudes suas enumerare cogatur, sèque ipsum prædicatione efferre, nūnquam tē se effundit, complura prudens, ac sciens omittit. Quē admodum, *1. Corinthiorum cap. 9.* cùm eum quidam esse Apostolum negarent, quām magnificè dē se, dēque vocatione sua loqui potuisset: ut possit res præclarè in communere gestas commemorare. At hoc satis homo veræ humilitatis amantissimus putat.

Non ne opus meum vos estis in Domino? *Et si alijs non sum Apostolus, sed tamen vobis sum, nam signum Apostolatus mei vos estis in Domino.* *Et, 2. Corinthiorum, 12.* *Nam & si valuerō gloriari*

non ero insipiens. Veritatem enim dicam,
parco autem ne quis me existimet supra id,
quod videt in me, aut aliquid audit ex
me. Imò ea etiam ipsa non voluntate,
sed necessitate dicebat, ut paulò post, fa-
cetus sum insipiens, vos me coegistis.
Quòd si hoc verum est, efficitur illam Ca-
iectani sententiam, quam superius refuta-
uimus, falsam esse, posse amari gloriam
ut est debita virtuti. Nam si ita esset,
omni loco liceret totam gloriam quam
meremur optare, quod falso esse pro-
bauimus.

C A P V T. X X.

An appetitus gloria, ita ut diximus,
ordinatus, debeat esse ardens,
& intensus?

SVPEREST iam explicatione
non admodum difficilis, sed
utilitate tamen primaria dis-
putatio, sit ne magno ardo-
re, contentioneq; animi ap-
petenda gloria? an leuiter potius, & re-

Liber primus.

missè? Nam ardentissimè esse amandam ex eo in primis confici videtur, quòd bonorum extēnorū lōgē præstantissimū, ac excellentissimum existimatur. Sēd utinā hoc æquè facile persuadere hominibus, atq; explicare possemus. Præclarè cum rebus humanis actūm esset, id si perficeretur omnes enim inani, ac vehementi solicitudine, curisque maximis liberaremur.

1. Conclus.

Omnino quoniam gloria non nisi cau-
sa finis appetitur, eum tanquam regulam
semper adhibebimus. Si finis honestissi-
mus est, & ad eum gloria maximè necessa-
ria videatur, non dubium est quin sit vche-
mentissimè amanda: vt si plurimum aut

2. Conclus.

fratrum, aut Dei gloriæ referret. Sin au-
tem non àmodum requiratur, aut si finis
non sit pernecessarius, non contentè, sed
remissè appetenda est. Alioqui aut per se
iam tūm appeteretur, non propter præsti-
tutum finem, aut (quæ summa peruersio
est) plusquām finis ipse diligenteretur, à quo
vt appetibilis esset accepit. Veluti cùm
magistratus, aut vberis, atq; ampli sacerdo-
tij, aut ciuſmodi honorum candidatus, bo-
ni,

ni, ac doctiviri opinione prestare nititur,
vt facilius cōveniat, quō intendebat, idq;
facit vt necessaria ad vitam suppeditent,
& in dignitate aliqua sit. Non est hoc qui-
dem reprehendendum desiderium. Ve-
runtamen quoniam ista quæ glorię pro fi-
ne proponuntur, talia non sunt, vt in eis
multa cura, ac diligentia ponatur (etenim
aliunde victus, ac dignitas quæri potest, &
quæ necesse habuerimus Deus se vltro da-
turum pollicitus est) non est gloria vehe-
menter expetenda, ne fini ipsi videatur an-
teponi. Verūm quoniam non àdmo-
dum sēpè vsu enit in communivita ho-
minum, vt ea quorum causa gloriam nos
amare dicimus, digna sint, vt ardentissimè
diligantur, aut certè quidem ad ea gloria
nostra maximè opus sit, ita nos continen-
ter gerere debemus, vt studium glorię pru-
dentia vbiq; moderemur, cāmque nimis
magni non faciamus, nec plurimum par-
ta lætemur, nec valde amissa lugeamus.
Vna enim est virtus quæ totis viribus con-
tentissimè persequenda est, cætera siden-
tur, cautè recipienda, si auferantur, non
mul-

multūm desideranda sunt. Eam vero esse naturam gloriæ, ut non ardentissimè optandas sit, ex ijs ferè omnibus quæ in hoc libro diximus manifestissimè percipi potest.

Primum omnium gloriam opinionem esse diximus, ex quo eius incōstantia, & levitas cernitur. Et si enim multæ sint veræ opiniones, tamen opinio suapte natura nihil habet solidum, aut firmum, sed ea est quæ vera, & falsa peraq; esse possit: ut ait Aristoteles, 3. Ethicor. cap. 2. & lib. 1. posterioris resolutionis cap. 26. hoc interesse testatur inter scientiam, & opinionem, quod hæc mutabilibus, & quæ aliter se habere possunt quam putamus, continetur: illa firmis, & necessarijs. Ea re cum lib. 6. Ethicor. ca. 3. virtutes intellectus numeraret, opinionem ut variam, & veri falsique assertricem reiecit. *Sunt itaq;* (inquit) ea quibus verum anima dicit affirmando, aut negando, numero quinque: *hac autem sunt, ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus,* fieri enim potest, ut falsum existimatione, opinioneque dicat. *Quid autem*

3. Ethic. c. 2.
& lib. 1. post
terior, reso
lut. cap. 26.

6. Ethic. c. 3.

tcm habere potest magno amore dignum
res non casu, sed natura varia, inconstans,
instabilis, lubrica, incerta, periculosa? Nec
verò robur habet ullum quod in tertio de
gloria nobis obijcit Oforius, communes
sententias à doctis hominibus opiniones
sæpè vocitari. Ut enim id declaremus,
(quod est valde improprium) tamen per-
cepta ab homine de hominis virtutibus, &
comprehensa opinio, nunquam ita cōsta-
bilita, & constituta est, vt non possit esse fa-
llax. Nam, & opera ipsa ex quibus gloria ef-
ficitur, oculos sæpè deludere, vt alia visa,
possunt. Quæ res Academicos impulit, vt
& si probabilia putarent multa, assensionē
tamen semper cohiberent, ac sustinerent.
Et vt bona genere sint, prauū est cor homi-
nis, & inscrutabile, multosque habet re-
cessus, multas ambiguitates, vt ne illi
quidem ipsi qui faciunt, iudicare semper
possint quo animo faciant. Itaque sæpè
accidit, vt qui ob inanem gloriam multa
largitur, beneficus dicatur, ac liberalis; qui
(ne pecuniam effundat) à Venere abstinet,
temperatus: qui (ne puniatur) aliena red-
dit,

Liber primus.

dit, iustus: quod homines actus ipsos vide-re possunt, sed de animo statuere non pos-sunt. Quid? Quod gloria à vera virtute nō seiungitur? vera virtus sine charitate nulla est? charitatem nemo se habere certò scit? Quid igitur prodest certas, & indubitatas sententias opiniones etiam aliquando di-ci, cùm hæc quæ est gloria, natura incerta, & dubitabilis sit? Est etiam opinio non la-tens sed hominum prædicatione patefacta. Negare igitur gloriam tibi aliij pote-runt, atque adimere cùm volent, cogeris itaque pendere animi, & aliunde suspensas habere vitæ rationes, quod est plenum so-litudinis, atque à sapientis grauitate pre-ter cætera alienum. Cùr ergo magnifici-
dum est, quod non in nobis, sed in aliorum potestate situm est? Et quoniam sola bo-norum virorum opinio efficit gloriam, quid facies si illi repente mali extiterint, qui de te bene iudicabant? nulla tua culpa possessione tua excidisti. Quæ maior teme-ritas si ergi potest, quam ardenter consecta-ri rem tam mobilem, tam fragilem, tam) caducam?

Deinde confecimus eam bonum esse
quoddam non summum, sed externum.
Atquam aegrè à Philosophis obtinuimus,
ut haec externa (imo hæc fortunæ ludibria)
aliquo tandem loco inter bona numerarent.
Stoici pugnacissimè inficiati
sunt, ac nec per Peripateticos quidem
luit, bona, nisi secundum analogiam nun
cupare. Quam exigua vero cura ponenda
sit in ijs, quæ tempore pereunt, quamuis ip
sa eorum natura indicat, dominus docen
dum curauit Matthæi sexto dicens. *Nolite*
thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi
arugo, & tinea demolitur, & ubi fures effo
diunt, & furantur. Et Paulo post. *Ideò*
dico vobis ne solliciti sitis anima vestra
quid manducetis? aut corpori vestro quid
induamini? Si multam curam, atq; solici
tudinem adimit in ijs, sine quibus nullo
modo viuitur, quid de illis intelligendum
est, quæ minus sunt necessaria? Quæ ergo
sunt eius modi, nec sunt studiossimè quæ
renda, nec quæstis nos tradere, atque addi
cete debemus, ut à Davide psalmo 61. scrip
tum est, *Dinitia si affluant nolite cor appo*
nere.

128
129

Matth. 6.

Psalm. 61.

nere. Quod si summum bonum non est,
quæ tandem insania est, eam omnibus re-
bus anteponere? eius causa facere, ac pati
omnia, nunquam expleri homines, neque
satiari?

Scitum est enim illud Aristotelis in pri-
mo libro Politicorum capite sexto, omnes
Arte lib. i. poli c. 6. artes finem suum sine modo petere, quippe
quem maximè volunt efficere. Qua vero co-
ducunt ad finem in ea nō infinitè ferri, quo-
niam suus cuique finis modum imponit.
Quemadmodum medicina non leuiter,
sed infinitè fertur in sanitatem, semperq;
conatur facere quam maximam potest, at
ex pharmacostantum sumit, quantum sa-
tis se habere ad sanitatem arbitratur. Vi-
deamus autem qui finis humanæ vitæ pro-
positus sit, eius enim desiderio quodam
magno, infinitoque rapiemur. Cætera nō
nisi quatenus ad eum utilia sunt, amabi-
mus. Si hic est gloria, non equidem incen-
sum àtque summum eius amorem repre-
hendo. Sed si eiusmodi gloria est, summū
bonum est, falsum autem secundum, fal-
sum ergo & primum.

Præterea neminem arbitror ita à ratio-
ne, à communiq; sensu abhorre, ut ab co-
si generaliter percontemus, sicut ne in maxi-
mè amanda quæ per se amore digna non
sunt? continuo non inficietur. At qui glo-
riam perspicue demonstrauimus non esse
per se amandam. Quid igitur stultius,
quam sum mūm, apud rem infimam, &
per se non appetendam, amorem colloca-
re? Hoc etiam ex vi, atque natura mag-
nanimitatis, ad quam appetitus gloriæ re-
fertur optimè perspicitur. Ita enim Aristoteles 4. Ethicorum capite 3. omnesque de
magnanimo loquuntur, summam in eo
cerni bonorum externorum contemptio-
nē, moderatè honore oblato latari, abla-
to equissimo animo ferre, aut etiam quasi
virtute sua minorem parui pendere, nihil
in bonis humanis magnopere mirari. Atq;
in aureolo de virtutibus libello ita inquit:
Magnanimitas autem est pulchre ferre, &
felicitatem, & infelicitatem, & honore, &
ignominiam, & nō admirari, neq; delicias,
neq; clientelas, neque potestates, neque vi-
ctorias gymnicas: habere antem quandam

Arist. 4. Ethic.
cor. c. 3:Arist. lib. 4.
de virtuti-
bus c. 3.

animi altitudinem, & magnitudinem.

Facilè ex his omnibus intelligitur quā
fragilis sit conditio gloriæ, quām debilis,
quām instabilis, quantis in tenebris, & quā
ta in caligine versentur, qui eam ut rem di-
uinam, & admirabilē consequantur, & cæ-
teris omnibus bonis anteponunt. Non cer-
nunt oculis pulcherrimam illam virtutis
faciem, illam incredibilem venustatē, &
dignitatē, ideoq; gloria potius, quām ho-
nestate ipsa excitatur. Quòd si quò rudibus
istis, crassisq; oculis non perueniunt, eò sal-
tem mētis acie, & cogitatione penetrarēt,
ipsa eos ad se mirabiliter raperet virtus, vi-
derētq; nihil esse optabilius, nihil præstan-
tius, nihil speciosius. Perspicerēt satīs in se
ipsa præsidij habere, sibiq; sufficere, exter-
na omnia cōtemnere, nullis illecebris ege-
re. Quid enim virtuti affert gloria, nisi vt in
hominū notitiam veniat, & quadam quasi
mercede donetur? At lucē hanc, & celebri-
tatem sēpe fugit ipsa, & latebras querit, hu-
mania contēnit, adeoq; mercedē gloriæ nō
amat, vt eam etiā indignam putet quā spe
ctet, quā sibi proponat, quaq; mouetur.

Sed

Sed quæ tandem est ista celebritas? quæ gloria? Concedo tibi equidem vltro (neq; enim me ratione vnquā coges) maximū bonum esse in conspectu multorum, & in publica luce versari, in memoria hominū esse, nominari à posteris, certare cum eternitate. Ad quot quæso tui nominis fama manabit? Vnius oppidi, aut vrbis finibus circuſcribetur. Multi quidem extiterunt omni virtute decorati, qui vix etiā domi suę noti sunt. Cōplures certè meminimus & vidimus, in quibus egregium virtutis, atq; doctrinę lumē cernebamus, qui in locis non nimiū ab urbe disiunctis, ne nūc quidēm rebus gestis recētissimis audiūtur. Habuimus duces domi, militięque prætantissimos permulcos, atque omnium s̄eculorum recordatione dignissimos, quorū virtute pulsi hostes, liberati socij, cōditę vrbes, atque hęc ipsa patria conseruata est. At hi exteris omnino ignoti, nobis aliquandò quidem auditisunt, sed vix iam eorum nomina tenemus. Et vero si per vniuersum orbem nostril nominis opinio, & claritas peruguaretur,

quam celebritatem sermonis hominum,
 aut quam expertendam gloriam adipisci-
 cemur? Terra ipsa, quæ nobis maxima
 & latissima videtur, tam exigua est, vt co-
 llata cum cælo, non solum paruae insulæ,
 sed etiam puncti instar habere videatur.
 Atque in hac raris, & angustis in locis ha-
 bitatur, & in his ipsis vastæ solitudines
 interiectæ, montes magni, & insupe-
 rabiles, saxa, maria interposita sunt, mo-
 res item, & lingua, & instituta diuersa,
 itaque omnis societas ablata, omne com-
 mercium detractum est, vt nihil ab alijs
 ad alios transire queat. A quibus expe-
 ctare gloriam quomodo possimus? Cu-
 ius vñquam nomen aut Catabathmón
 illum Africæ transcendent, aut Mæotim
 paludem transnauit. Ac vt plurimi
 de nobis loquantur, quamdiu do-
 quentur. Ut alia abessent, ex hac in-
 genti multitudine, atque infinitate homi-
 num, centum abhinc annis, nemo existet.
 Memoria vero futurorum hominum qui
 posteris laudes nostras prodâr, quas à patri-
 bus ipsis acceperint, non est quod nos mag-
 nicip
 s V
 n opere

nopere consoletur, cùm sèpè in terris pef-
tes, interneciones, eluuiones, exustiones
accidere necesse sit.

Déniq; nihil est diuturnius, quàm quod
doctorum hominū literis memoriæ pro-
ditur, & quasi immortalitati consecratür:
nam reliqua omnia monumenta facile
conficit, & consumit vetustas. At paucissi
mis datum est, vt aut libros ipsi edant, qui
futurorū sæculorū admiratione excipian-
tur, aut tales habeant scriptores rerum sua-
rum, vt sperare ab illis possint immortaliti-
atem. Atq; isti ipsi libri etiā suum senium
habent, & quasi cōfecti ætate moriuntur,
multaq; nunc eruditiorū virorum scripta
desiderantur: alios negligentia, inuidia, flā-
ma, hostis, aqua, & eiusmodi complura in-
tercipiunt. Et quidem nō multū interest
nulos in futura ætate de nobis contices-
cere, cùm in priori (in qua plures, & me-
liores fuerunt viri) conticuerint omnes.
Abijcantur ergo istæ ineptiæ penè pueri-
les, nullum modum adhibendum esse in
gloria, eam demum esse veram vitam, quæ
viget commemoratione omnium, quæ

Liber primus.

cum omni posteritate adæquatur. Quid enim imprudentius quam rem natura leuissimam immobilem, & æternā sperare? natōsque ad cælum homines celebritatē in terra, hoc est in exilio quærere? Quid humilius, aut leuius, quam ab illis æternis, & diuinis bonis ad hæc mortalia, & terrena oculos referre? Quid insanius quam noctes, ac dies inanissima solicitudine cruciarū; et id summo studio quærere, quod cum contempseris potius habiturus sis? Verissimum enim est quod vulgo dici solet, Gloriā esse vmbram, assequiq; fugientem, & fugere assequentem. Vnde illud Chrisostomi in sermone de inanis gloriæ cupiditate. *Nil magis admirantur mortales quam eum, qui gloriam aspernetur, nec quempiā maiorilaude, & admiratione prosequuntur, quam qui laudari se pro nihilo duxerint, aut magnifieri.*

Apparet igitur nimium glorię desiderium non esse elati, & excelsi, & generosianimi (vt multi persuasissimum habent) sed humili, & abiecti, & ignobilis.

S. Chrisost.
serm. de ina-
nis gloriæ
cupiditate.



LIBER SECVN DVS DE VERA, ET FALSA GLORIA.

*AD CHRISTIANVM LEC.
torem p̄afatio.*

SI (vt videre possumus) quæ cùnq; cum virtute, cum officio, cum dignitate consen- tiunt, (lector charissimè) ita re ipsa præstaremus, & vt a- gendi gratia intelligentia data est, nihil ab ea opera discreparent, non solum vanis, & superuacaneis, ijsdemq; maximis curis, at- que angoribus animi vacaremus : sed etiam admirabili virtutis splendore con- tenti humana tranquillitate, & voluptate, & inchoata quadam beatitudine fruere-

V 4 mur.

551
Liber secundus,

mur. Nunc verò meliora videmus, & probamus, & grandia voce tenus pollicemur. Sed ubi perturbationes animi ingruunt, & leuis atq; fallax rerum externarum blanditur species, continuò cedimus, & mentem monentem, atq; hortantem, voluntas nimium sui iuris atq; sententiae contemnit, & deserit. Multa de appetitione, aut (ut verius dicam) de contemptione gloriae diximus, nihilq; fratres nostros cellauimus, quod à communi omnium parente Deo accepimus, quibus probasse me omnibus opinor, eam cautè esse appetendam, leui-ter querendam, timidè recipiendam. Veruntamen quoniam nō cauti, ac fortis sumus in periculis, sed improuidi, & timidi, facileq; hostibus victoriam sine sanguine concedere solemus: non dubium est quin approbent quidem multi, vix verò unus, aut alter sequatur. Habemus enim penitus insitum, & quasi ingenitum hoc malum, quod èo difficilius vitatur quò est magis domesticum, & familiare. Sed danda est opera ut vitetur, omninoq; ex animis nostris euellatur: fieri enim potest, quoniam fideli-

fidelis Deus qui non patietur nos tentari super id quod possumus. Quod ut fiat, sunt ea quae diximus de levitate gloriae saepè recolenda: tum quoniam fragilis est conditio nostra, tenuesque vires, omnis spes in Dei bonitate & in misericordia collocanda est: adhibendæ piae & religiosæ preces, continenter ab eo subsidium pertendum est. *Omnis enim qui petit accipit, & qui quarit inuenit.* Eos igitur qui haec nostra lecturi sunt, quæsto atque obtestor per viscera misericordiæ Dei nostri, ut (quod ego etiam vehementer contendo) mihi, ac sibi miram quandam animi magnitudinem, externarumque rerum despicientiam impetrant, ut illud Iacobi consilium sequentes, *Orate proin-
niciem ut saluemini, eo veniamus ubi sunt
eterna, & stabilia omnia, ubi fluminis
impetus latificat ciuitatem Dei, & exultant sancti
in gloria.*

1. Corin. 10

Matthæ. 7.

Iacobi, 5.

Psalme. 45.

Psalm. 149.

C A P V T , I .

*An bona corporis afferant homini
gloriam?*



A C T E N V S De natura, deque
appetitu gloriæ, qui conse-
quens esse videbatur, disputa-
uimus. Nunc quibus sit arti-
bus appetenda quæramus,
(hoc est,) quæ res homini gloriam, atque
splendorem concilient? quæ cum glorio-
sum efficiant? quæ sit materia, & quod fun-
damentum gloriæ? ita enim appello quā
interpres 2. Corinthiorum cap. 9. & 11.
substantiā, Paulus vocat. Deinde videndū
erit quo pacto nos gerere debeamus in ea
conseruanda, & tuenda. Ac de pulchritudi-
ne, & venustate corporis, de viribus, de ce-
leritate, & omnino de dotibus corporis,
primum discutiēdum erit, an sint eiusmo-
di ut gloriā, & celebritatē afferre queant?
Nam si gloria est frequens de aliquo fama
cum laude, non videtur absurdum, hæc
bona

2. Cor. 9. &
11.

bona corporis ad eam pertinere. Complures enim nunc cùm prædicatione, & admiratione quadam ob hęc ipsa nominantur, & multis sæculis fama viuunt, digniꝝ putantur qui laudentur. Forma in sacris literis commēdatur Sarra, Rebecca, Rachel, Bersabee, Thamar, Abisag Sunamitis, Hesther, Judith, ac viri etiā, vt Ioseph, Dauid, Absalom, in fabulis innumeri: viribus, & incredibili laterum, ac totius corporis firmitate immortale nomē adepti sunt Samson, Hercules Amphytrionis filius, Milo Crotoniates: & apud nos cùm alij permulti, tūm Iacobus Garcia Parietinus. Nec vero Homerus parūm à se laudatum Achillem putauit, cùm ei celeres tribuit pedes, aut Virgilius de Camilla scriptum reliquisset.

*Virg. Aenei
das lib. 7.*

Illa vel intacta segetis per summa volaret

Gramina, nec teneras cursu lassisset aristas.

Nisi hoc iure laudari animum aduertisset. Quod si virtus est quæ maximè efficit gloriam, magna est in forma virtutis, &

magna-

magnanimitatis significatio. Nec enim frustra ille apud Eutipidem nepotes optabat, qui ipsa oris specie regno digni essent; & Aeneas recte ratiocinabatur.

*Namq[ue] haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, ò
Deacertere.*

Ipse enim vultus indicat dignitatem, & animi præstantiam. Quo consilio poetæ, quos summis honoribus, & laudibus ornatos volebant, cæterorum omnium speciosissimos prædicabant: ut Homerus Achillem, Virgilius Aeneam, Ascanium, Turnum, Pallantem: adeoque id hominibus persuassum est, ut vix illum putent valde virtute præstantem, quem non continuò formosum, elegantemque animo informent. Imo verò Deum quicunque corporatum faciūt, pulcherrimum ei corpus dederunt, vnde illud:

Os, humerosq[ue] deo similis.

Troiani etiam senes eximiam, & inusitatam Helenæ pulchritudinem non iam humanæ, sed diuinæ assimilant. Contrà Homerus Theristen, quem timidum, &

proter-

uum inducit, turpem, & deformem facit. Proceritatem corporis in Saule Rege commendat sacræ literæ. Poetæ in maximis quibusque ducibus, ut in Hercule, in Achille, in Hectore, in Aiace, in Aenea, in Turno. At vero infirma, & imbecilla esse isthæc omnia ad gloriam, facile quisque intelliget, si eorum vim, atque naturam considerauerit. Nā gloria è solidis, firmisque rebus petitur: his vero nihil est mobilius, inanius, incertius. Itaque illud Ouidianū laudatur à doctis:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos.

Fit minor, & spatio carpitur illa suo.

Eadem autem est de cæteris bonis corporis ratio, idem iudicium. Omnia enim aut intemperantia, aut ægrotatione, aut casu, aut ipsa ætate perduntur. Faciem rugis contrahit senectus, deprauat colorem, vires imminuit, celeritatē retardat. Quām autem esset ridiculum eum, qui in magna gloria viueret, senectute, aut morbo reddi dignabilem, & ingloriosum? Et quidem necesse est ita vsuuenire, est enim hæc huius

Conclus.

Ouid.

iūscemodi bonorum cōditio. Quare stulti atque imprudentis hominis est fletu, & ciulatu conqueri.

O ante victrices manus:

O pectora, ò terga, ò lacertorum toro.

An putabas te hæc semper habiturum,
quæ & si magno studio conseruentur, tem-
pore ipso necessariò corrumpuntur? Nam
gloria nemini minus quam homini malo,
flagitiosoque debetur: quemadmodum

Prouerbiorum 26. docet Salomō. Quomo-
do (inquit) nix in aestate, & pluvia in messe,
sic indecens est stulto gloria. Atqui forma,
robur, & elegans habitudo corporis non
minus in sceleratissimis hominibus, quam
in optimis inueniuntur. Non est igitur
quod hæc aliquid valeant ad gloriam. Nisi

1. Reg. 15.
2. Reg. 19.
2. Reg. 13. forte religiosus putandus est Absalom, qui,
cum omnibus forma prestaret, fratrem
natu maiorem extinxit, patris torum im-
mani libidine maculauit: cumque armis,
folio, atque vrbe exegit. Quare elegas est
illud Euripidis:

Mens intuenda est, nihil iuuat forma
decus.

Cum pulcher est quis, mente sed caret bona.

Et illud.

Deformis esse malo, quam pulcher manus.

*Videmus hoc etiam primo Regum 16.
miranti enim Samueli Eliabi speciem, &
proceritatem, atque ex Deo quærenti, nū
ille esset, cui regnum defferri vellet? Ita ref
pōdit Dominus. Ne respicias vultum eius
neque altitudinem staturae eius, quoniam
abieci eum: nec iuxta intuitum hominis
ego iudico. Homo enim videt ea que pa
rent, dominus autem intuetur cor.*

*Illud verò argumentum est omnium
tūnī apertissimum, tūm ètiam vāhemē
tissimum, quòd hæc quæ multi magni
faciunt bona, non sunt cum flagitiosissi
mis modo hominibus, sed etiam cum bes
tijs omnibus communia, atque ita com
munia, vt sint in ijs multo præstantiora.
Nàm neque viribus certare cum leonibus,
cū tauris possumus, neque velocitate cū
ceruis, neque verò colorum varietate, &
gratia cum pabonibus. Laudantur ergo
hæc*

Liber secundus.

hæc tanquam signa, & instrumenta virtutis, non quod per se ipsa, aut laude aut vitioperatione digna censeantur. Est enim laus eorum tantum quæ liberè à nobis sponte fiunt, ut Aristoteles docet tertio Ethicoru cap. i. Quæ verò à natura dantur, aut admuntur neque laudi, neque vitio vertenda sunt, nisi cum virtutem iuuant, aut etiam impediunt. Quare si absit virtus, ea ipsa quæ multum commendabantur, in maiorem culpam, & in vituperationem incurruunt, Prover. II. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fatua.* Et apud Homerum Hector, cum quidem Alexandrum conuitijs prosequitur excelē tem formavocat eodemque nomine Agamēnon Græcorum timiditatem amplificat. At gloria non signo, neque instrumento, sed virtuti ipsi datur. Neque quæquam mouere debet huiusmodi hominum nomina longè, lateque audiri, scriptorum id munus, & donum fuit, qui rerum quovis modo insignium, ut bellorum, ut personarum, ut virium meminere: sed gloriam illi dare non vallent (quamuis hoc sacerdoto poetæ promittere videantur) nisi illa a dsint,

Arist. 3. E-
thico. c. 1.

Prover. II.

Homer. I-
lia. lib. 13.

ad sint, quæ eam promerentur.

Quod si omnes gloria consequeretur, quos doctorum virorū scriptis nouimus, perditissimi homines, & omni scelere cumulati gloriosi essent. Qui igitur pedibus, qui in manu, qui lacertis gloriantur, nihilo si bi magis tribuunt, quam iumentis, homines se esse obliuiscuntur. Præcipue cū Physici statuāt per difficile esse quempiā maximo robore, atq; ingenio valere. Est enim in ingeniosis, & ad literas (hoc est ad propriū officium) natis tenuis, clarusque sanguis, in robustioribus crassus, & obscurior. Ac videmus plerūnque viribus valentiores rudes, & dementes, & stolidos, & eiusmodi, ut nihil memoria, aut laudatione dignum efficere possint, nisi aliorum prudentia consilioque ducantur. Quos Aristoteles quidem in initio librorum de republica naturā seruos appellat, ut ijs, qui imbeciliori corpore sunt, (idest prudentioribus) seruant, eo rūmque monitis, & intelligentia regantur. Egregia verò laus, & cum primis homini optāda gloria, quæ æquabiliter, aut

multò etiam magis cōuenire queat equo,
& mulo in quibus non est intellectus. Et
tamen forma & venustate quantum ho-
mines efferantur vix dici, aut credi potest.
Hinc incredibiles fastus videmus, hinc sa-
pē laudationes, & dignam imperio specie
audimus, quasi verò formosis imperiū, nō
optimis & prudentissimis sit deferēdum.

Sed existit hoc vitium in fœminis frequē-
tius, quæ si paulò sunt specie luculentiori,
ea se lege natas putāt, vt dominētur omni-
bus, amentur, honorentur, colantur. Au-
gent hanc earum impudentiam animales
homines, spiritū non habentes, & volupta-
tū amatores, māgis quā Dei. Nō enim eas
modò ardētissimē amant, verūm etiā asse-
quuntur semper, & obseruāt, totos se ad ea-
rum nutus cōponunt, earū precibus diui-
na & humana permiscent, iustitiam infrin-
gunt, religionē violant, societatem homi-
num lēdunt, & quasi dominis seruiunt tur-
pissima suarum voluptatū cupiditate ob-
cēcati. Itaque ne sceleri, & stultitiae nomi-
na deessent, dominæ vocantur, & seruien-
di vocabulo perlibenter vtūtur. Iam quā-

ta inanissimorum licentia verborum ? quam immoderatae profusæque blāditiæ ? quām miserabilis turpitudo ? peccatum suum plurimi (sicut Sōdoma) prædicant, & testes esse fēditatis suæ minimè verentur. Lētantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Eneruant illam animi quasi virilitatem , testantur se vinc̄tos esse, luctu tabescere, ardere, emori, vt, illa omnino inceptio amentium , an amantium sit, dubitetur . Aiunt se ad hoc natos esse, vt illis seruiant, vt illis flammis confiantur, & clementur , nihil aliud cupe-re , aut cogitare , summam esse fælicitatem earū forma potiri. Postremò eas adorant , & sua passim numina, suas Deas vocant, nihil illis adimūt, quod Deo attribui posse videatur . Mandant etiam scriptis impietatem suam , & sceleratissimæ insaniæ testem posteritatem volunt, immortallitatēmque appetunt ij , qui seruierunt creaturę, potius quā Creatori, qui est benedictus in sēcula, Amen . Qua in re multū me christianorum poetarum miseret , qui quidem amatoria scripsierunt,

Maiorem enim impudētiam, ac lasciuia,
 maiores blasphemias in eorum libris inueni-
 mus, quām in libris Ethnicorum: & ta-
 men eiusmodi scripta laudantur, & cum
 voluptate maxima leguntur, digna profe-
 ctō quæ nō tempore, sed igne abolerētur.
 Ut ergo animos muliebres gerunt, ita sibi
 mulieres dominari, atq; imperare patiun-
 tur, mercedē quam oportuit erroris sui in
 semetipsis recipientes. Meminerint igitur
 feminæ quāuis pulchræ sint, ad obsequen-
 dum se esse à Deo conditas, nō ad imperā-
 dū, summā potestatē viris dari iure diuino,
 recteq; ab Apostolo dictum esse, *Non vir*
 ex muliere est, sed mulier ex viro, etenim nō
 est creatus vir propter mulierē, sed mulier
 propter virū. Et alibi, *Docere autem mulie-*
ri nō permitto, nec dominari in virum, sed
esse in silentio. *Adā enim prius informatus*
est, deinde Eua, & Adā nō est seductus, mu-
lier autem seducta in praevaricatione fuit.
 Non est itaque quod tam leibus, & ca-
 ducis bonis superbiamus, aut ex eis gloriā
 speremus. Ut enim in Olympicis ludis nō
 pulcherrimi, sed fortissimi coronabātur,

1. Cor. 11.

1. Tim. 2.

ita

Ita enim gloria non robustis, & speciosis,
sed bonis, sapientibusque debetur.

C A P V T . II.

De divitijs, & potestate.

SEDE iam ad divitiias, ad potentiamq; veniamus, quæ stultissimorum hominum opinione, & errore tantum valent, ut afferre posse gloriam putentur. Quoru*m* voce *v*sus Euripides videtur, cum ait,

Euripides:

Qui humi iacebant primum, ut accrene-re opes,

Fouer. fay-

Nunc magna earum gloriæ causa ferunt.

ant binio

Et idem apund Stobæum sermone 89.

Euripides:

Scis ne quod nobiles quidem mortalium

Dum pauperes sunt, non amplius clari existunt?

Qui vero prius nihil erant, nunc divites facti

Gloriam assequuntur, propter nummos?

Genusque & nuptias, suis liberis excellentes comparant?

Quod Horatius confirmat libro primo epistolarum cum ait.

Horat. lib. I
Epist.

Liber secundus,

Scilicet uxorem cum dote, fidemque &
amicos.

Et genus, & formam regina pecunia do-
nat.

Idem in 2.
lib. serm. Sa.
tym. 3.

Et rursus in secundo libro sermonum

Omnis enim res
Virtus, fama, decus, diuina, humanaq;
pulchris

Diuinit̄ parent, quas qui construxerit,
ille

Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam
rex

Et quidquid volet.

Ouid. in 3.
Eleg. 1.
Cui consonat Ouidius in tertio Elegia-
rum.

Curia pauperibus clausa est, dat census
honores

Inde grauis index, inde seuerus eques.

Et rursus in primo libro fastorum.

In pretio pretium nunc est, dat census
honores

Census amicitias, pauper ubiq; iacet.

Quod etiam egregie alius dixit.

Nobilis est tantum dives, magnusque
potensque

Idem in 1.
Fastorum.

Solus habet socios, solus in orbe valet,
Laudatur, petitur, colitur, celebratur,
amatur,

Est prator solus, est quoque solus eques.

Vnde etiam, & Petronius ait.

Quisquis habet nummos secura nau-
gat aura,

Fortunamque suo temperat arbitrio.

Carmina componit, declamat, concre-
pat omnes

Et peragit causas, fitque Catone prior.

Idem afferit Iuuenalis satyra, 2. dum di-
uitem clarum opibus appellat.

Clarus genere atque opibus vir

Et rursus.

Quantum quisque sua nummorum seruat
in arca

Tantum habet & fidei

Vnde nullo modo possum animum in-
ducere Crassum regem Lydiæ, & Marcum
Crassum, non fuisse gloriosissimos, qui
magnam vim pecuniæ haberent, cui (ut
est apud Ecclesiasten cap. 10. obediunt om-
nia. Nec leue aut infirmum videtur, quod
Genesistrigelimo primo scriptum est. Tu-

Petronius.

Iuuen. saty-
ra 2.

Ecclesiast.
cap. 10.

Genes. 1. lit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri,
et de illius facultate ditatus, factus est in-
clytus.

Conclav. immoremur, cū nō solū sacræ literæ, sed
etiam ethnicæ doceant. nihil momenti ha-
bere hęc ad gloriā. Quod elegāter Albius.
Tibullus libro tertio elegia tertia ostēdit,
dicens.

Nam graue quid prodest pondus mibi di-
uitis auri,

Aruaque si findant pinguia mille-
boues?

Quid ve domus prodest Phrigijs innixa
columnis,

Aurataque trabes, marmoreumque so-
lum?

Et que præterea populus miratur in illis,
Inuidia que falso plurima vulgus

amat?

Non opibus mentes hominum, curaque
leuantur.

Nam fortuna sua, tempora, lege gerit.

Nec me regna iuuat, nec Lydius aurifer
annis.

De vera, & falsa gloria, cap. 2. 141

Nec quas terrarum sustinet orbis opes.

*Hec alij cupiant, liceat mihi paupere
cultu,*

Securo vitæ munere posse frui.

Vnde Euripides non solum gloriam
non asserre confirmat, sed multa damna
atque grauissima incommoda ex illis na-
sci commemorat.

*Nan proba usquam inter homines illas
opes,*

*Quæ facilius delentur adeò, quam scri-
buntur.*

*Dives es, at diuitie imperitiam timidi-
tati coniunctam habent.*

*Iniustæ sunt diuitie, & multa perperam
committunt.*

*Pecunia multorum malorum causas pra-
bent hominibus.*

*O diuitie, facile quidem gestatu est onus
vestrum,*

*Sed labores, & plurimæ vite damna nobis
Insunt.*

Hoc etiam optimè Valerius Maximus
scriptū reliquit. *Caduca nimirū (inquit) &*
fragilia puerilibusq; cōsentanea cōrepudijs,

X 5 sunt

Euripides
apud Stob.
Ser. 91.

Valer. M-
xim. lib. 6.

Liber secundus,

sunt ista quæ vires atque opes humanae vo-
cantur, afflunt subito, repente dilabuntur,
nullo in loco, nulla in persona stabilibus ni-
xa radicibus consistunt: sed incertissimo
statu hic atque illuc acta, quos in sublime
extulerunt, improviso de cursu destitutos
in profundo cladum miserabiliter immer-
gunt: itaque neque existimari, neque dici
debent bona, quæ infectorum malorum
amaritudine desiderium suum duplicant.

Senec. epis.

74.

Hoc etiam docet Seneca epistola, 74.
dicens. Omnia ista nobis accedant, non ha-
reāt: ut si abducātur, sine villa nostrilacera-
tione discedat. Ut amur illis, nō gloriemur:
Et ut amur parce, tāquā depositis apud nos,
Et abituris. Hoc etiā cōfīmat Plato in, 5.

Plato in, 5.
de legibus.

de legibus. Recte à nobis (ait) dictum est
prediuites non esse bonos, quod si boni non
sunt, ne fœlices quidem fuerint. Sermo au-
tem qui diuites nominat fœlices, tūm ipse
miser est, (vt à mulieribus & pueris effuti-
ri soleat) tūm homines ei fidem habentes
miseros reddit. Ut etiam adnotauit Cice-
roparadoxo, 1. dicens. Non sunt dicenda
bona, illa quibus abundantem licet eße mi-

Ciceroparadoxo, 1.

se-

ferrimum. Secundum illud Iuuenalis
Satyrar. 14.

Misera est magni custodia census.

Vnde Bion Philosophus diuitijs operam
dantes ridiculos esse aiebat, quas fortunæ
vomitum Diogenes appellabat, insatiabi-
lem, & mirandam quandam infaniam in
eis inesse Plutarchus affirmabat, quam fu-
giens Anacreon, quinque talentis à Poly-
crate donatus cum per duas noctes pro-
ipsis sollicitus fuisset reddidit ea inquiens:
non tanti esse quantum ipsorum nomine
cura laboraret. Cui consonat illud Iuue-
nalis.

Sed plures nimia congesta pecunia cura

*Strangulat, & cuncta exuperans patri-
monia census.*

*Quanto Delphinis Balena Britannica
maior.*

Sed ad nostros deueniamus qui multis
in locis hoc ipsum grauitatem & palam
scriptis suis nobis ostenderunt: ut videre
est apud diuum Saluianum Mafliensem
Episcopum in libro ad Ecclesiam Catho-
licam in illa verba Pauli ex epistola, i. ad
Ti-

14.
Inuen. saty.
10.
Stobaeus. ser.
mo. 91.

Inuen. saty.
10.

Liber secundus.

Ad Timoet.
in 1, cap. 6.

S. Salbian.
lib. ad Eccle
Cathol. ro.
5, Bibliothe
Patrum.

Timoth. capite sexto. Habeatis vobis uictum &
quibus tegamur his cōfētū simus. Nā qui vob
lūt diuitie fieri incidūt in tētationē & la
queū diaboli. Ergo videmus (inquit) quod
in rebus sanctis necessariis est salus, in
superfluis laqueus, in mediocritate Dei
gratia, in diuitijs diaboli catena. Deni
q; quid statim Apostolus subdit audia
mus. Quae demergunt hominem, (inquit)
in interitum & perditionem. Ergo si diui
tiae interitum in se habent, evitemus opulen
tiā, ne in interitū corruiamus, ampla & lo
cuples facultas perditionem inferre dicit
tur: refugienda est itaque ampla possessio,
ne cōsequatur profunda perditio. Et Paulus
post, Impedimenta hac sunt nō adiumenta,
onera nō subsidia, secūdū illud quod Domi
nus ait; Sollicitudo istius faculi & fallacia
diuitiarum, suffocant verbum Dei & sine
fructu efficitur. Proprie utiq; ac satis pul
chre fallaces esse dixit diuitias. Bona enim
& putantur, & appellantur, ac per hoc
fallunt homines nomine presentiū bono
rum, cùm sint causa malorum aeternorū.
Quod grauiissimē & deuotissimē demons
trat

trat. Idiotavir sanctissimus libro secundo contemplationum capite trigessimo tertio contra amorem diuitiarū, sic inquiēs: *Certa experientia didici benignissime Dñe Iesu Christe, sine mensura dues in amore, quod nihil laboriosius est in hoc mundo, quam terrenis astuare desiderijs: nam terrenarum diuitiarum amor insatiabilis est, & longè amplius desiderio torquet animā, quam refrigeret usū suo: talium quoq; diuitiarū acquisitio magni laboris est, possessio magni timoris, & amissio magni doloris.* Qui illas amat, te dominum amare non potest, sed cum ipsis labetibus labitur in perditionē: & qui eis innititur per amore, cū ipsis defluit in mærorē. Qui enim eas inuenit, requietē perdit, & qui vigilat, augmentū cogitat. Quū dormit, fures somniat, indecēst affictus, & in nocte pauidus, semper autē mēdicus. O clemētissime domine Iesu Christe, cuius amor nullū fallit, video per effectum quod laqueus est in auro, viscū in argēto, & pedica in prādio. *Quia qui aurā petit, sirā gulatur, qui argentū, visco haret, & qui priedia, alligatur. Ad tuū domine extremū iudicium*

Idiota, lib.
Contempl.
cap. 33. in 5.
tom. bliuit.
patrum.

dicum sineulla temporis intercapēdine,
Et cotinuē volens nolens properat, Et amat
quod necessariō relinquit, id verō negligit
ad quod necessario peruenit, amat nāmq;
illa que possessa onerant, amata inquinat,
Et amissa cruciant, quaque arctius parta
quam concupita constringunt.

S. Zeno ve-
ronē Epis.
sermo. 1. de
auaritia.

Hoc ipsum etiam confirmat beatus Ze-
no Veronensis Episcopus sermone, i. de
auaritia, dicens: Cum quis querit aurum,
inuenit gladium, solum colitur, de quo dic-
tum est: Idola gentium argentum, Et aurū:
pro quo quis aut iugulatur, aut iugulat?
vellem scire tanta eius rabies quid volup-
tatis habeat? suo cultori quid præstet? fe-
brem non extinguit, morbos non discutit,
vulneribus non medetur, dolores non tollit,
mortem non repellit, nisi quod sanos occi-
dit, nec manducatur aliquando, nec bibi-
tur, nec in inferno cum suo prædone descendet:
solum quod oculos infælices, inanemq;
conscientiam ad hoc in maligni fulgoris cu-
pidinem diram spe potiundi præcipitat, ne
gratis homo videatur occisus. Et in sermo-
ne, 3. sic ait. Et libido profunda cupiditas
cæca,

Ideam ser. 3.

cæca, tempestas insana, rapacitas sine fide,
solicitudo sine requie, fidem frangit, chari-
tatem negligit, iustitiam negat, non cognoscit
affactus, iura diuina contemnit, huma-
na versutis argumentis excludit: orbem to-
tum, si possit, ut rapiat. Vultis scire quale
calamitatis sit genus? sane plus in eum qui
eam dilexerit, sauit: quam qui vicerit, ha-
bebit vitam eternam.

Hoc ipsum docet beatus Nilus Abbas, &
quomodo diues, qui diuinitijs suis animum
imponit in vinculis seruit. Dives autem
(inquit) ærumnis, & molestijs impeditur,
& canis instar catenis deuinctus est, quod
si migrare compellatur, diuinitarum memo-
riam & dolorem inutilem tanquam gra-
uem sarcinam circumfert, marore stimula-
tur, & animo angitur vehementer, diuinitias
relinquit, & molestia torquetur, si mors in-
stat a presentibus discedit iniquo animo.
Animam agit, nec oculos ab opibus auer-
tit, inuitus trahitur velut serus fugitiuus,
a corpore autem non à diuinitijs separatur,
imo vero ab illis rapitur & detinetur. Nec
multitudine fluminum mare, nec diuinitia-

S. Nilus ora-
tio. 3. de A-
uaria, tom.
5. Bliniote.
55. parr.

Liber secundus.

rum copia auari animus expletur.

S.Bern.ser.
8.de cōtem
pt. mundi,
in tract. de
modo bene
viuendi.

Hoc etiam sanctus Bernardus affirmat sermone octauo de contemptu mundi, dicens: *Dilecta mihi in Christo Soror, contēne diuitias terrenas, ut acquirere possis cælestes. Diuitiae perducunt hominem usq; ad periculum corporis, & animæ, diuitia pertrahunt hominem usq; ad mortem: multi propter diuitias periclitati sunt, & in periculum deuenerunt: multis exitiabilis fuit diuitia, opes multis hominibus generauerūt mortem. Nunquam habent quietem mentis, qui curis terrestribus se implicant: quia diuitia nunquam sine peccato acquiruntur: valde rarum est ut qui diuitias possident, ad quietem perueniant.*

Gregor. Nazian. in car.
ad Nicobu-
li patrem.
nu. 16. & 17.

Hoc & similiter B. Gregorius Nazianzenus ostendit in carmine ad Nicobulum patrem Nicobuli filij, qui sic ait:

*Non ego multa volo, pretij sed ut ipse per ampli
Sim potius cupio, ne longè à patribus
absim.*

*Quæ tibi, dic quæso genitor persancte,
voluptas,*

Hac

Hac erit, humana sub imagine, si tibi
turpis

Simia sit, collo innexum qua funibus
aurum

Gestet? non etenim species ridenda, le-
uisque

Mutatur, fulvo licet hanc decoraueris
auro.

Quid prodest asinis auri gestare talen-
ta?

Auri namque etiam nummis oneratus
asellus

More ruditi tamen ipse suo. Quid inuerit
enses

Ex plumbo factos vagina codere pulchra,

Ex quibus utilitas in bellis nulla redun-
dat?

Tali enim est, quisquis verarum cum
sit inanis

Prorsus opum, externi tantum fluxisq;
superbit.

Sed & Dantes Florentinus poeta hoc
etiam indicauit in illa sua cantilena quæ
incipit,

Le dolce Rime de amor,

(nupti)

T

Vbi

Dantes poe-
ta Florent.

Liber secundus,

vbi aperte demonstrat, diuitias suāpte na-
tura viles esse, nec quod vile est posse dare
nobilitatem, nec gloriam. Et copiosissimē
Sanctus Sixtus tertius Pontifex in libro
de diuitijs: & alijs quam plurimi, quos bre-
uitatis gratia missos facio, qui omnes licet
aperte & clare hoc demonstrent, ex scrip-
turæ testimonij hæc veritas clarior fit. Ut
Psalms. 48. est illud psalmi quadragessimi octaui non
sine magna irrisione dictum. *Qui confidūt
in virtute sua, & in multitudine diuitiarum
suarum glorianter.* Et psalmo quin-
quagesimo primo. *Ecce homo qui non
possuit Deum adiutorem suum, sed spera-
uit in multitudine diuitiarum suarum, &
prævaluit in vanitate sua.* Et Ieremias
Terem. 9. noueno. *Non gloriatur diues in diuitijs
suis.* Recte etiam illud proverbiorum
decimoseptimo. *Quid prodest stulto diui-
tias habere, cum sapientiam (qua videlicet
gloriam veram parit) emere non possit?*
Imo vero diuitium & potentum homi-
num memoriā, si à virtute declinauerint,
cum ipso corpore persæpè extingui psal-
mo trigessimosexto admonemur. *Vidi*
Prov. 17.
Psalms. 36.
idv.
(inquit)

(inquit) impium super exaltatum, & ele-
uatum sicut cedros Libani, & transiui, &
ecce non erat, & quasi eum, & non
est inventus locus eius. Et Esaiæ vigesim-
motertio. Dominus exercituum cogi-
tauit hoc, ut detraheret superbiam om-
nis gloria, & ad ignominiam deduceret
universos inclytos terræ. Superbiam glo-
riæ vocat, quæ in eis esse videbatur,
qui maximis opibus, & potestate flore-
bant.

Et quamvis argumentis illis, quibus
corporis bona profligamus, indiuitijs re-
ctè utilicet, tamen vnum, quod quidem
proprium sit, afferamus.

Duo sunt genera diuitiarum, ut libro
1. de republica cap. 6. visum est Aristoteli,
quædam naturales dicuntur, non solùm
quòd naturam nostram maximè iuuant,
sed etiam quòd eas parandi ratio homi-
nibus à natura tributa esse videatur, ut ci-
bus, potus, uestes, latibula. Aliæ sunt
artificiosæ, quæ per se naturam minimè
iuuant, sed artificio quodam constant,
& commodioris commercij, atque

Arist. lib. II
de repub. c.
6.

Duplex ge-
nus diuitia-
rum.

Liber secundus,

Arist. I. ad
Nicom. c. i.

commutationis gratia inuentæ sunt, ut pœ-
cuniæ, quibus præcipue emptiones & ven-
ditiones continentur. Assumo etiam ex
Aristotele, libro primo ad Nicomachum
capite primo, *præstantiorem esse finem ipsius*
quaæ ad finem ordinantur. Artificiosæ opes
naturalium causa queruntur, nèmpe ut ea
sumi vndeque possint, quæ sunt ad vitam
necessaria. Naturales ipsas nemo expetit,
nisi ut corpori suppetat, vnde sustentetur.
Atqui ista ipsa sustentatio corporis quaæ ta-
lis est, gloriæ efficere nō potest, (haberent
enim & beluae gloriæ) ergo nèq; naturales
diuitię multòq; minus artificiosæ, quæ mi-
noris sunt, & necessitatis, & dignitatis.

Illud autem quod pro diuitijs ex Gene-
si adductū est, facile infirmari potest. Per-
ficiunt enim per se opes, ut noti & cele-
bres sint illi, à quibus possidentur: sed ut illi
gloriosi sint, non efficiunt. Nam glo-
ria est clara cum laude notitia, diues au-
tem, ut diues est, ut non sit vituperan-
dus, certe laude dignus non est, cùm præ-
fertim Lucæ sexto legamus, *Va vobis di-
uitibus qui habetis consolationem vestram.*

Lucæ. 6.

Et

Et Matthæi decimonono. *Facilius est Ca
melū per foramē acus trāsire, quām diuites
intrare in regnū cœlorū.* Atq; hinc intelligi
tur quā ineptē faciūt multi plebeij orato
res, ac poetæ qui opulētos homines innu
meris laudibus prædicāt. & cū maximis vi
ris cōparāt. Non laudāda est opulētia, sed
animus in diuitijs sobrius, & tēperās, & lar
gus, non eas admirans, sed contemnens,
is verò iure laudatur. Huiusmodi homi
nes pauperes spiritu vocantur, qui diui
tes cūm sint, non magis luxuriant, aut
efferuntur, quām si inopes essent, me
ritòque de illis Matthæi quinto, dictum
est. *Beati pauperes spiritu quoniam ip
orum est regnum cœlorum.* Ac ne mul
tum dubitaremus, quos hic pauperes spi
ritu appellasset, Lucas capite sexto sa
tis dicere putauit, *Beati pauperes quia
vestrum est regnum Dei.* Pulchrè eos
pauperes vocat, qui non magis opibus
mouentur, quām si non haberent. Ap
paret etiam quām sit & execranda, &
miseranda eorum hominum insolentia,
& temeritas, qui fortunis ad fastum, &

Matth., 19:

Matth., 5.

Lucx: c. 6.

Liber secundus;

ad contemptionem aliorum abutuntur.

Omnis assurgere, omnes sibi cedere volunt, imperiumque sibi, & dominatum cum pecunia delatum putant. De quibus ait Beda super Marcum cap. 10. & super Lucam cap. 18.

Qui multiplicatis dñitijs incubunt alterius vita gaudia querere contemnunt.

Et præclarè Paulus, prima ad Timotheum, capite sexto.

Dñitibus huius seculi prece-

pe nō sublimè sapere, neq; sperare in in certo

dñitiarum. Quam laudem, aut quid admi-

ratione dignum habere potest, qui in sum-

mis opibus potest esse misserrimus? Quid

verò superbit terra, & cinis, ijs bonis, quæ

tanquā fœnū velociter arescunt? & quemad-

modum olera herbarum, citò decident?

Ita ne manifacienda sunt illa, quæ ærugo,

& tinea demolitur, & fures effodiunt, &

furanter? Si laudandi sunt qui pecunijs

Beda, in ca,
x. Mat. c. 8.
x. Luc.

a. Timo. c. 6.

Psal. 36.

affluunt, non ego eos sed arcas, sacculosq;

laudabo: si diuitioribus omnibus cedere,

& parere debemus, numis, auro pareamus.

Quod si quis hic obijciat diuitias esse so-

cias, & comites, & quasi parentes gloriæ,

quod se penumerò simul in sacris literis

nomi-

nominentur: veluti 3. Reg. c. 3, Sed, & hoc
qua nō postulasti dedit tibi, dinitias, scilicet,
& gloriā. Et primo Paralipomenō cap. vlti-
mo. Et mortuus est in senectute sua plenus
dierum, & diuitijs, & gloria: is primū in-
telligat, Salomonem, & Dauidem, de qui-
bus his in locis verba fiunt, & facultatibus
locupletes, & virtutum admiratione glo-
riosos extitisse. Quāmuis in Salomone flo-
rentibus diuitijs gloria postea cum virtute
extincta est. Itaq; gloria nō ad diuitias,
sed ad virtutem pertinet. Deinde etiā me-
minerit nos libro primo, capite decimo
sextō, copiosse ostendisse, gloriam ad He-
brœorum consuetudinem dici rerum ex-
ternarum affluētiā, & quam vulgus for-
tunæ prosperitatē appellat. Quomodo
hæc intelligenda existimō: ut Matthæi ca-
pite sexto. Nec Salomon in omni glo-
ria sua coopertus est sicut
unum existis.

(??)

Matth. c. 6.

Y 4

CAP.

C A P V T . l i m I I I .

De nobilitate.



Vltò melior est causa nobilitatis, & tanti ubique fuit, de ea ut possit iure dubitari, satis ne ad parandam gloriam valeat? Primum enim Paulus Apostolus libenter in generis antiquitate, & nobilitate gloriatur. Ita enim ait secunda, Corinthiorum vndeclimo. *Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Et statim Hebrei sunt, & ego. Israelia sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego.* Et ad Philippenses tertio. *Siquis alius videatur confidere in carne, & ego magis, circumcisus octavo die, ex genere Isræl, de tribus Benjamin, Hebraus ex Hebreis, secundum legem Pharissæus.* Ad hæc, *Quidquid causa causæ est, effectus quòque ipsius est causa.* Virtutem cōsentient omnes esse causam gloriæ: Atqui nobilitas est causa virtutis, erit igitur & gloriæ. Quod autem videtur ad probandum difficilius nobilitatem cau-

sam esse virtutis aperte his verbis confirmat Euripides.

Verum est Creonte nate quod dici solet,
Sat uero bonorum liberos igni bonos,
Similes malorum filios nasci patri.

Et Plato in primo Alcibiade, Consen-
taneū esse, (inquit,) meliores naturas nobis
li in genere, quam in ignobili reperiri.

Illud etiam Horatianum ab vniuersis
probatur, cum ait.

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, neq; imbellem, feroce
Progenerant aquila, columbam.

Quod idem Aristoteli probabile visum
est libro primo politicorum capite quar-
to. Et libro tertio, & octavo.

Adde tertio, quam plurima loca scriptu-
rae sacrae que nobilitatis praecellentiam, &
cius gloriam, perhibent, & commendant.

Vt Deuteronomij primo legitur dixisse Moses ad populum Israeliticum. Tuli de tribubus vestris viros sapientes & nobis, & constitui eos principes. Ecce instituu-
tur praeceteris iudices populi, nobiles cu-

Plato in 1.
Alcibiade.

Horat, Oda

Arist, lib. 7.
Polit, ca. 4,
& lib. 3, & 8,

Deutero, 1,

i. Reg. 9.

sapientibus. Et primo regum noueno, in
ter denominationes, & præconia Samue-
lis fidelis prophetæ Domini, commemo-
ratur nobilitatis elogium cùm dicitur
*Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobi-
lis, omne quod loquitur, sine ambiguitate
euenit.* Vbi nobilitatis nuncupationem
illi attributam esse ob prophetiæ dignita-
tē, sentit Nicolaus Lyritanus, quòd ea cōs-
picuus esset, gloriolus & nominatissimus.
Insuper Proverbiorum tricessimoprimo
capite commendatur mulieris fortis (que
typum gerit ecclesiæ) vir ab insigni nobili-
tatis titulo, cū dicitur. *Nobilis in portis vir
eius quādo sederit cum Senatoribus terra.*

Eccles. c. 10

Ecclesiastes itidem capite decimo attesta,
tur beatitudinem terræ ex nobilitate sui re-
gis argui debere cum ait. *Beata terra cu-
sis rex nobilis est.* Præterea Marci decimo

Marce. 15

quinto capite commendatur Ioseph ab
Arimathia, pietate insignis intumulando
corpore Domini nostri, quòd nobilis esset
decurio. Quod ideo adiectū est, vt, per no-
bilitatē potentiæ secularis, designaretur ob-
tinere potuisse facultatē ministrandi sepul-
turam

turam Domino, In parola etiam Domini distribuētis bona seruis suis ad negotiationem donec veniret, cōnotat scriptura peculiarem à nobilitate titulum, & gloriā cūm dicit. *Quod homo quidam nobilis ab ijt in regionem longinquā accipere sibi regnum, & reuertit.* Hic vtique nobilis homo, Dominus noster est, qui quāuis seruus factus sit, est tamen nobilis secundū in effabilem ortum à Patre. Nec solū ea ipsa ratione, & diuinitatis origine, sed etiam secundum genus humanum, nobilis est, ex semine David exortus. Demum in actibus Apostolorum cūm referuntur hi, qui Thessalonicae ad Pauli prædicationem conuersti sunt ad Dominum, id non ab re dictum est. Quod erat de gētilibus multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ. Quid quæso, adiecit cœlestis ille scriba, *Mulieres nobiles suscepisse verbū Domini, nisi nobilitas generis expressa maiorem asserret laudem, & gloriam his, qui illa sunt insigniti?* utq; præclarior significetur, & amplioris frugis Apostolica prædicatio, tantæq; efficacie, quod per eā nobiles quoquac, & clari nomi-

Liber secundus,

147

nominis, & gloriosi, tūm viri, tūm mulie-
res, viam domini agnouerunt?

Aristo, in 3,
Polit. ca. 8.

Accedit superioribus & Aristoteles in
tertio Politicorum, capite octauo edisse-
rens, quod rationabiliter sibi arrogant ho-
norem nobiles, ingenui, & opulenti, Opor-
tet enim (inquit) ingenuos esse, & censem
habere ad onera perferenda. In quibus om-
nibus patet nobiles honore & gloria, præ-
cæteris colendos censeri.

Cicero, in
offi.

Deinde, præter hæc semina innata vir-
tutū, rebus quoq; gestis maiorū suorum
vehementer homines excitantur, & qua-
si subditis stimulis aguntur: vt illis præstā-
tiores esse studeant, aut nihilo certè mino-
res. Itaque nihil est apud nobilissimum
quemque valentius, quam maiorum
commemoratio: nec ullam potiorem hæ-
reditatem possunt filijs parentes tradere,
quam rerum bene gestarum gloriam, &
integritatis ante actæ vitæ laudem. Com-
probat hoc Cicero in officijs dicens: Opti-
ma autem hereditas à patribus traditur li-
beris, omniq; patrimonio præstantior, gloria
virtutis rerum gestarum. Cui respondet
illud

illud Platonis dictum: *Gloria parentum, natis est præclarus, magnificusque thesaurus, Vnde debent illam hæreditariam traditionem filij libenter amplecti, ardenter capessere, & ad suum vium haud segniter accommodare, atq[ue] ex accepta huiusmodi hæreditate id capere commodi, ut contemplatione virtutis, & gloriæ paternæ incitentur animosius ad præclaram ipsius æmulationem.* Quisquis enim ingenuo natus est animo, & planè liberali, cum maiorum suorum rebus præclare gestis animum diligentius intendit, tū mirificè provocatur ad dignā earū imitationē. Nempe Salustio teste, Publius Scipio, & Quintus Fabius, cū magnorū virorū imagines inspiceret, quā maximè ad virtutem se inflamari solitos esse dixerunt. Ita Iulius Cæsar, inspecta Alexandri Magni imagine, magnarum rerum agendarum gloria incensus est. Qui etiam (ut memoriæ proditum est) conqueri apud amicos solitus erat, se eā aetate nihil adhuc præclarum fuisse, aut memorabile, qua ille ferè totum orbem suæditionis subeggerat. Ita Alexandrini

drum ipsum Liberi triumphi patris tāquā
admotis stimulis & calcaribus impulerūt,
ad decus ad famā, & deniq; ad nominis im-
mortalitatē comparandā. Sic Temistocles
post pugnā Marathoniā (in qua Milciades
dux Atheniensū Persarū vires magna vir-
tute cōtrivit) insomnes noctes, per vrbē
cursitabat, vt amēs: interrogatus quid ita
pernox diuagaretur per vicos? *quia* (in-
quit) *Trophæa Milciadis me excitat, nec*
placida mēbris dat cura quietē. Enim uero
prouocatus illustri Milciadis exemplo, &
triūpho, se cū animo agitabat, quonā pa-
cto tale quippiā pro patria præstaret.

Valer. Max.
lib. 2.

Rursum (autore Valerio Maximo lib. 2.
cap. de institutis.) *Maiores natu in conui-*
niijs antiquorū egregia opera carmine com-
prehensa ad tibias canere solebant, quò in-
nenui animi ad ea imitanda alacriores redde-
rentur. Quid hoc splēdidius? (inquit) *Quid*
etiam vitilius certamine? *Quas Athenas?*
Quā scholam? *Quæ alienigena studia huic*
domestica disciplina prætulerim? Inde orie-
batur Camilli, Scipiones, Fæbricij, Marcel-
li, & Fabij Refert & Leonardus Aretinus

Leonard.
Aretin:

in opusculo aëtorum sui temporis, se ad-
huc adolescentulum conspexisse in tabu-
la depictam Francisci Petrarchæ poëtæ
insignis imaginem, in cubiculo, quo deti-
nebatur, aptius repositā, eiusq; contēplatio
ne mirum in modū ad studia literarū, & hu-
maniores disciplinas exarsisse. Quòd si mu-
tæ imagines cœlatæ, aut pictura deforma-
tæ, si externi, & nullo nobis vinculo sangu-
nis cōiuncti, suarū magnitudine virtutum
infigunt aculeos generoso animo ad virtu-
tis amorē, quid faciet, oro, viua & spirans
vox, simul & facies, atq; acta parētū? Quod
efficacius poterit filijs proponi exēplum,
quo arctius incitari debeant ad recte ho-
nesteque viuendum? Proinde apud Virgiliū
Eneas inducitur Ascanium filium ad virtu-
tem hisce verbis adhortari.

*Disce puer virtutem ex me, verūmque la-
borem,*

*Tu facito, mōx cū matura adoleuerit aetas,
Sis memor, & te animo repetentem exem-
platuorum,*

*Et pater Eneas, & auuunculus excicet
Hector.*

Virg. Aenei.
lib. 12.

Liber secundus,

Verum ab externis ad propositam rem
comprobandum ad nostratia, & sacrarum
literarum testimonia flectamus habenas.

Exodo. 25.

Iussit quidem Dominus in Exodo Moysi

fabricaturo tabernaculum foederis. *Inspice,* & fac secundū exemplar quod tibi in mōte

monstratum est. Quo sane verbo ad allego-

ricam traducto sententiam, iubemur con-

siderare virum quempiam in mōte, subli-

mitatēque perfectionis vitæ cōstitutum,

in quo omnigenum virtutum exemplar

eminentissimè diluceat, & ad illius rectā

imitationem nostram cōponere vitam.

Perinde atque puer primis in annis discēs

efformationem literarum, aut artem pi-

ctoriam, archetypam habet scripturā, aut

primituam imaginē oculis suis obiectā,

cuius instar, aut characteres ducat litera-

rios, aut picturam effigiet. Proinde Sapiēs

in Ecclesiastico studiosē nos hortatur, *La-*

demus viros gloriosos, & parentes nostros

in generatione sua. Et paulò post: *Omnies*

isti in generationibus gentis sue gloriam

adepti sunt & in diebus suis habentur in

laudibus, qui de illis nati sunt, reliquerunt

Ecccl. c. 44.

nomen

nomen narrandi laudes eorum. Non vtiq;
ad vanitatem, aut inanem nominis ipso-
rum extollentiam, sed ad prouocationem
auditorum in virtutum officia, ac præcla-
ras vitæ actiones. Et optimè in Elsaia cap. Elaic. xi.
51. Dominus ait. Attendite ad petram un-
dè excisi estis, & ad cauernam laci de qua
præcessi estis. Attendite ad Abraham pa-
trem vestrum, & ad Sarram quæ peperit
vos. At verò de ignauis qui in glorij, & ta-
citi vitam silentio transegerunt, subiungit
eodem loco. Perierunt quasi qui non
fuerint, & nati sunt quasi non nati, & filij
iporum cum ipsis. omnium biup. hoc

Rursus Matathias inclytus legis Mosai-
cæ propugnator, & vindicta Machabæorū
que pater iam iam moritus, filios suos
ad fiduciam habendā in Domino, & forti-
ter pro Dei legibus dimicandum hortatus
est exemplo maiorum, & antiquorum pa-
trum, qui iustitiam se etati, diuinaque ius-
sa compleentes, eximiam consecuti sunt
laudem. Nunc ergo (ait) o filij amu-
latores estote legis, & date animas vestras
pro testamento patrum, & mementote ope-
r. Machab.
cap. vi.

rum Patrum qua fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen eternum. Abraham nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam? Ioseph in tempore angustie sua custodivit mandatum, & factus est Dominus Aegypti. Phineas pater nosier zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotij eterni. Et ita de cæteris quorum prosequitur, & recenset catalogum, in fine ita concludens. *Et ita cogitate per generationem, & generationem, quia omnes qui sperant in eum non infirmantur.*

*Sed quid multis mororū nonne Dominus ipse virtutum & cœlestē carum iubar, discipulis & nobis omnibus, qui eius discipulatum suscepimus, professi q; sumus, cōtestatus est. Exeplum dedi vobis, ut quemadmodū ego feci, ita & vos faciatiss? Quin imo nihil æquè clarissimos nostræ religio-
nis viros prouocauit ad arduum virtutis iter capessendum, quam aut audita, aut conspecta sanctorum patrum antiquorū vita, ad quorum imitationem se totos cōtulere. Enim verò beatissimus Pater Au-*

gusti-

gustinus audita Pauli simplicis viri Anachoretæ, & inter discipulos beati Antonij non ignobilis vita, quam scribit Heraclides, ^{Heraclides.} ingemiscens exclamauit. *Idiotæ cœlos rapiunt, & nos cum scientijs nostris ad inferna demergimur.* Studebatq; quotidie memorabilibus sanctorum exemplis animum excitare, inflammare affectum, iacē tem erigere mentem ad opera bona, imitatione maiorum. Vulnerauerat enim Christi charitas cor eius, & gestabat verba Domini in visceribus suis, quasi sagittas acutas, & exempla seruorum Dei, quos de mortuis viuos fecerat, tanquam carbones vastatores. Omitto, ne fastidium lectori ingram, quam plurimos sanctitate conspicuos viros, quibus emendatoris, & laudatoris vītē occasionem præstítit aliena virtus, aut audita, aut coram conspecta.

At vt hæc ita sint nemini quidem dubium esse debet nobilitatē non efficere gloriam. Quāmuis enim aliquando hæc duo cōiuncta, atq; sociata videamus, tamē fieri recte potest (vt vsū frequentissimè venit) vt alterū occurrat sine altero. Absalom, Robo-

Nobilitas
non efficit
gloriam.
Conclus.

Liber secundus.

mi, Iorami, Ochoziæ, maxima nobilitas
fuit nulla gloria. Contraverò, Petri, An-
dreæ, Iacobi, Ioānis incredibilis gloria, ge-
nus humile & abiectum fuit. Deniq; de pri-
mis illis Christianis, quorū nomina à mul-
tis magna cum laude memorabantur. I.

1. Corint. 1.

Corinth. 1. scriptum est. Videte enim voca-
tionem vestram fratres, quia non multi sa-
pientes secundū carnē, non multi potentes,
non multi nobiles. Et rursus. Ignobilia mun-
di, & contemptibilia elegit Deus, & ea que
non sunt, ut ea que sunt destrueret.

Præterea nemo meritò laudari, aut virtu-
perari potest in eo quod habet à natura. E-
tenim nullus fanus qui sit, aut hominē lau-
dat, quod sit bipes, aut bōbē, quod quadru-
pes nascatur, accusat. Quid ita? quia cū eo.
dē modo mēbra dispossuit naturæ artifex,
& parens Deus, nec homo aderat, qui se bi-
pedē faceret, nec bos qui meliorē formā
assumeret. Idē est de pulchra, ac turpi for-
ma iudicium, habent enim singuli qualē
sibi Deus donari voluit faciē, neq; hic me-
rito suo, bonā, neq; ille culpa sua malam.
Quare prudenter Heluius Lamia Lucio

Craf.

Crasso respondit, qui cùm oris deformitatem obijceret, *Non potui (inquit) mibi formam ipse fingere, ingenium potui.* Iphicratésque in Harmodium ei ob generis ignorantiam conuitia sibi ingerentem (nam is sutoris filius putabatur) respondit. *Meū genus à me incipit, sed tuum in te desinit.* Phalaris primus Agrigentinorum tyranus ille quidem, sed doctus Axiocho interroganti quid de nobilitate sentitet? respōdit. *Gloriari de nobilitate (ut de alio quo-uis bono) non indecens est. Ego autem unā nobilitatem virtutem noui cetera fortunā.* Nam humili genere natus, vt bonus, ita regum, & omnium hominum nobilissimus fieri potest. Contra aliquis parentibus bonis ortus, malus euadere potest, ac tūm se ipso, tūm vilissimis quibuscque ignobilior. Igitur de laudibus animę gloriari, non de maiorū nobilitate in obscuriore posterioritate iā extincta. Temistocles etiā, cū esset patria Atheniēsis, Seriphio cui dā in contentionē obiectanti, quod nō propriavirtute, sed patrię splēdore gloriosus factus esset, re cte respōdisse fertur. *Neq; tu si Atheniēsis es*

Liber secundus,

esses, clarus extitisses: neq; ego si Seriphius es
sem, ignobilis. Sic Anacharsis Philosophus
exprobranti sibi Attico, quod Scytha esset
(Autore Laertio) præclarè respondit. *At*
nihil quidem mīhi probro est patria, sed pa-
tria et tu. Quod ergo ex his, aut illis parenti-
bus nascatur, ex hac, vel illa patria, hoc, vel
illo modo, nemini vitio, vel laudi verten-
dum est, cum in eius potestate id non fue-
rit situm. *Quod fit ut neque suum meritò*
appellet. Quem admodum apud Ouidium
Vlisses Aiaci suam inflata bucca iactanti
nobilitatem, scite respondit.

Nam genus, et pro avos, et qua non fe-
cimus ipsi, vix ea nostra voco.

Ciceron. in
orat. ad Sal
lust.

Vnde Egregie Cicero Romani prin-
ceps eloquij in oratione qua respondit Sal
lustio iactanti se de sua nobilitate, qui cū
contemptum vocarat nouum hominem
Arpinatem, sic ait. *Ego meis maioribus vir-*
tute mea praluxi, ut si prius noti non fue-
rint, ame accipient initium memoria sur-
tutuis, vita quam turpiter egisti, magnas
obfudisti tenebras, ut etiam si fuerint egre-
gij ciues, certe venerint in obliuionem. Qua-
re

Ouid. lib. 3.
Metam.

re noli mibi antiquos viros obiectare, sa-
tius enim est, me meis rebus gestis florere,
quam maiorum opinione niti: & ita viue-
re, ut ego sim posteris meis nobilitatis ini-
tium, & virtutis exemplum. Hoc ipsum di-
cit in oratione pro Lucio Muræna respõ-
dens Catoni, qui Seruum Sulpitium Mu-
rænae anteponere satagebat titulo nobili-
tatis maiorum. Sed & Seuerinus Boetius
in tertio consolationis philosophicæ libro
luculenter ostendit, non esse inaniter, &
vanè gloriandum de generis nobilitate,
tum, quod ipsa alienum est bonum, atque
a parentibus deriuatum: tum quod laus a
meritis parentum emanans, ipsos quidem
parentes claros reddit, filios vero nequa-
quam, nisi propriam habuerint virtutis cla-
ritatem, qua sint insigniter splendidi. Ver-
ba Boetij sunt haec. *Iam vero quam sit ina-*
ne, quam futile, nobilitatis nomen, quis non
videat? quasi ad claritudinem refertur, alie-
na est. Videtur namque esse nobilitas, qua-
dam de meritis veniens laus parentum.
Quod si claritudinem prædicatio facit, illi
clari sint necesse est, qui prædicantur, quarè

Cicer. in o-
rat. pro Lu-
cio Muræ-
na.

Boet. lib. 3.
de consol.

Liber secundus,

splendidum te (si tuam non habes) aliena
prædicatio efficit? Quod si quod est in nobili-
tate bonum, id esse arbitror solum; ut impo-
sita nobilibus necessitudo videatur, ne à ma-
iorum virtute degenerent.

Rursum quibus vñus idemque pater est
præcipiuus; & primus, iij nullum habent ori-
ginis discrimen, atque diuersitatem. Om-
nibus autem hominibus idē est Pater cœ-
lestis, ad quem diuina institutione edocti,
cum oramus dicimus. *Pater noster qui es*
in cœlis. Et Dominus noster apud Matthēū
capite vigesimo tertio. *Omnes vos fratres*
estis, & patrē nolite vocare vobis super ter-
ram, vñus est enim Pater vester qui in cœ
lis est. Pater, inquam, animarum nostrarū;
quas omnes ad imaginem, & similitudinē
tuam fecit: *ipse enim fecit nos, & non ipse*
nos. Id plane Boetius eodem libro confe-
querter hoc carmine comprobat.

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu:
Vnus enim rerum pater est,
Vnus cuncta ministrans,
Ille dedit Phabō radios,

Dedit

Matth. 6.
Matth. 23.

Boetius.

Dedit & cornua luna:

Ille homines etiam terris

Dedit, & sydera cælo.

Hic clausit membris animos

Celsa sede petitos.

Mortales igitur cunctos

Edit nobile germen.

Et quoniam ignobiles animo sunt, qui degenerant à sua origine, quicunq; à Deo omnī authore per vitiorum abrupta discedunt, diuinā in se dedecorantes imaginē, inducentesque nebulam illi, & horrendas tenebras, recte degeneres dicuntur, & ingenerosi. Quemadmodum idem autor in loco supra citato subnectit.

Boetius.

Quid genus & proauos strepitis?

Si primordia vestra,

Authorèmque Deum spectes,

Nullus de gener extat:

Ni vitijs peiora fons

Proprium deserat ortum.

Sicut etiam per Scripturā loquitur nobis Dominus i.lib.regum capitul. 2. *Qui-cumque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt*

i. Reg ca 3

Liber secundus.

ignobiles. Id planè Christus Dominus noster optimus, è quissimumque nobilitatis, & ignobilis, rerumque omnium aestimator, non ne apertissime ostendit unum communemque omnium patrem esse omnipotentem Deum, cum ita nos docuit orare? (ut superius ostendimus) *Pater noster qui es in cælis*, quem locum enarans Diuus

*Chrysostomus homilia vigesima in Mat
thæum, Non dicit(ait) Pater meus qui es
in cælis: sed pater noster, superbiam remit-
tens, inuidiamque explodens, & introdu-
cens matrem bonorum omnium charitatē,
& humanarum rerum iniquabilitatem
prorsus expellens, & miram regis cum pau-
pere equalitatem honoris ostendens: si ta-
men in maximis, & ad aeternam gloriam
necessarijs communione sociemur. Quid
enim noxiè de terrena nobilitate metuen-
dum est, quando cœlesti omnes nobilitate
coniungimur? Cùmq; nullus alio amplius
de illo honore possideat, nèq; locuples paupe-
re, nèque dominus seruo, neque iudex minis-
tro, nequerex milite, nèque sapiens imperi-
to? Cunctis enim unam atq; eandem nobili-
tatem*

tatem donauit Deus, cum dignatus est omnium pater vocari. Et idem Chrysostomus, homilia quinquagesima nona in Matthæum, multa in eos qui generis nobilitate efferuntur, congerit, inter quæ illud est. *Dic quæso, quid genus est? nihil aliud certè quam verbi sonitus, ab omni re destitutus, quod in extremo illo die scietis.* Ad eundem modum Diuus Augustinus interpretans eundem locum Matthæi sexto. *Admonentur (ait) hic genere nobiles secundum sacrum cum Christiani facti fuerint, non superbire aduersus ignobiles quoniam simul Deo dicunt, Pater noster, quod nō possunt vere, ac pie dicere, nisi se fratres esse agnoscant.* Nec primus dominus noster, patrem nostrum Deum Patrem inuocari docuit. Nā longo ante interuallo Esaias, & ipse à Deo edoctus, cap. sexagesimo tertio docuit dicens. *Tu enim Pater, & Abraham nesciuit nos: & nunc domine Pater noster es tu, nos verò lutū, & factor noster tu: & opera manuum tuarum omnes nos.* Facit ad hoc etiā illud Pindari, apud Eusebium de præparatione Euangelica, libro decimo tertio, capitulo

Chrys. he.
59. in Mat.

Aug. in c. 6.
Matth.

Esaias, cap.
63.

Eus. de præ
par. Euarg.
lib. 13. ca. 7.
Pind. in pr.
oda 6 Ne-
meorum.

pite

pite septimo. *Vnum* (inquit) hominum genus est, *& ab una matre cuncti, unum patrem* creatorem summum, atq; optimum artificem habemus. Et illud Euripidis apud Stob.

Euripides,
apud Stob.
ser. 84.

Stereum sermone octogesimo quarto:

Superflua est oratio, nobilitatem

Si mortalem laudauerimus.

Olim enim cum primum natum sumus,

Et mater tellus homines formauit,

Omnibus consimilem largita est faciem.

Peculiare nihil habemus,

Vna generis, eademq; origo

Nobiles, ac ignobiles produxit.

Tēpus autē legibus arbitrarijs nobilitatē

Efficit magis gloriosam,

Sed in prudentia nobilitas sita est, ac intellectu.

Tutissima generis laus est

Virum collaudare, qui iustus fuerit.

Quōd si ad corporum originē, mentis aciē deflectere lubet: & illam cōpericmus in omnibus ēadē (vt pote terrā & lutū ex qua formatus est homo) Fecit enim Deus (vt testatur scripture) hominē de limo terra, & inspiravit in faciē eius spiraculū vitæ.

Genes. 2.

Idem

Idē & Iob contestatur dicens: *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Et rursum alio in loco: *Induta est caro mea putredine & sordibus pulueris.* Proinde, sapiens nostrā retundens, & deprimens superbiam, quam egregij maiorum tituli, aut stēmata clara parentum, aut alia quæuis extollentiae materia suggerit, inquit, *Quid superbit terra, & cinis?* Et de vnoquodque nostrum nimirū dicitur. *Puluis es, & in puluerem revertaris.*

Hæc profectò sunt nostrę nobilitatis insignia omniū, *Cinis* (inquam) & *puluis*, & *terra*, quę nobiscū (vel inuiti) ferimus semper, & animo affixa assidue meditari, contueriq; debemus more nobilium huius mundi, qui maiorū suorū insignia effigia- ta gestant, aut vestibus, tapetisq; intexūt, aut splendidarum domorū parietibus insculpunt. Cùmq; ad vitæ nostræ calcē metamq; peruenierimus, morte resoluti communem omnium matrem terram repetemus, quæ nobilium huius seculi, ab ignobilibus nullū facit discerniculum: omnesque sine discriminē suo sinu receptat,

Ecclesiast.
10. 1. 10. 10. 10.

Genes. 3.

infauillamq; redigit. Perit enim morte,
atq; intercidit clara nobilitatis gloria, neq;
suos post funera comitatur alumnos.
Quod grauiter & p̄aeclare libro, 2. dicit
Boetius.

Licet remotos fama per populos means
Diffusa lingua explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors spernit altam gloriam,
Inuoluit humile, pariter & celsum ca-
put,

AE quātq; summis infima
Vbi nunc fidelis ossa Fabricij manent?
Quid Brutus? aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis pauculis
Inane nomen literis.

Sed grauissimē, & sāctissimē hoc ipsum
docet Diuus Gregorius Nazianzenus in
carmine cuius inscriptio est, Præcepta ad
Virgines, dicens.

Haud decet, haud fas est magni figmēta
parentis
Cogere, namq; omnes ab origine fluxi-
mus unā;
Et Rex, & Regi qui vestigalia pendit,
Di-

Boet. lib. 2.
de consula.

Greg. Nazi.
iu carmi. ad
Virgin. nu.

250

Dives, inops, altis solijs quique infidet,
& qui

Vergit humi, florēnsque annis, fractusq;
senecta.

Omnis eiusdem soboles patris, omni-
bus idem

Spiritus, ad Regem cuncti properamus
eundem.

Omnibus est natus, mortem tulit omni-
bus aequa

Christus, & ad vitam rediit, vitamque
beatam

Obtulit, & trutuli conuexa palatia cœli.

Et eodem carmine numero ^{Ibid. num. 14.} decimo quarto.

Vnus omnes erimus tumulato corpore
puluis,

Vnus, & aequalis locus est, sedesque pa-
rata

Regibus, & seruis, terram properamus
ad unam.

Et in carmine de virtute humana sic
ait.

Quod si forte tuam damnoſa superbia
mentem

Greg. Nazii
carm. de vir-
tute hun a.
num. 14.

Soli-

odi . . . Liber secundus,

Solicitet, tūm tu quisnam tibi cesserit
ortus

Esto memor, quid nam fueris prius ipse.
parentis

Quid nam cum grauida tegereris rur:
sus in alio,

Denique quidnam sis post ultima fata
futurus?

Nempe cinis, tineaq; cibus, nil lumine
caffos

Amplius inter habens, quam quiuis
paupere censu.

Omnibus est tellus communis, & omni:
bus aether,

Omnibus est cælum, conuexaq; sydera
cæli.

Denique commune est cunctis aequorq;
ethrone.

Et rursus in carmine de huius vitæ va:
nitate.

Hac modo. Post autem tenuis puluiscu:
lus omnes,

Omnes sorte pari, seruique, & sceptra se:
rentes,

Pauperies quos dura premit, quos copia
verum

Effert,

*Effert, nos omnes eadem caligo domusq;
Excipiet, nec plus quicquam est in mor-
ie superbis,*

*Quām mage quod celebri luctu celebrā
turearum ||*

*Funera, magnificūmque magis tegit of-
fī sepulchrum,*

*Nominaque in graubus saxis incisa re-
linquunt.*

*Et quanquām serō, tandem tamen om-
nibus una*

*Sors iacet, ut morti pensum est fatale tri-
butum.*

*Ossa infirma sumus cūcti putredine fada
Et capita horrenda aspectu, spoliataque
carne.*

Iam cessat fastus.

Igitur si primam nostram secundum
carnem originē reducimus omnes in
Adam primum parentem nostrū, vt scrip-
tura testatur actorū decimo septimo. Fecit
Deus ex uno omne genus hominum inhabi-
tare super uniuersam faciem terræ. Si om-
nibus secundum corpus idem est primi-
tiuus author, & Pater, quid efferuntur,
Actor. 17.

Liber secundus,

insolescunt, & turgidi inflantur, qui speci
men, & decus nobilitatis habent, super cæ
teros ignobili domo prognatos? quid in
tumescunt more vtris vento distenti? vt
versus hi optimè explicant.

*Si pater est Adam cunctis, si mater &
Eua,*

*Non ne omnes sumus nobilitate pares?
Degenerant homines vitijs, fiuntque mi
nores:*

Exaltat virtus nobilitatque genus.

*Sed & Salomon singulari sapientia ce
leberrimus, & generis itidem nobilitate
splendidissimus, haud dubie contestatur
idem mortalibus omnibus esse natuitatis
exordium, de se ipso ita verba faciens. Sum
quidem & ego mortalis homo, similis om
nibus, & ex genere terreno illius, qui prior
factus est, & in ventre matris figuratus su
caro, decem mensium tempore, coagulatus
sum in sanguine, ex semine hominis & de
lectamento somni conuenienti. Et ego na
tus accepi communem aerem, & insimi
liter factam decidi terram, & primam vo
cem similem omnibus emisi plorans, in inuo
lumen-*

Iumentis nutritus sum, & magnis curis. Ne
mo enim ex regibus aliud habuit nativita-
tis initium. Unus ergo introitus est omni-
bus ad vitam, & similis exitus. Quod si
haec communis omnibus origo, & nouissi-
ma vitae meta altius animo infigatur, at-
que tenacius haereat, salutaris erit medici-
na, presentanèumque remedium ad pre-
midum elationis, & putridū vulnus, quod
ex carnis nobilitate succrescens exulcerat
animum, protinus curandum, & expressa
fanie purgandum. Haud secus ac pabo, cū
deformes spectat suos pedes caudā pennis
stellatis explicata illico demittit ad ima.

At nobilitas, claritas quædam est maio-
rum, Aristotele autore libro secundo de ar-
te dicendi ad Theodecten, capite decimo
quinto (hoc est) ex eorum genere nasci, qui
clari, & magni habitu sunt. Sic vocat eam
Plautus in Rudente, & Marcus Tullius
in oratione pro Rabirio Posthumo, & pro
Marco Cetlio, & in paradoxis. Si igitur
nobilitatis causa nemo laudatur, nulla
afferet nobilitas gloriam. Fieri enim
nequit, ut gloria sine laude consistat,

Arist. lib. 2:
ad Theod. c.
15.

Plautus.
Cicero.

Liber secundus,

Siquidem est clara cum laude notitia,
aut frequens de aliquo fama cum lau-
de.

Ad primum argumentum quod in
principio quæstionis adductum est ex A-
postolicis literis, respondeo equidem nun-
quam in mentem venisse Paulo, ut aliquā
in claritate generis gloriam sitam puta-
ret, videlicet enim nihil in ea esse quod
quidem tribuere posset sibi. Quare ad
Phil. 3. Philippenses tertio cùm multa de sui ge-
neris antiquitate, & dignitate dixisset,
2. Cor. 11. ne christiani eam in magnis bonis ha-
berent, addit statim. *Veruntamen exis-*
timo omnia detrimentum esse, propter
eminenter scientiam Iesu Christi Do-
mini mei, propter quem omnia ut detri-
mentum feci, & arbitror ut stercore. Et
secundo Corinthiorum capite vndecimo,
prius dixit se in sapientia loqui, & secun-
dum ignobilitatem, quoniam nihil inde
veræ laudis oriri sentiebat. Commemo-
rat ille quidem sæpè nobilitatem suam,
nunquam temerè, aut leuiter, sed pru-
denter & grauiter, non vltro, sed coa-
ctus,

tus, non ut sibi laudem arroget, sed ut profit alij. Verbi gratia, ad Romanos vndeclimo, docebat Deum non omnino abiecis-
se Israelem, adhibet in se ipso exemplum.
*Nam & ego Israelite sum ex semine Abra-
ham, de tribu Benjamin.* In posteriori epis-
tola ad Corinthios intellexerat multum
sibi tribuere pseudo Apostolos, quod eo
ex populo atque ex ea gente essent, quam
Deus peculiariter elegerat. Ac ne, vel hac
ipsa in re illis inferior crederetur, aut
aliquid autoritati detraheretur suæ, *In
quo (inquit) quis audet (in sapientia
dico) audeo, & ego, Hebrei sunt, & ego
Israelite sunt & ego, ministri Christi sunt,
& ego.* Idē efficere vult in epistola ad Phi-
lippenses: inuehitur enim in iudaizantes,
qui legem cum Euangeliō conseruan-
dam, atque retinendam esse prædicab-
ant de quibus capite tertio ait. *Videte
canes, videte malos operarios, videte
concisionem.* Et paulò post subdit. *Si
quis aliis videtur confidere in carne,
ego magis, circumcisus octauo die, ex
genere Israel de Tribu Benjamin,*

Ad Rom. 11.

Ad Phili 3.

Liber secundus,

Hebraus, ex Hebrais, secundum legem Pharisaeus, secundum iustitiam, qua in lege est conuersatus sine querela. Ac si dicat. Non est quod me quisquam irrideat, si enim in inanibus carnis titulis gloriantur, & in ijs magnopere confidunt, hac quoque parte illis antesto: qui ad Israelem pertineo, & ex phariseorum gente sum: qua non est alia legis, aut scientior, aut obseruantior. Tum octauo die circuncisus, quo factio eius me cultorem professus sum. Quam tamen modo Euangeli gratia contemno, & inania puto ea, quæ quondam magnificere solebam.

Secundum argumentum latiorem appetit campum disputandi, & eō nos dicit, ut videamus, quam habeat nobilitas cū virtute cognitionem.

Nobilitas magnam vbiique excitat admirationem sui, quia penitus inhærens, atque insitum in animis hominum videtur, ex optimis parētibus optimos nasci filios, ut in canibus, in equis, in tauris, ac etiam in vitibus, in plātis, in arboribus videmus. Itaque nobiles non tam propter se ipsos

colun-

coluntur, & honorantur, quām virtutis causa, quæ in ipsos cum genere translata, & deriuata creditur, aut certè quidē propter maiorum suorum virtutes, quas homines recordatione prosequuntur. Quemadmodum Cicero filius, & posteā Mamer-
cus Scaurus, homines impuri, Consules creati sunt, Fabius Persicus, nihilo melior in Sacerdotum Collegio cooptatus est. Vi-
delicet, datum est hoc trecentorum Fabio-
rum memoriæ, & Marci Tullij Cicero-
nis, & veteris illius Scauri virtutibus. Salo-
monem, & Roboamum, & multos reges
sequentes Dauidis religio, & recordatio
conseruauit. Quod si ita est, gloria in nobi-
libus magis virtuti, quam nobilitati ipsi
datur.

Quæramus ergò nūm vera sit hæc ho-
minum sententia, & opinatio, ex bonis bo-
nos procreari? ut intelligamus, quamvis
habeat nobilitas ad gloriam. Aristoteles
quidem ait libro primo de historia anima-
lium capite primo, & libro secundo ad
Theodecten, capite decimoquinto. *Mul-*
tum interesse inter generosum, & nobilem.

Liber secundus,

Nobilem cum esse qui ex bono prodijt genere, id est, qui ex claro genere natus est: generosum, qui non de generat à maiori- bus. Sed id in nobilibus rarissimè inueniri, multos humiles esse, atque deiectos. Addit éxistere in generationibus hominum , ut in agris, fertilitatem: aliquando prestantes viros generari , rursumque deiici genus: nonnullas familias, quæ quidem ingenio- se fuerunt, in furiosos mores degenerare, vt Alcibiadis, & superioris Dionisij : quie- tas vero in legnitiem, vt Cimonis, Periclis,

Arist. in 5.
lib. de rep.
cap. 1.

Isidor. lib. 2.
different. n.
10.

Corn. Fronto,
libr. de
différ. nom.
& verbor.

Tiraq. libr.
de nobil. c. 2.

Socratis. In quinto autem libro de repu- blica, capite primo affirmat, Nusquam re periri centum, qui re vera nobiles , ac boni sint. Beatus autem Isidorus Hispalensis Ar- chiepiscopus in secundo libro differentia- rum numero decimo. Hoc interst (ait) in- ter generosum, & nobilem, quod generosus naescitur, nobilis opibus fit. Vnde Cornelius Fronto in libro de numinibus verborum que differentijs, appellat nobilem ex re , & generosum ex cognatione. Tiraquellus au- tem in libro de nobilitate capite secundo dicit. Quod genus & generositas proprie-

& pri-

*E*priuatim dicitur qui , quae ex generet
est : nobilem autem , *E*nobilitatem latius pate-
re , ut quae , *E*ad eam etiam quae ex genere
est , *E* proprio ad reliquias pertineat . Ut vi-
dere licet ex Ouidio libro quarto Tristium
elegia tertia .

Ouid lib. 4.
Trist. eleg.
3. in pr.

O qui nominibus , cùm sis generosus , auo-
rum ,

*E*xuperas morum nobilitate genus .

Sed quidem ex viris omni virtutum ge-
nere florentissimi flagitosos sèpè filios or-
tos esse , nemo qui sapiat , inficiabitur : qua-
les enumerat Valerius Maximus lib. 3. ca-
de ijs , qui à paréribus claris degenerauerūt
vt Scipionis Africani filiū væcordem , & ig-
nauum , Quinti Fabij filium suorum bono-
rum , vsque adeo profutum , vt bonis illi pa-
ternis à prætore interdictū sit . Clodij quo-
que filiū pulchri insano amore perditissi-
mū , & Quinti Hortensij oratoris clarissimi
nepotē in omnē effusum libidinis spurci-
tiā , insuper , & cæteros , ex citato autoris lo-
co haud magno impendio dignoscendos .

Vale. Maxi-
lib. 3.

Et vt missas faciamus Græcas , & Ro-
manas , & omnium Gentilium histo-

rias, quæ immensam exemplorum syluam de hoc suggerunt, ad sacras veniam literas. Offert se statim Caim, & omnis fere posteritas Seth iustissimi hominis, & eius filij Enos, qui cœpit inuocare nomen domini, quæ corrupta est coram Deo, & repleta iniquitate. Ex filijs Noe Cham, & Abraham Ismael, ex Isaaco Esau, ex Iacobo Ruben, qui paternum torum immani libidine fœdauit, ex Dauide Amon, & Absalō, & alij ex nepotum numero quam plurimi. Sapientissimos viros imprudentes, & stultos suscipere filios, & in Roboamo Sapientissimi Salomonis Regis filio appertissimè animaduertendum est, & quotidie experientia ipsa testatur. Illud est obseruatū à multis, paucissimos in omnibus sæculis inuentos esse excellentium hominum filios, qui præclaram illam parentum virtutem, atque animi præstantiam æquarent.

Ex dictis constat nobilitatem non esse illam quidem causam ordinatam: nam & virtus sine nobilitate, (vt dixit) sœpè existit, & sine virtute nobilitas. Quamobrem nobilis siquidem etiam generosus sit, veram,

& mag-

& magnam gloriam habebit, non quam nobilitas, sed quam virtus efficerit. Satis enim magna est nobilitatis prædicatio, & laus, adminiculum esse, & quasi hortatricē ad res præclare agendas, efficientiam gloriæ virtuti concedat, & relinquat. Si vero generositatē nobilitati non adiecerit, hoc est, si virtutum maiorum suorum imitator, & hæres non extiterit, nulla cum vera laus, nulla gloria consequetur. Honos qui dem ei haberi aliquis poterit, verum ita, ut non ipsi, sed patribus eius clarissimis viris haberi intelligatur. Itaque hoc ipsum non nostrum est bonum, sed aut progenitorū, qui nobis prima nascendi fundamenta iecere; aut naturæ, quæ tale nobis indidit natuitatis exordium. Nobilitas vero virtutis tota est nostra, nostrumque bonum nō ex hæreditaria patrum successione nobis obueniens, sed nostro ipsorum labore partū, nostra comparatum opera, atque vigilantia. Vnde dixit Seneca, *Qui genus laudat suum, aliena laudat*, Et Apuleius, *si laudas aliquem quia generosus est, parentes eius laudas.*

*Seneca.
Apuleius.*

Rursus nobilitas generis plerunque principium habet ignobile, & primos illius stirpis auctores nulla claritudine insignitos. Quid obsecro Romanis primariam præstítit originē? Asylum plane illud quod constituit Romulus, ad quod vndequaque certatim configuentes finitimi conuenerunt. inopes, & ignobiles, vrbi tam amplæ prima dedere incrementa. Quod Iuuenialis octaua satyra sic innuit.

Et tamen ut longè repetas, longèque reuoluas

Nomen, ab infami gentem dducis A-sylo.

Maiorum primus quisquis fuit ille tuo-rum

Aut pastor fuit, aut illud quod dicere no-lo.

Sæpenumerò itidem intercidit antiqua, & longo recensita stemmate stirpis nobilitas, aut morte, aut ignominia, cùm qui ex clara domo superfuerint, ut postremæ illius reliquæ, aut fatto eripiuntur ante suscepitam sobolem, aut ob aduentitium quiddam tristi-

de honestantur, & publica ignominia, tit
lōque nobilitatis exuuntur. Nēque id qui
dem mirum. Nam cūm fortuitum quod-
dam, & externum sit bonum, more cæte-
rorum, id genus bonorum instabilitati, &
mutationi est obnoxium. Atqui virtutis
nobilitas, et si principium habeat in eo, qui
primum eam sibi impigrè vendicat, finis
tamen, & interitus nescia immortalem il-
li gloriam, & perenne nomen parit. Cog-
nationem siquidem habet cum virtute, cu-
ius proximè sequitur conditiones, claraq;
& æterna habetur. Nēque ullam infamię
notam suo possessori inuri sinit. sed ab om-
ni eum vindicans dedecore, & turpitudi-
ne, fama super ethera notum, ac celebrem
reddit.

Quid? quod bonis, & malis nobi-
itas generis communis est? nēque pro-
bum à prauo fecernit. Animi vero no-
bilitas solis bonis & virtute præditis com-
petere potest. Sicut autem ea, quæ homi-
nis sunt propria, ijs præstabiliora cen-
sentur, quæ eidem cum animantibus ra-
tionis expertibus sunt communia: ita
quæ

Liber secundus,

quæ solis conueniunt bonis nimirum excellentiora sunt ijs, quæ etiam malis communicantur.

Vnde patet quòd ob solam generis nobilitatem, nullus homini debetur honor, aut laus, quandòquidem (autore Aristotele) ijs quæ à natura nobis adsunt, nèque laudari, nèque vituperari debemus.

Quòd autem nobilibus genere sicut & opulentis, iure meritòque tribuatur honor, id ipsum non ob solam generis, aut diuitiarum rationem, contemplationemque fit, sed vt coniunctam ipsis virtutem, aut quæ existimatur (vt debet) esse illis coniunctam. Decet enim eos qui cæteris nobilitate, diutijs, aut magistratu præstant, & virtute quòque si vœcordes ignauique non sunt, alios anteire. Hinc Aristoteles in quarto Ethicorum capite secundo de magnitudine differens. *Nobiles* (inquit) *qui in dignitatibus sunt constituti, vel diuites, digni cœsentur honore, in excellentia nàmque consistunt, atque omne bonum quod excellit, dignum est magis honore.*

Arist. 4. lib.
Ethic. c. 2.

Re

Re autem vera solus bonus est honorabilis, atque hi quidem, quibus insunt ambo, digni magis honore censemur. Qui vero sine virtute talia bona habent, hi non mere se ipsos dignos magnis honoribus censem: neque magnanimi recte dicuntur: non enim sunt haec sine accumulata virtute. Sic ille. Virtutis vero nobilitas, & laude in primis dignum reddit hominem, & honore. Siquidem soli virtuti & laus debetur, ut præmium, & honor: cum ipsa proprio hominis studio assiduo labore, grauique fudo re parta sit, neque ex alieno nobis existat accessoria.

Ad hoc virtutis nobilitas sine sanguinis generositate, meritò laudanda est. Quis enim virum probum, & egregia virtute præditum,quamvis obscuro loco natus sit, iure non laudauerit? Ediuersò verò generis splendor illustris sine virtutis ornatu, non modò laudem non meretur, sed potius ignominiam. Etenim qui vitijs est fordidus, tamè si nobili sit genere natus, nequàquam commendatione dignus est, quinimo

Liber secundus.

graui afficiendus probro, atque vituperio,
quod ab auita probitate, & præclaris ma-
iorum moribus degenerauerit, & insig-
nes generis titulos vitæ turpidine fædaue-
rit. Vnde ait eligenda est potius virtutis
nobilitas, sine stirpis splendore: quam san-
guinis claritudo, sine virtutis excellentia.
Et ita si quisquam humili, & obscuro na-
tus virtute multum excellat, habebit ipse
partam gloriam, qua ille alter, quasi hered-
itaria possessione decedit. Quem admo-
dum docte & præclare in hoc carmine no-
tat Iuuinalis.

*Malo pater tibi sit Thersites, dummodo
tus sis*

*Æacidæ similis, Vulcania que arma ca-
pessas,*

*Quam te Thersite similem producat A-
chilles.*

Demum nobilitas generis ea dum-
taxat ratione laudatur, quatenus so-
ciam habet virtutis claritatem, quam
si detrahias amplius illa nihil habet, quod
iure laudes. Est igitur virtutis clari-
tas (propter quam illa laudatur) me-
rito

meritò commendatior. Quod planè Satyricus mutorum animalium exēplo nobis insinuat, cum stomacho contra intumescentes ob claram stirpem inclamans, ait,

Iuue. ibidē.

Dic mihi Teucrorum proles, animalia muta.

Quis generosa putet nisi fortia? nempe volucrem.

Sic laudamus equum, facili quo plurimapalma.

Feruet, & xultat rauco victoria circo.

Ergò ut miremur te, non tua, primum aliquid da:

Rarus enim fermè sensus cōmunitis in illa Fortuna, sed te censeri laude tuorum.

Ipse ego noluerim: sic ut nihil inde futuræ.

Laudis agas, miserum est aliena incumberere fama.

Ex supra dictis cōstat, quod stirpis, generisq; nobilitas suū exortū primitus habuerit à nobilitate virtutis: estq; haec illius primiua & originalis causa. Nēpē apud antiquos, cū quispiā admirāda virtute insignis lōgē ceteros antecelleret, egregijs (vt par-

Bb erat) esse-

efferebatur laudum præconijs & graui au-
toritate conspicuus ante alios habebatur.
Transiuit & ea laudis commendatio ad
posteros: ut filij, & nepotes eius, ob pater-
næ, aut auctæ virtutis claritatem illustres,
& inter cæteros primi haberentur. Qui er-
gò primum nobiles dicti sunt, id à virtu-
te præclarum acceperunt elogium: illo-
rumque liberi à benefactis, & meritis pa-
rentum, nobilitatis denominationem
mutuati, sortitiique sunt: quod à præclaris
& virtute splendidis viris exorti fuerint.
Atque causa (ut sentiunt philosophi) præf-
tantior est eo, quod ab ipsa proficiscitur.
Est igitur omnimodo dillucidum, virtu-
tis generositatem, ea, quæ stirpis est, prio-
rem esse, & dignorem. Nam (teste Sallu-
stio), unaquæque res, ijs artibus conserua-
tur, quibus primum parta est. Itaq; si nobi-
litatis nomen primum inuexit, & induxit
splendida parentū virtus & probitas, si illā
consectantur posteri, maioresq; imitantur
autos, verè nobiles sunt, & tanto nomine
digni. Si verò à præclara parentū bonitate
discresserint, revera ignobiles sunt. Quoniā

id ipsum à quo nobilitas primū depēdet ne-
quaquā obtineāt, neq; alijs corā exhibeāt.

Cæterum neq; illud prætermittendum
est, ex quo dilucidè perspicietur nobilitatis
animi supra eam, quæ stirpis est, & sanguini-
nis, eminentia. Scilicet virtutis nobilita-
tem id propriū habere, & peculiare, quod
minimè materiam præstat vitio, & turpi-
tudini, ut quæ illi prorsus aduersetur, & op-
positis militet castris. Nobilitas verò san-
guinis interdum tumidos animo, & insol-
lentes eos reddit, qui ex illustribus proge-
niti sunt parentibus: si virtutē non habent
elationis domitricem, & conculcaticem.
Solent enim plerunq; alios obscuro edi-
tos, & humili tecto tāquam contēptibiles
parui pendere, & dignari. Quemadmo-
dum his versibus exprimit iuuinalis:

*Plance tumes alto Drusorum sanguine,
tanquam
Feceris ipse aliquid propter quod nobilis es
Vos humiles (inquis) vulgi pars ultima
nostrī,
Quorum nemo queat patriam monstrā-
re parentis.*

Ast ego Cecropides, verum id tibi dici-
tur, at tu

Nil nisi Cecropides, truncōq; simillimus
Herma:

Nullo quipe alio vincis discrimine, quā
quod

Illi marmoreum caput est, tua vivit
imago.

Arist. in 4.
Ethi, cap. 3. qd Cui itidem sententiae astipulatur Aris-
toteles in quarto Ethicorum capit. 3. di-
cens, Qui sine virtute nobilitatē, diuitias,
magistratum habent, contemptores, pe-
tulantesq; fiunt. Non est enim facile sine
virtute res ferre secundas. Atq; cūm aqua-
liter ferre nō possint, putentq; se cateris an-
tecellere, illos quidem despiciunt. Accedit

Sene. in lib. de 4. virtut. eisdem Seneca in libro de quatuor virtuti-
bus dicens. Magnanimitas si se supra mo-
dum extollit, facit virum minacem, infla-
tum, inquietū, turbidum, in quascūq;
excellētias dictorum, factorumq;, neglecta
honestate, festinū. Nobilitas autem generis
ad magnanimitatem, vt particula quædā,
attinet, viamq; ad eam sternit. Proinde si
per se ipsam attendatur, nullo comitata,

atq;

atque instructa animi ornamento, non reddit (ut paulò ante etiam dictum est) virum laude dignum: neque præclaris illustrat titulis, quòd decorum suum, & fulgorem accipit, (ut modo discussum est) à virtute, quæ præcipua quidem veræ nobilitatis causa est. Quod itidem annotauit carmine hoc Iuuinalis.

Iuuen. sat. 8

*Stemmata quid faciunt? quid prodest
Pontice longo*

*Sanguine censeri? pictosque ostendere
vultus*

Maiorum? stantes in curribus Aemilianos?

Quis fructus generis, tabula iactare capaci

Famosos equitū cū Dictatore magistros?

Sic oram Lepidis male viuitur? effigiesque

Tot bellatorum? si luditur alea pernox?

Prima mibi debes animi bona, sanctus haberis,

Iustitiaque tenax factis, dictisque mereris.

Ibidem.

Et rursum.

*Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & praelato nomine
tantum
Insignis?*

Senec epis.
44.

Cui consonat Seneca epistola, 44. dic-
cens. Non facit nobilem atrium plenum
imaginibus, nemo in nostram gloriam vi-
xit: neque quod ante nos fuit, nostrum est:
animus facit nobilem, quis enim generosus?
ad virtutem bene à natura compositus.

Diog Laer.
in vita An-
tisthenis.

Fab Quint.

lib. 5. c. II.

Vnde Antisthenes apud Laertium, eos-
dem esse aiebat, nobiles, & virtutis studio-
sos. Et Fabius Quintilianus lib. 5. cap. II.

*Quis (inquit) generosissimus? nonne qui
optimus? non qui claritate nascendi, sed
qui virtute maximè excellit. Cui senten-
tiae optimè consonat Ouidius in carmine
ad Pisonem, dicens.*

Ouid. ad Pi-
sonem.

*Vnde prius scripti surgat mihi carminis
ordo,*

*Quos ve canam titulos, dubius feror,
hinc tua Piso*

*Nobilitas, veterisque citant sublimia
Calpi*

Nomina Romanas inter fulgentia gentes:

Hinc tua me virtus rapit, & miranda per omnes.

Vita modos, quasi decesset tibi fortè creatò.

Nobilitas, èadem pro nobilitate fuisse.

Nam quid imaginibus, quid auritis fulata triumphis

Atria? quid pleni numero so consule fasti?

Proficiunt? si vita labat, perit omnis in illo.

Gestis honoros? cuius laus est in origine sola.

Quod etiam eleganter scripsit Coldrus poëta in hunc modum.

Sint tibi Gallorum Rex, & Regina parentes,

Et maneat virtus pectore nulla tuo,

Non pluris faciam te, quam tibi rustica mater

sib. Si sit, & ignarus rusticus ipse pater.

Vnde Euripides apud Stobæum sermo ne, 84. sic ait.

De nobilitate parum laudis predicare possum.

*Coldrus
poëta.*

*Eurip. apud
Stob. ser. 84.*

Liber secundus.

Bonus enim vir, mihi nobilis videtur.
Qui vero non iustus est, licet a patre meo
liore,

Quam Iupiter sit, genus deducat, ignobi-
lis mihi censetur.

Senec. Tra-
gediogra.
in Hercul.
furent.

Facit & etiam illud Senecæ Tragædio-
graphi in Hercule furente.

Nobiles non sunt mihi

Aui, nec altis inclytum titulis genus,
Sed clara virtus: qui genus iactat suum
Aliena laudat,

Iuuenal.

Et Iuuenal is fatyra octaua.

Tota licet veteres exornent undique
ceras.

Atria, nobilitas sola est, atque unica
virtus.

Ouid.

Cui consonat illud Oidianum.
Non census, nec clarum nomen auorum
Sed probitas magnos, ingeniumque fa-
cit.

Claudian.

Id satis innuisse videtur etiam Claudio-
nus in Panegyrico, 4. Honorij, dum scri-
bit, nobilitatem apud Barbaros, virtutem
apud Romanos in pretio fuisse. Hæc enim
facit Theodosiū dicentē eidem Honorio.

Si

Si tibi Partherum solium fortuna de-
disset

Chare puer, terrisq; procul veneran-
dus eois

Barbarus Arsacio consurgeret orbe
thiaras.

Sufficeret sublime genus, luxuq; fluentē
Deside, nobilitas posset te sola tueri.

Altera Romana longè rectoribus aula
Conditio, virtute decet, non sanguine
niti.

Idem Epicharmus siue is sit Menander
apud Stobæum asserit, dicens:

Perdet me genus, ne nomines, si me a-
mas

Mater, ad singula genustuum, quibus
enim natura

Nullum adfuerit bonum proprium,

Illi configiunt ad monumenta:

Et genus suum, ac auos enumerant,
quot habuerint,

Ac ne unum quidem videris, aut nomi-
naueris, cui

Non sint avi, aliter enim quomodo nati
essent?

Epicharm.
apud Stob.
serm. 84.

Liber secundus,

Quod si tamen indicare id nequeunt,
propter aliquam

Loci mutationem, aut amicorum pecu-
niam,

Quid? propter hoc ignobiliores habendi
sunt illis qui auos

Suos enumerant?

Quisquis suapte natura proclivis ad bo-
na fuerit

Nobilis est, quamvis matre genitus
Aethiope.

Vnde non contemnendi, nec a pernā-
di sunt versus illi vulgares, quos plurimi
tradunt, atq; laudant.

Nobilitas hominis, viri utrum clara pro-
pago,

Nobilitas hominis, humilem relevare
iacentem,

Nobilitas hominis, sola turpia nulla pu-
tare,

Nobilitas hominis, natura iura tenere,

Nobilitas sola est, animum quam moribus
ornat,

Nobilitas morum plus prodest, quam
genitorum,

Nobi-

Nobilitas etenim sola est, qua moribus
ornat.

Sed nec intempestuum erit subiectere
etiam quæ in hanc intentiam elegantissi-
mè scripsit Claudius Galenus in exhorta-
tione ad bonas artes, *Sane* (inquit) *æquum*
videtur, qui nulla re suspiciendi sunt, nisi
ob diuitias, simul atq[ue] bis spoliati fuerint,
pariter, *&* illis spoliari, quæ ob diuitias ha-
bebant. *Quid enim isti facerent*, qui nullū
proprium possident bonum? sed perpetuò
pendent ab alienis, *&* ab his quæ sunt fortu-
na: tales videlicet sunt, *&* hi qui generis no-
bilitatem vendicant: atq[ue] hinc sibi placen-
tes tollunt cristas. Nam *& isti quoniam pro*
prijs bonis carent, ad maiorum imagines
confugiunt, nō saltim hoc intelligētes, quod
ista generis nobilitas, quæ gloriantur, simi-
lis est publico singularum ciuitatum nu-
mismati, quod apud eos quidem valeat,
qui instituerunt, apud alios verò adulteri-
num habetur. *Praclarus igitur*, (ut inquit
Plato) thesaurus est, huic opponere Sthe-
nei illud dictum.

At qui nos patribus longè præstamus,
auisq[ue].

Ex

Liber secundus,

Ex quo patet quòd si constituantur, proponanturq; duo viri, vnuis genere quidem nobilis, sed facinorosus, & sceleratissimus, alter verò humili familia natus & ignobilis, sed virtute, & animi magnitudine mirificè præstans, quis hunc secundum primo non prætulerit? Quemàdmodum de Catilina scelèstissimo, & Cicerone clarissimo viro, hoc carmine notat Satyricus.

Quis Catilina tuis natalibus, atq; Cethegi

*Inueniet quicquam sublimius? arma
tamen vos*

*Nocturna, & flamas domibus, tem-
plisq; parastis:*

*Sed vigilat consul, vexillaq; vestra coer-
cet.*

*Hic nouus Arpinas ignobilis, & modo
Rome*

*Municipalis eques galeatum ponit u-
bique*

*Præsidium attonitis, & in omni gente
laborat.*

*Tantum igitur muros intra toga contu-
lit illi*

Nominis, & tituli, quantum non Leucade, quantum

*Thessalia campis Octavius abstulit vdo
Cædibus assiduis gladio, sed Roma parentem,*

Roma patrē patriæ Ciceronē libera dixit.

Simile etiam esse iudicium de Nerone impurissimo, ac sceleratissimo, & Seneca viro grauissimo, & eruditissimo, quod hic illi longè præferendus est, & si genere sit ignobilis, sentit idem poëta Iuuenalis:

Libera si dentur populo suffragia, quis tam

*Perditus, ut dubitet Senecam preferre
Neroni?*

*Cuius supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus
unus.*

*Quæ omnia grauiter, & elegantissimè
beatus Gregorius Nazianzenus demon-
stravit multis in locis, & præsertim in car-
mene in nobilem male moratum, dicens,
Nobilis, at grauibus vitijs adopertus,
honesto*

Nō tamē illufri, commemorabat auos.

Risit

Iuu, ibidem

S. Greg. Na-
zian. in car.
in nobilem
male mora-
tum.

Risit ad hac alter, sc̄eque hoc retulit, ut mihi

Dedecori genus est, sic quoque tu generi.
Hoc memori condas animo, repetasque
subinde,

Vt virtute tibi nihil prius esse queat.

Quòd si te salibus quisquam, probrisque
laccessat

Quòd tibi, cū facie, sit quoq; fadus odor.

An dices? forma genitor præstabat,
odorq;

Quem dabat è toto corpore, gratuserat.

An multas dices, timidus, si forte voceris,
Imbellisq;, at auus vicit Olympiadas?

Sic quoq; si quis te nequam stolidumque
vocarit, (auos.)

Nemihī, quos rapuit mors fera, profer
Pulchra rudes modulos dedit unibar-
bytus, uni

Vilis at egregios edidit icta sonos.

Dic mihi quis fidicē melior cēsendus eorū,

An non qui doctam barbyton arte ferit?

Ergo animos tollis, quòd, (sis licet impro-
bus ipse)

Diceris auratis patribus esse satus?

An

Ante tibi nobilitas sunt prisca caduera,
ficti

Sermones, & quos garrula fundit anus?

Ludis, ego at tantum id specto (par om-
nibus ortus)

Argilla est etenirri) sis bonus an ne malus?

Omnibus est eadem pellis, nos patria,
opesque,

Nostamē & tumidos reddit inane decus.

Vna quid ergo refers, patriā, genus, haud
michi ficta

Haud mihi busta placet, temet ego inspicio.

Omnibus est idē puluis, fictorq; tyrannis,

Non natura homines scidit in ista duo.

Qui malus, hic seruus: quisquis bonus,
hic mihi liber,

Quid facit ad clarū, mēs nimis alta, genus?

Quod probrum est mulis asina fluxisse
parente?

Quod, mulos asini est genuisse decus.

Quin parit, at fatus nido Iouis ejicit ales,

Ergo te misso quid mihi promis auos?

Esse probus malum, quāvis ignobilis or-
tu,

Quāclaros, vitijs plenos habere patres.

Ex

Liber secundus,

*Ex spinis etiam rosa nascitur: ignibus
at tu*

Dignus es è molis spina creatus humo:

*Cur caput, instar equi molitor sustollis à
selle,*

Obq; atanos, cū sis improbus ipse, tumes:

In eadē sententia, atq; argumento per-
sistens idem Diuus Gregorius in tetrastica
carmina num. 36. admonet, vt ne quis pu-
dore afficiatur, cùm seruus, aut ignobilis
appelletur, si honorē adeptus, nominisq;
celebritatem per virtutem consecutus sit,
& sic generis sui nobilitatē auspicetur, pos-
terisq; suis gloriādi ansam præbeat. Quod
quidem longē præstabilius, atq; utilius est,
quam acceptam à maioribus nobilitatem
extinguere, ijsq; per singularem quandam
improbitatē, infamiā, ac tenebras effun-
dere. Quemādmodū, & multò quoq; me-
lius, ac præstantius est homini, vt probus
ipse sit, ac per omne pietatis, ac virtutis ge-
nus, nominis splendorem sibi conciliet,
quām cùm probis, ac virtute præstantibus
viris ortus sit, ipse tamen non eorum simi-
lem se præstet. Versus Gregorij est.

Greg. Naz.
in Tetrast.
carmina nu-
mer. 36.

Malum

Malum vocari turpe non ignobilem.

Sunt nāmque pridem putrida carnes genus.

Genus ausplicari præstat, id quā soluere:

Vt esse pulchrum, quam satum pulchro patre.

Ex supra dictis satīs abūnde constat responso ad tertium argumentum in principio huius capituli adductū ex locis quām plurimis sacræ scripturæ, quibus nobilitas àmodum commendatur, laudemq; & gloriam conferre posse videtur. Cui respondeo. Quòd in illis omnibus locis, solum denotatur generis nobilitatem semper apud homines præstantiam quandam dignitatis habuisse, & supra cæteros præminentiam, eò quòd virtuti (vt debet) cōiuncta semper esse existimatur: & ob præstabilem virtutis excellentiam singulari splendore præfulgere.

Et licet hæc omnia ita vera sint (vt superius à nobis demonstratum est) non defuere philosophi, qui homines ex clara stirpe natos, solos esse nobiles volunt. Phalaris enim autor Græcus scribit, non esse

indignum ut in nobilitate gloriemur. Verum se praeter virtutem nullam nobilitatem agnoscere Democrats aiebat: pecuniam nobilitatem in bona corporis habitudine sitam esse: hominum in virtutibus integrisque moribus. Diogenes, cum ex eo quæsitum esset, qui esset omnium hominum nobilissimus? *Contemptores* (inquit) opum, & gloria, & voluptatis. Et Socrates

Diog. Laer.
in eius vita

Socra. apud

Stob. fer. 84.

apud Stobæum interrogatus quid esset nobilitas? respondit. *Temperies animæ & corporis.* Ac ut alios complures omittam, adhuc tamen grauissimorum autorum testimonio amplius est corroborandum. Ita enim scribit Diuus Hieronimus in epistola ad Celantiam. *Nulli te unquam de generis nobilitate proponas, neque obscuriores quæsque humiliore loco natas, te inferiores putas.* Nescit religio nostra personas accipere, nec conditio- nes hominum, sed animos inspicit singulo- rum. *Seruum & humilem de moribus pronuntiat.* Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis. *Summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus.* Quid apud

Hieron. in
epist. ad Ce-
lantiam.

apud Deum in viris nobilioris Petro, qui
piscator & pauper fuit? Quid in feminis
beatissima & immaculatissima Maria
illustrius, quas sponsa fabri describitur? sed
illi piscatori, & pauperi caelstis regni à
Christo traduntur claves. Hac sponsa fa-
bri meruit eßem mater illius, à quo ipsa clav-
es date sunt. Elegit enim Deus ignobilia,
& contemptibilia huius mundi: ut poten-
tes, ac nobiles ad humilitatem faciliter ad-
duceret. Nam & alias frustra sibi aliquis
de nobilitate generis applaudit. cum uni-
uersi pari honoris & eiusdem apud Deum
preceps sint: qui uno Christi sanguine sunt
redempti. Nec interest qua quis conditio-
ne natus sit, cum omnes in Christo a quali-
ter renascamur. Nam & si obliuiscimur
quia ex uno omnes generati sumus, saltē id
semper meminisse debemus, quia per unum
omnes regeneramur. Hæc ille. Cui accedit
Chrisostomus homilia, 30. in caput quar-
tum Ioannis dicens. Nihil maiorum vir-
tus confert, si nepotes degenerant. Et tur-
sus. Quid prodest ei, quem solidant mores,

Liber secundus.

generatio clara? aut quid nocet illi gene-
ratio viliis quem mores adornant? ipse e-
nim se vacuum ostendit ab omnibus qui
gloriatur in patribus. Et Bernardus ad Eu-
genium scribens. Genus (ait) Apostola-
rum est non aliunde nobile, quam morum
ingenuitate, & fidei fortitudine. Sanctus
Cæsarius Arelatensis Epicopus homilia
tertia de paschate sic inquit. Sine causa
est à foris vel genere, vel honore cōspicuus,
qui non est intus ingenuus. Idem asserit

Sanctus Gaudentius Brixensis Episcopus
in tractatu de Machabœis in 2. thomo Blis-
uio thecę veterum patrū dicēs. Quod vera
nobilitas non subsistit ex diuitijs, sed cognos-
citur ex moribus. Et egregiè Gregor. Na-
zianzen. oratione, 33 in laudem Heronis
philosophi Alexandrini. Hic ex optimis (in-
quit) optimus, & ex nobilibus nobilissimus.
Nobilitatem autem dico, non quam pleriq[ue]
existimant absit. Non enim nos trū est, nec
philosophicū, eam admirari, qua à fabulis,
& sepulchris, ac supercilie iam pride putred-
facto manat, nec eam qua ex sanguibus
& literis oritur, quā noctes largiuntur, ac
regum,

Bern. ad Eu-
genium. 2.

S. Cæsar. A.
relat. hom.
3. de pasch.
in Bluiot.
veterum pa-
trum, 2. tha.

S. Gaud. Bri-
xensis tract.
de Machab.
tho 2. Blui.
patr.

Greg Nazi.
orat. 3.

regum, ignobilium quoque fortasse, manus, nobilitatem, velut quiddam aliud, iubemus sed quam pietas, & mores notant, atq; indicant, & ad primum illud bonum, ex quo originem traximus, ascensio. Et tursum in oratione, 38. sic ait. Est enim triplic genus nobilitatis. Vnum quod superne originem traxit, quod quidem si consideremus, omnes peraque nobiles sumus, quippe ad imaginem Dei creati: alterum est quod a sanguine proficiuntur, cuius ratione haud quidem scio, an quisquam nobilis dici possit, cum corruptione constet: tertium a virtute, aut vicio agnoscitur cuius vel uberiorius, vel exiliis participes efficiuntur, prout, opinor, diuinam imaginem vel integrum seruauerimus, vel corris perimus. Atq; hanc demum nobilitatem amplectetur, quisquis vere sapiens, ac philosophus fuerit. Nam quartu aliud genus nobilitatis, quod in principiis diplomaticis, & edictis consistit, tumulo loco, aut pretio habebbo, cum picta quoq; pulchritudinem laudandam duxero, simiamq; ob id venerari spero, quod leo esse iussa sit.

Basil. Imper.
rator tract.
exhort. ad
Leonem fi-
lium, exor.
18.

Quod optimè, & præclarè scriptū re-
liquit Basilius Romanorum Imperator in
tractatu exhortationum ad Leonem filium, suum cap. 58. in 5. thom. Bibliothecæ vete-
rum patrum in hunc modum.

Honora ergo, & lauda non eos, qui corpo-
res sunt nobiles, sed potius eos, qui sunt ani-
mo varijs virtutibus exornato: neq; enim
debet homo sola corporis nobilitate, sicut ce-
tera animantia, contentus esse, nam equi
nobilitas est, ut ferox sit, atq; interritus: ca-
nis, ut latrator acer in persequendis feris:
& de ceteris animantibus similiter: homi-
nis vero nobilitas est ut animū habeat om-
ni genere virtutum exornatum. Corporis
ornatus est ut forma, & robore, & valetu-
dine polleat: animi vero generositas in dicē-
di facultate, morum probitate, & omnium
virtutum perfectione spectatur. Idem con-
firmat beatus Berengofus Abbas in tracta-
tu de mysterio ligni Dominicī dicens. Nō
enim est distinctio virum sis Iudeus, an
Grecus, Barbarus, an Scytæ: cùm per gra-
tiam Salvatoris omnes aeterna capiant ona-
si: tamen hic corpori eius conciliatur per
fidem,

S. Berengo.
Abb. tract.
de misterio
ligni Domini-
nici. in 2.
thom. Bla-
vior. patrū.

fidem, qui cum Patre & Spiritu semper est
 unus, & idem. Vnde si nos misericordiam
 Conducoris consideremus intente, nihil con-
 fert si quis nobilis sit in carne, nisi nobilior
 probetur in mente: quoniam in eterna pa-
 tria gradus eos non discernit nativitatis,
 quos hic aequales facit unitas charitatis.
 Sic enim commune est omnibus regnum Dei,
 ut Rex militi, & miles assideat Regi: ubi
 in Deo Patre & coaterno eius Filio, seruus
 domino, & Regi conregnabit opilio: ibi
 quippe discipulus & magister, ibi seruus
 & liber, ibi Iacob & Rachel, Agar & Is-
 mael, omnes versantur pariter, quia dig-
 num est, ut ibi sit filius ancilla cum filio libe-
 ra, ubi omnibus in Christo unum esse, &
 unum est vivere. Neq; ab his dissentit Horatius dicens.

3007 1848
 5817 1013
 18 2100
 15 1500
 15 1500
 15 1500
 15 1500

15 2000
 15 2000
 15 2000
 15 2000

Horat. 1^ob. 2
 serm. lat. 6.

Cum referre negas qualis sit quisque pa-
 rente

Natus, dum ingenuus: persuades hoc ti-
 bi verè.

Et sicut sivim ipsam nominis inspici-
 mus, nobiles dicti sunt, qui digni sunt ut
 poscantur. Vnde & nobilitare dicitur, ut
 apud

apud Ciceronem: Poëta post mortem nobilitari volunt. Et quāmuis in vitio etiam hoc nomen sit, tamen proprie ad laudem pertinet: non enim vitium, sed virtus sola digna est, quæ in lucem & in notitiam hominum prodeat. Atq; hoc modo rectissime dicitur, solos bonos viros nobiles esse.

Senec lib.
3. de benef.
cap. 28.

Quemadmodum Seneca lib. 3. de beneficijs cap. 28. inquit. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familia sua longo ordine, ac multum stemmatum illigata flexuris in parte prima eodium collocant, notim agis, quam nobiles sunt:* Sed si nobilitatem ita accipiamus, ut ab Aristotele definita est, & vt est in vsu, & consuetudine communij non dubium est, eum demum esse nobilē, qui in clara, & honesta familia natus est: etiam si per se ipse sit malus, & obscurus. Verū cùm sapientes viri nobilitate virtute definiunt, nec nobilem aliquem esse aiunt nisi honestis moribus præditum omnino significant contemnendam esse nobilitatem destitutam ornamentis virtutis, omnem honoris & gloriæ causam, om-

nem

nem splendorem, omnia præsidia dignitatis, quæ in venustate, & claritate familiæ posita putantur, ea verè honestatis esse, & tantum in viris virtute præstantibus inueniri, illis eos honores deferendos esse, qui nobilissimo cuiq; tribuuntur.

Ex dictis colligo, eos qui proauorum imaginibus elati, atq; inflati præse omnes despiciunt, qui humiliori genere sunt: nō solum in maximo errore, & miserabili quadam cæcitate versari: sed etiam ab humilitate Christiana, & à Christii ipsius institutionis quā longissimè recedere: nisi verò alterius esse illa verba creduntur, quæ Matthæi decimo octavo scripta sunt. *Qui cùnque humiliauerit se, sicut parvulus iste, hic maior est in regno cœlorum.* Aut illa capite vigessimo. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent inter eos: non itaq; erit inter vos: sed qui voluerit inter vos maior fieri, sit uester minister, & qui voluerit inter vos maior fieri, sit uester seruus.* Paulus etiam quam grauter docet ad Galatas tertio in Ecclesia Christi

MS. 30832
Invent. ob. 6
81.962

Math. 18.

Math. 20.

Ad Galat. 3.

Nullam esse hanc disparitatem, & inæquitatem generis, quam filij huius sæculi, qui non iapiunt, quæ Dei sunt, sed quæ hominum, maximo in pretio habent. Non est (ait) *Iudeus*, neq; *Gratus*, non est seruus, neq; liber, non est masculus, neq; famina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. Si autem omnes vnum sumus in Christo, & vnum corpus, & vnum spiritus, singuli autem alter alterius membra, cur nos superbia & inflatio diuidat? Si omnes sumus heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, & eo fratre vehementer gloriamur, unoq; ore clamamus Pater noster qui es in cœlis, quid terrena nobilitate, aut potius vanitate superbimus, & illis humilitatem generis obijcimus, quos eodem nobiscum patre genitos esse confitemur?

Hanc perniciosa[m], & inueterata[m] inflationem facilius homines deponēt, atq; abijcent, si id quod veritatum est considerauerint, in ijs qui nobilissimi habētur, nobiles esse quam pauciſſimos nam si nobilitas est claritas maiorū, necesse est prius nobilitatis auctores claros, & illustres exti-

extitisse. Clarus verò, aut illustris nullus est, nisi quem virtutes cum religione coniunctæ eximium faciunt, & ab obscuritate vendicant. Neq; enim famosos & celebres pyratas, aut latrones, aut etiam diuites, & tyrannos claros dicimus, sed religiosos & probos. Dicimus etiam clarum artificem, clarum oratorem, clarum philosophum, sed clarum sine adiectione neminem dicimus, nisi in virtute præstantem. At in horum moribus, qui antiquissimam stirpem superbissimè ostentant, & nihil aliud quam duces, & Reges sonant, quo quisq; fuit vera virtute prædictus? & qui non temerariæ multitudinis opinione, sed re ipsa clarus extiterit? consulamus testes, & nuntias antiquitatis historias, inueniemus profectò alios diuitijs turpiter hinc inde collectis celebritatem consecutos esse, alios assentationibus, & sceleratum principū amictijs, multos bellis iniuste suscepitis, nec vera fortitudine, sed temeritate quadam militari. Complures turbato reipublicæ statu creuerunt, factionibus per summum nefas patriam, & Reges suos

suos opprimentes, & magistrum donem ab
 illis extorquentes, verius quam simpeti an-
 tes. Suprema nobilitas putat regem
 aliquem cognatione attingere, at quo
 standem ex istis aut tyrannei ipsi fuerunt, pa-
 triamq; miranda immanitatem perdidet ut,
 aut ad tyrannos referunt genus? Ac vtrū
 secleque, sed iure regnauerint, quam multi
 se vitijs & nefarijs libidinibus dederunt?
 Meteorum genere, atq; semine natos esse,
 potius de decori, quā honori esse debeat?

Longe profectò nobiliores isti sunt,
 qui sunt ex sanctorum hominum stirpe
 generati, licet priuatorum & inopum, &
 abiectorum. Utinam inquit Tyrius Pla-
 tonicus sermone.84. vel Aristidis, vel So-
 cratis soboles Athenis permanisset: cur
 enim non aquari debuerint cum Heracli-
 darum splendore? cum Persica nobilitate?
 cum omnibus præterea, qui benefici in pa-
 triam fuerunt? Quāuis autem qui nobi-
 lium familiarum initium fuerunt, præcla-
 ri omnes & honesti fuissent, tamen (quia
 contrariorum est eadem vis, & ratio, ac ve-
 ritas homines claros efficit, ita vitiositas
 reddit

Strauss 59
 Am 2.1.2003
 2010-02-01
 mei genni

Tyrius Pla-
 tonicus sermone.84.
 tonic.fer.84

reddit obscuros) si in illis quidam aparenter
cum præstantia, & excellentia recesserunt,
ex necessitate dicendum est, quosdam etiam
obscuros extitisse. Atque hoc si verum est,
quis ambigat, amissam esse nobilitatem?
Nobiles enim sunt qui gignuntur a claris,
at qui consequuntur, iam ab obscuris ge-
niti sunt. Nam sive nobilem facit patris,
aut, pro auque claritas, cur tua, aut fi-
lii, & nepotis obscuritas, & turpitudo non
efficiet ignobilem pronepotem tuum? Ac
id quidem in omnibus familijs vsu venire,
agrotu similitudine firmavit Aristoteles.
Subducant ergo rationem isti qui intole-
rantissime gloriantur, & in amplissimas
quasq; domos inquirunt inuenient in illis
per multos omni flagitio, atq; omni turpi-
dine maculatos, quorū se filios dici pæni-
teat, ac pudeat. Quod si inde ad humiliores
obscuroresq; familias venerint, multi se
se eis offerent, quorum egregia virtus, &
Deo maximē placuerit, & patriam tempo-
ribus suis, ciuesq; in primis iuuerit.

Quæ omnia sanè dicta intelligentur,
non quidem, ut generis nobilitas pro-

Et Feuardé
eius in Ruth
in c. 2. circa
principium

sus à nobilitatis ratione à nobis dehonetur aliena, & extranea: sed ut primaria, & principalis nobilitatis ratio designetur in virtute, & morum integritate constituta. Unde si qua est omnino nobilitatis utilitas, & si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror, quod hinc accenditur studiū amicandi, proposito exemplo domesticō, & ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent. Proinde si procul degeneramus à progenitorum virtute, meritò discrucientur illi, si quis modò sensus insit defunctis: nobis autem plus est dedecoris, quanto genus est illustrius.

C A P V T . III .

De honoribus.



V ID inter honorem, & gloriam interesset lib. i. cap. 4. iuxta ac Aristoteles, Xenophonq; sentiebant, explicauimus. Nempe gloriam esse apertum iudicium honorum de alicuius virtut-

virtute honorem vero cultum illum, atq;
illam reuerentiam, qua honestos & pro-
bos subsequimur viros: quæ, non absurdè
quæritur, an gloriam cōciliet? sæpe enim
diximus, honorem præmium esse virtutis,
cumq; aliquādo causam esse gloriæ: itēq;
gloriam ipsam honoris. In hac quæstione
ex harum rerum duarum affinitate non
nihil difficultatis existit. Sed ita responderi
paucis potest.

Honores aut iure tribuuntur, aut iniu-
ria, si quidem iniuria, nihil ad gloriam per-
tinet, dantur enim tunc ambitiosis & præ-
fatoribus, in quibus nihil est gloria, memo-
ria ve dignum. Recteq; inquit sapiens pro-
verbiorum, 26. cap. *Quomodo nix in asta-
& pluvia in messe, sic indecens est stulto
gloria.* Si iure dantur, sunt merces quædā,
iudiciumq; virtutis. At iudicium virtutis
est illud quidem sæpè adminiculo ad glo-
riam, sed eius verè efficiens non est. Näm
in ijs quæ non casu fiunt, (cujusmodi est
gloria) ita comparatum videmus, ut si qua
est vera causa efficiens, res effecta sine ea
nulla sit, neq; enim homo sine homine,
neq;

Prover. 26.

neq; in ligno ignis sine igne generatur.
 Domus non fit nisi ab Architecto. Sanitas
 (quia ex eorum genere est quæ fortè for-
 tuna fieri possūt) sine medico gignitur. Vt
 Arist. lib. 7. de prima philoso-
 phia, cap. 9. docet Aristoteles lib. 7. de prima philosophia,
 Atqui gloriam sæpe sine ullis
 honoribus videmus, vt cùm quis in solitu-
 dine viuit, abhorretq; ab hominum com-
 mercio, à quibus honorari poterat, volat
 ubiq; per ora omnium , estq; in magna
 gloria apud omnes. Non est igitur honos
 vera causa gloriæ. Est etiā gloria iudicium
 quoddam non præceps , & temerarium,
 coniecturisq; vtens: sed maturum , graue,
 certum , exploratum. Cùm vero quem-
 piam honore affici cernimus , coniçere
 quidem possumus, eum honestum esse , &
 dignum honore , præsertim cum à bonis
 viris defertur. Sed certò id scire quomodo
 possumus ? cum sint fallaces hominum
 coniecturæ , & aliquando errore , aut ni-
 mis celeriter concepta opinione ducan-
 tur? nec sint semper boni ratiocinatores
 officiorū? Si ergo quem summis honori-
 bus ornatum videmus,eundem continuo
 bonum

Arist. lib. 7.
 de prima philosophia,
 cap. 9.

bonum & integrum virū iudicamus, itaq;
apud omnes loquimur, perficiemus s̄a-
pientiā numerō, ut in gloria sit, qui ea est indignif-
simus: quo quid fingi potest alienius à sa-
pientis, & benē iudicantis auctoritate, atq;
constantia? Ea re quāmuis mutuo sibi ad-
iumento esse soleant, tamen potius glo-
ria efficit honorem, quām honoris glo-
riam. Nam cūm aliquis in gloria atque
celebritate viuit, ea multitudinem in ad-
mirationem rapit, & ad eum hominem
in honore habendum excitat, & quoniam
gloria, (hoc est) bonorum hominum &
rectē de virtute iudicantium auctoritate,
sententiāque ducitur, nulla est in eo facto
atq; in eo populi iudicio nota temeritas,

C A P V T. V.

De artibus, & disciplinis.



V E Q V I D E M Hāctenus
enumerauimus vix nostra
sunt. Nām formē dignita-
tem, & velocitatem, & vi-
res à natura accipimus, diuitias & nobi-

litatem à parentibus , à populo hono-
res. Reliquum est ut ad ea veniamus, quæ
nostra dici possint, & quæ Marte(ut aiunt)
nostro paramus. Ac ab artibus & discipli-
nis nobis ordiendum videtur. Quæ nec à
natura in nobis insitæ sunt(vt & in Meno-
no existimauit Plato, & Augustinus aliquā
do persuassum habuit, vt ipse ostendit lib.
1. retractionum cap. 4. & 8.) & multo
postea labore quæruntur. Quò sit ut mag-
nam vim ad gloriam habere videantur,
quia ea maximè laude digna sunt, quæ nos
metipsi facimus, & gloria est frequens de
aliquo fama cum laude. Sunt etiam in
mente parte animæ multò prestantisima,
cuius aetius proprius hominis est. Nec po-
test quidquam maiorem laudem homini
afferre, quam cum in eo se exercet, quod
est natura sua quam dignissimum. Ex lau-
de autem, quæ in multos permanauit ef-
ficitur gloria hoc est, clara cum laude no-
titia. Accedit quòd præfertim nos glorio-
sus efficit quo potissimum ad diuinam
naturam (quæ verè gloria est) appro-
pinquamus. Hoc autem est mentis & in-
telli-

telligentiae opus. Quod Aristoteles decimo Ethicorum cap. 7. diuinum quippiam & penè hominum præstatius, iudicat. Ad diditq; in capite consequenti, virtutes morales in Deū propriè nō cadere, eius actionem propriā esse contemplationē, quae tota mētis est. Cū ergo in artibus, & disciplinis intelligentiæ opus præcipue cernatur, cur inficiabimur eas esse auctores atq; effectrices gloriæ? Hoc ipsum infinita fere exēpla testantur. Videmus enim innumeros qui obscuri erant, & ignobiles, immortalem gloriam adeptos esse artibus. Quis neget Homeri poëtarum omnium principis, & quasi parentis gloriam extitisse maximā, quem septem florentissimę vrbes summa contentione sibi vnaquaq; asserebat? De Pythagora, Socrate, Platone, Aristotele, Demosthene, Cicerone, hisq; consimili bus nulla vñquam sēcula conticescent. De Salomone Rege sic diuina scriptura loquitur, ut ei ingentem gloriam propter admirabilem sapientiam attributam esse fateatur. Ita enim ait tertio libro regum capit. 4. Et erat sapientior cunctis homini-

Aristot. 10.
Ethico. c. 7.

10. Eth. c. 8.

Cōtraria.

Cōtraria.

Reg. 4.

Cōtraria.

bus, sapientior Ethan Ezrahite, & Hemā,
& Chalcol, & Dorda filijs Mahol, & erat
3. Reg. 10. nominatus in uniuersis gentibus per circui-
tu. Et cap. 10. Sed & Regina Sabba audi-
ta fama Salomonis in nomine Domini ve-
venit tentare eum in agnimatibus. Et de
Matth. 12. cadem Matthæi duodecimo scriptum est:
*Venisse à finibus terra ut audiret sapien-
tiam Salomonis. Tanta erat ubiq; illius fa-
ma, & gloria.*

^{1. Jerem. 9.} Sad quāmuis omnem scientiam rē esse
bonam, atq; honorabilē arbitramur, vt in
exordio librorum de anima scribit Aristoteles: tamen nego ex ea propriè nasci glo-
riam. Atq; hoc quidem in sacris literis non
est abstrusum, nēque absconditum. Iere-
miæ enim cap. 9. scriptum est. *Hac dicit
Dominus. Non glorietur sapiens in sapien-
tia sua,* Et prima Corinthiorum capite pri-
mo. Scriptum est enim, *perdam sapientiā
sapientium, & prudentiam prudentium re-
probabo. Vbi sapiens, ubi scriba, ubi inqui-
sitor huius faculi, non ne stultam fecit Deus
sapientiā huius mundi?* Et cap. 13. Nemo se
seducat. Si quis uidetur inter vos sapientes esse

^{1. Corin. 3.}

^{1. Corint. 3.}

in hoc saeculo stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum, scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum. Dominus nouit cogitationes eorum quoniam vanæ sunt. Quare ubique philosophos, quos sapientes & principes huius saeculi vocat, ac scientiam ipsam etiam cum irsione nominat, ut i. Corinthior. cap. 8. Scientia (inquit) inflat. Sed rationibus ut solemus ut tamur.

Psal. 93.

Ex dictis due facile occurunt. Gloria in flagitiosis hominibus nulla est, (ut sèpè diximus) disciplinæ omnes æquabiliter sunt in bonis, & in malis: non sunt igitur ea, quæ gloriam efficiant. Nec verò in rem perspicua argumentis opus est. Augustinus enim ait libro retractationum capite quarto. In his sane libris (loquitur autem de soliloquijs.) non approbo quod in oratione dixi: Deus qui nisi mundos verum scire noluisti: responderi enim potest: multos etiam non mundos multa scire vera. Et nos plures etiam quam vellemus aspicimus, in quibus existit

1 Cor. 1. 8.
munitidil. g. A
3. o. 2. 2. 2. 2.Agus. 1. lib.
Re. 2. tra. c. 4.

181 *Liber secundus*, D
magna bonarum artium cognitio cum
summa vitae turpitudine coniuncta.

Altera ratio, atq; ea quidem perfacilis
est, eruditionem sine gloria persæpè repe-
riri (vt in ijs, de quibus nunc loquebamur)
& gloriam sine eruditione, vt in beatissi-
mo Francisco, in Paulo monacho, qui
simplex cognominatus est, & omnino in
Hieron. ad Paulinum. illis de quibus Hieronimus scripsit ad Pau-
linum. *Sancta quippe rusticitas solum sibi
prodest.* Et Augustinus lib. 8. confessionum
Aug. lib. 8.
confess. c. 8. cap. 8. *Surgunt indocti, & cœlum rapiunt.*

Sed tertia adhiberi potest ex ipsius rei
visceribus extracta, atq; eruta. Facultas
operandi neminem gloriosum facit, sed
operatio ipsa. Nemo enim tam sciunc-
tus, & alienus à gloria, cui non aliqua sup-
peditet adipiscendæ celebritatis facultas:
sed quia ea operando non vtitur, ignobilis
est. Omnes autem artes (sive sordidæ illæ
sint, sive ingenuæ) nihil aliud sunt, quam
facultates quædam, quibus in operando
bene, & malè vti possumus, non igitur per
se gloriam afferre queunt.

Quod si quis obijciat, labore nostro il-
disputa las

las comparari, ideoq; gloria dignissimum
 esse, qui eam rem quæsiuit, qua & animum
 ornaret suum, & adiumenta haberet ad
 virtutem, omnemq; generis humani so-
 cietatem iuuaret: respondeo, habendam
 esse rationem animi, quo artes paratæ sunt.
 Si enim seruitum est gloriæ, aut immoder-
 atæ pecuniæ cupiditati, aut deniq; honestus
 finis propositus non est, in vitium inci-
 dit ille, qui quæsiuit, & in vituperationem:
 Quod si bono animo fecit, id virtutis fuit
 & iure laudatur: conciliatq; gloriam, quæ
 quidem non ab artibus, sed à virtute ipsa
 emanat. Quemàdmodum omnia laude or-
 nandus esset, qui pecunias sine dolo ma-
 lo vndique conquereret, pauperibus largi-
 retur. Verum laus non pecuniæ causa, sed
 charitatis, & beneficentiae daretur. Idem
 est de vsu comparatae scientiae iudicium.
 Quoniam igitur laus omnis, & gloria nō
 in possessione, sed in vsu ipso disciplinarū
 posita est, efficitur ut ijs qui bene illis vsi
 nō sunt, sempiterna turpitudinis, & dede-
 coris macula (nec iniuria) inuratur. Ut in
 eo quod paulò ante adducebamus. Vbi sa-
1. Corint. x.

Sapient. 13. piens? ubi scriba? Et sapientiae, 13. dicitur.
Iterum autem nec his debet ignosci, si enim
tantum potuerunt scire, ut possent estimare
seculum, quomodo huins Dominum non
facilius inuenierunt? infelices autem sunt,
Et inter mortuos spes illorum est, qui appe-
llauerunt Deos opera manuum hominum,
aurum, Et argentum, artis inuentionem.

Roman. 1. Et ad Romanos, 1. Ita ut sint inexcusabi-
les, quia cum cognouissent Deum, non sicut
Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt:
sed euauerunt in cogitationibus suis, Et
obscuratum est insipiens cor eorum. At si
sciētia causa esset gloriae, eam possessio ita
efficeret, nec fieri posset, ut qui cognitione
multarum rerum valeret, idem esset glo-
rious. Nec interest quo pacto ea vteretur
ad gloriam, quemādmodum virtute quo-
modocūmque vtamur, si virtus est, suapte
natura sponte gloriam gignit.

Sed iam ad argumenta diluenda venia-
mus. Probant illa quidem omnia laudabi-
lem esse artium acquisitionem, & item
vsum. Sed id iam virtutis esse diximus, nisi
enim adsit ductrix, moderatrixque virtus
exitia-

exitiales & perniciosæ sunt, earumq; adquisitio, & usus sempiternæ infamiae. Quid fædius, & ignominiosius eruditione illa Lutheri? & illa copia, atque volubilitate verborū? Quid exitiosius, aut tetrius Melantoni, & O Ecolampadij eloquentia? Quare? quia nō aderat virtus, quæ laudem præstat disciplinis. Contra, nihil Augustini subtilitate salubrius, nihil Hieronimi copia, doctrinaque fructuosius, nihil Ioannis Chrysostomi eloquentia amabilius: ieccerat enim in pectoribus radices suas virtus & charitas, quæ edificat, efficiebat ut scientia illa non inflaret, sed in totius Ecclesiæ utilitatem, & in gloriam ipsorum immortalem conuerteretur.

Nam tametsi in anima nostra maxime dignitatis est & intellectus, & eius præcipue actu ad Dei similitudinē accedamus: id ita accipiēdū est, cùm in eo recta, & ordinata præcesserit voluntas. Intellectus enim per se cōsideratus, potentia quidē naturalis est, non libera. Ac vt ignis, si recte composita materia apponatur, necessario virit: ita ipse si quid obiectum sit, quod

mente percipi possit , naturali propensiōne , cui resisti non potest , capiet , & intelliget . Cūm autem omnis laus ex libertate nascatur , non erit proprius actus intellectus laudabilis , nisi cō etiam concurrisse , & conuenisse voluntas intelligatur . Sed quia voluntas flecti in vtramq; partem potest , & in bonum & in malum valet , ut intellectum moueat & dirigat in res honestas , atque præclaras , nec tenuum ipsa sequatur ad caduca , & inania trahentem , eam virtutibus ornatam , atque instructam esse oportet . Ex quo efficitur laudis fontem esse virutem , indeque ad artes deriuari . Quam obrem si sola , aut alicuius , aut etiam omnium artium peritia præstiterunt , et si totius posteritatis memoria , & admiratione celebrentur , in gloriosis adhibendi non sunt . Non est enim (ut saepe dixi) gloria nisi bonorum . At disciplinæ efficiunt illæ quidem , ut bonus philosophus sit quispiā , bonus medicus , bonus astrologus . sed ut sit simpliciter bonus , non efficiunt , quia nihil aliud præbent quam facultatem operandi . Bonitas vero & laus , & gloria non facul-

facultate, sed ex opere nascuntur. Idem
de Salomone dicendum est quidem, latè-
que eius fama manebit, ita ut etiam regi-
næ Sabbæorū. Sed id non satis poterat per-
se ad gloriam, ut probatū est. Quem à dmo
dū nec gloriōsus erat Titus Liuius quāuis
(ut Hieronimus scribit in epistola ad Pau-
linum) de vltimis Hispaniæ, Galliarūm-
que finibus quidam ad eum nobiles vene-
rint, & quos ad contemplationem sui Ro-
ma non traxerat, vnius hominis fama
perduxerat.

Hieron. in
epis. ad Pau-
linum.

CAPVT. VI.

De Theologia.

DE THEOLOGIA, Quia non
est humano ingenio inuen-
ta, sed Dei benignitate celi-
tus hominum generi data,
maior restat dubitatio, dis-
putandique ratio. Nam sacræ literæ affec-
tionem gloriæ omnino in ea ponere vi-
dentur, ut Ieremiæ, 9.

Non

Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me. Quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra. Hoc autem Theologia in diuinorum librorum explicatione praeclarè docet.

Præterea, hæc ipsa Theologia iure, & meritò sapientia vocatur, nec tantum in certo aliquo genere, sed omnino, ut eruditè probat sanctus Thomas, i. p. quæst. i. arti. 6. quoniam non altissimam in aliquo genere, sed omnino causam simpliciter altissimam totius vniuersi (idest) Deum, qui est maximè sapiens, considerat, & contéplatur: quod est proprium munus sapientiæ, auctore Aristotele lib. i. de i. philosophia cap. 1. & 2. Et lib. 6. Ethicor. ad Nicomachum cap. 7. At de sapientia ita præclara extant in sacris literis, ut dubitari non posse videatur, eam esse effectricem gloriæ: ut proverbiorum cap. 3. Pretiosior est cunctis opibus sapientia, & omnia quæ desiderantur, huic nō valent comparari. Lægitudo.

S. Thom. i.
P. q. i. art. 6.

Arist. lib. i.
de i. philo.
c. 1. & 2.
Et 6. Ethic.
cap. 7.

Prover. c. 3.

gitudo dierum in dextera eius, & in si-
nistra illius, diuitiae, & gloria. Et in fine
eiusdem capituli (ait): *Gloriam sapientes
possidebunt, stultorum exultatio, ignominia.*
Et in cap. 4. *Posside sapientiam, ne dimittas
eam & custodiet te: dilige eam, & conserua
bit te: arripe illa, & exaltabit te: glorificabe-
ris ab ea, cum ea fueris amplexatus: dabit
capiti tuo augmenta gratiarum, & corona in-
clyta proteget te. Atque eiusmodi sunt mul-
ta in proverbijs, in sapientia, in Ecclesiastico.*

Deinde si verum est neminem virtutis præ-
sidio destitutum peruenisse ad integrum, per-
fectamque theologiæ cognitionem: non erit
probatum difficile, præstantes theologos in
gloria esse. Nihil enim desiderari potest ad
gloriam. Philosophorum enim, medicorum,
jurisconsultorum, mathematicorum discipli-
nas percallere quiuis potest, quamuis sce-
leratus, & impius: theologia suapte natura
princeps, & diuina, nec tantum nostra in-
dustria, sed etiam magno Dei munere co-
paranda, flagitiosorum hominum domi-
ciliū fugit. Scio equidem permultos ex-
titisse, quorum ingenium, eruditionemque

Ibidem.

Prover. 4.

lauda-

Liber secundus,

laudamus, execramurq; vitā. Sed hos ma-
gis opinione vulgi (quod sibi loquacitate,
& turpitudine sua conciliauerant) quam
re ipsa doctos fuisse credo, at illud quidem
certe non obscurum. Si quidam magnopere
in hac arte profecerunt, id eos tūm
fuisse consecutos, cūm fidei studio, pietati-
sīq; florebant. Tametsi ego non de me-
diocri, & quasi inchoata eruditione, sed de
summa, atq; perfecta loquor. Origenes
Adamantius Græcorum patrum præcep-
tor, & Ecclesiarum (vt quidem inquit Hie-
ronimus) magister, delirus postea senex, &
cæcus, suiq; maximè dissimilis, simulatq;
illam integritatis, & religionis, quæ in eo
mirabilis fuerat, vim remisit, hebes esse in
studijs suis cœpit, & dediscere paulatim
quod sciebat. Atq; idem Septimio Tertu-
liano, qui grauiter in omnes hereses dispu-
tauerat, Nestorio qui in Iudeorū, & Ethni-
corum errores peracerbē inuehebatur,
Photino, Apollinari, alijsq; accidit, quos
Paulus impietatis sue pœnas dedisse docet.
Cūm ait prima ad Timotheum capite pri-
mo. *Habens fidem, & conscientiam bo-*
nam,

nam, quam quidam repellentes circa fidem
nausfragauerunt. Quod igitur doctos, & ex-
ercitatos homines in fide (hoc est in ipsis
theologię primordijs) errare fecit, multò
magis ne cognoscantur altiora illa prohi-
bet, sine quibus theologus esse nō potest.

Principiò igitur nomē ipsum theologi
ex rei magnitudine, & splēdore de qua po-
tissimū disceptationē instituit (hoc est ex
Deo) natum esse scitis, idq; adeò antiquū
fuit vt primā philosophiam theologiæ no-
mine nūcuparit Aristoteles, ac eēteros qui
de Deo locuti sunt, theologos vocatos esse:
constat: fuitq; hoc nomen Apostolorum
ætate tam sanctum, vt multi cum essent di-
uinarum rerum scientissimi, non nisi Apo-
stolis ipsis cōcessum fuisse videatur. Diony-
sius Areopagita vir summa religione, atq;
doctrina, quoties hoc vocabulo vtitur, nec
illud tamen cuiquam tribuit, nisi Aposto-
lis, aut prophetis, cæterisq; diuinorūm au-
ctoribus librorum. Repetamus deinceps
illā vetustatē, & paucissimi certè occurrēt
in vniuersa patrum memoria, & in tanta
sapientissimorum virorum frequentia,

Aris. 11 Me-
taph. cap. 6.

Liber secundus.

qui huius nominis amplitudinem fuerint consecuti. Quid ita? tanta erat huius nominis dignitas, atq; maiestas, ut vix apud quemquam mortalium collocandum videretur. Paulatim deinde, nec multis ab hinc annis, ad quos suis sacrarum literarum studiosos accommodatum est: nec illud quidem proprie, & magna iactura pristinæ dignitatis. Quod si hebes, atque imperitus vulgus, tantam sibi auctoritatem, potestatemq; arrogat in vocabulis, ut hereticos etiam huius nominis ambitu complecti velit, nomina variare potest, nō rerum naturas: & ego ita accipiam, ut cùm hominem mortuum, aut depictum hominem appellamus. At ènī si Apostolorum, aut sanctorum patrum sententias hac de re percontaremur, nō dubito quin omnes protinus acclamarēt: *Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis.* Nā si fuissent *ex nobis*, permanissent utique nobiscum. Negantq; eos ad nos pertinere, non solum posteaquam hostes declarati sunt: sed tūm etiam quūm impietatē suam sanctitatis, ac religionis fuso tegebant: quūm
maxi-

maximè nobiscum esse videbantur. Nam
qua ratione gubernatorē reipublicæ vo-
cabimus eum, qui rebus nouis studet &
communibus bonis aduersatur? aut illum
medicū, qui quasi fatalis quædam pestis
plures vno autumno occidit, quām in to-
to bello Troiano Achilles occidisse memo-
ratur? Nō magis, opinor, quām regem, il-
lum qui armis opprescit ciuitatem, in me-
tu retinet, ac seruitute: omnibusque ad suū
emolumētum abutitur. Quæ igitur inui-
dia est, vt nomen apud maiores nostros ve-
nerabile, & augustum, illis tribuere, ac da-
re velint, qui de Deo non loquuntur? qui
mores corrūpunt? fidē violant? Apostolo-
rū leges, & decreta cōuellunt? Quomodo
ergo fieri potest, vt Theologus sit, qui ni-
hil eorū præstat, quæ ad Theologū pertine-
re vidētur? Ego autē illū, qui in arte nūquā
se exercet sua, nullo tēpore adducar, vt ar-
tificē censem, nēque enim mihi probare
poterit te militē esse, quē togatū sēper do-
mi video, aut benerē publicam gerere, qui
in solitudine perpetuō delitescit: sic nūquā
Theologum iudicabo, qui nō facit ea, quæ
Theologi sunt.

Ec ARI-

z. Ethic. 4.

Aristoteles in quem suas opes natura vi-
detur explicasse, de moribus cum ad Nico-
machum filium scriberet secundo Ethico-
rum cap. quarto, negat illud scriptio[n]is ge-
nus intelligentia, sed actione terminari: &
grauius in eos inuehitur, qui se philoso-
phari optimè putant, cùm virtutis tantùm
rationem, & præcepta intelligant, eòsque
reprehendit eruditè, qui non rectè agédo,
asserunt se cognoscere probas actiones.

Acutè quidem ille, & doctè, nos contra
indoctè, & inceptè, si Theologos eos dixeri
mus, qui inanibus verbis sapientiam vedi-
tant, eisque solis Theologiam definiunt,

Ad Rom. 16. qui (vt cùm Paulo loquar ad Romanos 16.)
Christo Domino nostro non seruiunt, sed
suo ventri, & per dulces sermones, & bene-
dictiones seducunt corda innocentium.

Ad Tit. 1. Qui cùm sint voluptatum màgis amato-
res, quàm Dei, confitentur se nosse Deum,
factis autem negant. Summam & cōcedi
postulant sibi diuinarum, atque humana-
rum rerum cognitionem, placeant popu-
lo, vulgique oculos in se vbiique cōuertāt.

Ego tamen is sum, qui illos quos Euan-

gelio

He

ge-

gelicum elogium notauit (*dicunt enim, & non faciunt*) in Theologis habere non pos-
 sim. Quod si vos inter oues eos numeratis,
 Qui veniunt ad nos in uestimentis ouium
 intrinsecus autem sunt lupi rapaces, aut in
 ter pastores, Eum qui videt lupum venien-
 tem, & dimitit oues, & fugit: Tum mihi
 persuadebitis, ut id genus hominum in al-
 bo Theologorum conscribēdum putem.
 Quare sicut stannum, & orichalcum, ar-
 genti, atque auri speciem præferunt, at ita
 præferunt, ut nisi priùs spectentur, pruden-
 tes homines decipient: ita si illos aspicias,
 inuenies quidem fucatam illam imaginē,
 & colores studiosē simulatos, rem autem
 ipsam minimē videbis. Itaque, ut veteres
 Stoici negabant quemquam esse sapien-
 tem, qui ad exactam rerum omnium in-
 telligentiam, parem morum integrita-
 tem non adiungeret: ita nunquam à me
 impetrabis ut Theogum existimem eū,
 qui alterum horum contempserit. Meri-
 tò igitur Diuus Augustinus in secundo li-
 bro de doctrina Christiana, capite septimo
 & libro tertio, cap. primo, Timorē Dei, &
 p. 100. 110

Math. 13:

Math. 7.

Iean. 10.

 Aug. lib. 2.
 de doctrina
 Chr. c. 7. &
 lib. 3. c. 1.

401

Liber secundus,

Hier. in ca.
3. Epis. Pau.
ad Titum.

Prou. c. 1. &
2.

Psal. 118.

Prob. s.

ap. 1.

Theol. veri
vera descri
ptio.

amorem virtutis in eo querit qui ad sacras literas accedit. Hieronimus super caput tertium epistolæ Pauli ad Titum. *Non sit, inquit, corpus nostrum subditum peccatis, sed ingredietur in nos sapientia.* Sed nihil nunc necesse est sanctorum patrum uti auctoritate, quandoquidem Salomon proverbiorum capite primo & noueno. *Initium sapientiae esse inquit timorem Domini.* Et eius parens David psalmo centesimo decimo octauo. *Super senes se intellexisse dicit, quia Dei mandata quaesierit.* Ac ipsa piam sapientia proverbiorum capite octauo clamitat. *Arrogantiam, et superbiam, et viam prauam, et os bilingue detestor.* Illud quoque Sapientis perulgare est, capite primo. *In maleuolum animam non introibit sapientia, nechabitabit in corpore subdito peccatis.* Spiritus enim sanctus disciplina effugiet fictum, et auferet se se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu, et corripetur a superueniente iniquitate. Qui verò verus Theologus esse cupit, & pulcherrimi nominis capitur amplitudine, cū primū operam dare Theologiæ incipit

omnem ex animo libidinem abijciat, omnemque aut pecuniarum, aut honorum cupiditatem, nèque spe quæstus accendatur, nèque gloriæ. Vnum sibi laborum, & studiorū suorum finem proponat Dei laudem, atque Ecclesiæ utilitatem. Cæteræ enim artes siue quæ in contemplatione, siue quæ in actione positæ sunt, ad quæcum refferri vtcùmque possunt: sed Theologiæ candidatus, ne omnium illarum dominæ atque reginæ iniuriam faciat, illud Pauli prima Corinthiorum decimo quarto non tantum in ore, quamvis in animo habere debet, *Ad adificationem Ecclesie querite, ut abundetis.*

Quòd si rectè ab eodem dictum est prima Corinthiorum decimo. *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite: quid de illa scientia dicendum est, quæ de Deo est, & à Deo nomen habet, & donatur à Deo? qui non eam assumit ad Ecclesiam tuendam, ad fidem propagandam, ad proximos cōsilijs, & doctrina iuuandos, ad errores infirmados, ad veritatem augendam, is naturas*

1. Cor. 1.4.

1. Cor. 10.

Liber secundus;

Sap. 7.
rerum peruerit, & contra fas, & æquum
liberam, atque reginā seruam facit. Quā-
obrem is, quem paupertatis, aut dedeco-
ris timor frangit, à theologiæque deter-
ret, aut qui minimè in ea laboraret, nisi spe
magnorum præmiorum duceretur, indig-
nus est, qui in theologiæ penetralia reci-
piatur. Qui vero Salomonis verba facere
potest sua, sapientiæ septimo, & conscién-
tia non reclamante, néque dissentiente di-
cit, *Præposui illam regnis, & sedibus, & di-
uitias nihil esse duxi incōparatione illius,*
nec comparaui illi omne lapidem pretiosum
*quoniā omne aurū incōparatione illius are-
na est exigua, & tanquā lutū estimabitur*
argētū incōspectu illius. Hūc ego letus, &
bene præcās ad præclara illa studia remittā.

Sed licet hæc ita præclara de theologia
sint: nihilominus, id etiā, quod de ceteris
artibus diximus, de ipsa theologia dictum
volumus, per se ad gloriam non valere. Et
quoniā nihil hac quidē in re ab illis theolo-
gia discrepat, & quæ ad illas attulimus argu-
mēta peræquæ in hāc valēt, ea nunc ener-
uemus, quæ rem in controuersiam, & qua-
si in

si in discrimen adducere videantur.

Ad Ieremiæ locū equidē respōdeo sacrā scripturā suā habere sāpe dictionem, quæ apud alios nō ita est in v̄su. Nō enim ad solā cognitionem refertur, *scire Deum*, aut *nō scire Deum*: sed vt Deus eos nosse dicitur, quos vt amicos, & familiares amat, ac probat: ita iij Deum nosse, aut *scire* dicuntur, qui cum toto corde diligūt, suspiciunt, colunt. Id exemplis dilucidum fiet, psalmo 9.

Et sperent in te qui nouerunt nomē tuum.

Non iubet omnes in Deo sperare (quid enim impius, dum impius est, sperare possit?) Sed qui cum diligunt, & sequuntur: addit enim, *Quoniam non de reliquisti quarentes te Domine.* Quo in loco Augustinus,

Psal. p.

Aug. in ps. 9
Cognitio (inquit) nominis est, cum ille cognoscitur, cuius est nomen, quapropter qui se libenter Deo famulum subdit cognovit hoc nomen. Et secunda ad Thesalonenses cap. 1. dicit Apostolus, *Inflammā ignis dantis vindictam ijs, qui nō nouerūt Deū.* Exponit vero quid sit nō nouisse Deū, dicens statim, *Et qui non obediunt euangelio Domini nostri Iesu Christi.* Aperi-

z. ad Thesla.

cap. 1.

Liber secundus,

1. Ioan. 2.

tissimus vero est ille locus 1. Ioannis 2. In
hoc scimus quoniam cognoscimus eum, si
mandata eius obseruamus. Qui dicit se nos
se Deum, & mandata eius non custodit me
dax est, & in hoc veritas non est.

De scientia eadem est ratio ut primo li-
Paralip. li. 1 bro Paralipomenō, capite vigesimo octa-
uo, ubi Dauid ad Salamonen filium suum
sic alloquitur, *Tu autem Salomon fili mi-*
scito Deum patris tui, & seruie i corde per-
fecto, & animo voluntario. Atque ita for-
tasse intelligenda sunt obscura illa verba,
et difficilia cum primis, quæ Apostolus Pau-
lus capite octauo in Epistola ad Hebræos
adducit, ex capite trigesimo primo Iere-
miae, *Non docebit unusquisque proximum*
suum, & unusquisque fratrem suum, dices,
cognosce Dominum, quoniam omnes scient
me à minore usque ad maiorem eorum. In
quibus explicandis, & si patres nostri vehe-
menter dissentient, August. enim in lib. de
spiritu, & litera c. 24. & 28. de beatis hæc di-
ci putat, quæ secutus est in eundē locū Caie-
tanus, Theodore tus, Theophilactus, & Oe-
cumenus grauissimus tamen & doctissi-
mus

Paul. ad He
br. c. 8.
Ierem. 31.

Aug. lib. de
spir. & lite.
c. 24. & 28.

mus Pater Franciscus de Ribera Societas Iesu in suis commentarijs Epistolæ ad Hebræos in cap. 8. hęc verba Ieremiæ ab Apostolo adducta, vniuersis Christi fideli- bus conuenire affirmat referens pro sua sententia Hieronymū super illa verba Esaię, *Et ponā uniuersos filios tuas doctos ad Dominū.* Vbi cōstat prophetā deu niuersis Ecclesiæ filijs locutū fuisse, ut ipse Dominus exponit Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me, traxerit eū.* Dicitur etiā in scriptura Ioan. 6. *Est scriptū in prophetis, & erunt omnes docibiles Dei, omnis qui audiuit à patre; & id dicit venit ad me.* Ego verò verba hęc dicta esse intellico de Apostolis & de eorum discipulis viris sanctissimis, quos (cū maxime charitate flagarent, & Dei misericordia absolutos se se à peccatis cernerēt) nō erat necesse ad monere ut Deū amarēt, atque omnia eius causa cōtenerēt: ideo enim subiecit, *Quia propitius ero iniquitatibus eorū.* Hac autē quæ de Israele Dei dicit, opponit illis verbis, quæ de Israele secundū carnem prius ad scripserat, *Quoniam ipsi nō permanerunt in*

Pater Fran.
de Ribera
Societ. Ies.
in Epist ad
Hebr. in c.
8.

Hier. sup. c.
54. Esai.

Ioan. 6.

Liber secundus,

testamento meo, *E*go neglexi eos dicit *D*ominus. Ac si dicat, multò aliter se gerent le
cti noui testamenti viri, vltro me ipsi dilig-
gent, sponte mihi obsequentur. In hoc iu-
bet Deus apud Ieremiam gloriari, quod in
eo demerendo, colendoque se exerceant.

Secundi ordinis loca facile intelligun-
tur, si animaduertimus quid valeat in sa-
cris literis nomen sapientiae. Et quoniam
ex contrarijs multa cognoscuntur, & item
cōcreta notiora sunt nobis, quām ea quā
sunt in sensibus abstracta, hinc ordiamur.

Stultus in scriptura flagitiosum, impiū-
que significat, quoniā ille est verē stultus,
& hebes, qui bono incommutabili inane,
& commutabile p̄eponit. Nec alia est fe-
rē huic nomini subiecta notio, vt Ecclesiā
tæ primo. Peruersi difficile corriguntur, *E*
stultorum infinitus est numerus. Quo in lo-
co Diuus Hieronymus exponit, Stultos
dici, qui à diabolo seducti sunt, & de grege
Dominirapti. Et proverbiorum capite vi
gesimo sexto, Indecens est stulto gloria.
Quia scilicet bonorum est illa, non malo-
rum. Atque inde stultitiam flagitium, &
scelus

Ecclesi. 1.1.

Proverbi. 26.

scelus intelligimus, ut secundo libro regū
 ca. 13. Noli frater mihi, noli opprimere me, nē
 que enim hoc fas est in Israel, noli facere
 stultitiam hanc. Et proverbiū cap. 5.
 Iniquitates sua capiunt impium, & fun-
 bus peccatorum suorum constringitur, ipse
 morietur, quia non habuit disciplinam, &
 in multitudine stultitiae sua decipietur.
 Hinc haud obscurè perspicitur quid sit sa-
 pientia, & quid sit sapiens. Is profectō,
 qui in lege Domini meditatur die ac no-
 cte, nec abiit in consilio impiorum, & in
 via peccatorum non stetit. Nec iniuriā
 quidem, is enim demum sapit qui amat,
 ac sequitur quæ omnino amore digna
 sunt, refugitque contraria. Hoc quam
 plurimi testimonij ex omnibus scriptu-
 ræ libris, sed ex proverbijs præsertim con-
 firmari potest. Nobis vnius, aut alter erit sa-
 tis, Proverbiū vigesimo octauo: *Qui*
custodit legem filius sapiens est. Explicauit
 hoc ipsum eleganter diuus Augustinus li-
 bro decimo quarto de Trinitate capite 1.
 Loquemur (inquit) de hominis sapientia,
 vera tamen qua secundum Deum est. &
versus

2. Reg. 13:

Prob. 5.

8. 601

Psal. 1.

dil. 670
partim et

Prob. 28.

Aug. lib. 14.
de Tri. ca. 1:

Latria.

Iob. 28.

Greg. libr.
19. mor. c. 7.

verus ac præcipuus cultus eius est, que uno
 nomine cultus Dei græcè appellatur, quod
 nomen nostri (sicut iam cōmemorauimus)
 volentes & ipsi uno nomine interpretari,
 pietatem dixerunt: quia vero uno verbo
 perfectè non potest, melius duobus interpre-
 tatur, ut dicatur potius, Dei cultus. Et ad-
 ducit egregium locum ex santo Iob c. 28.
 vbi cū nunquā nō quæsita esset sapientia,
 nec inueniri posset, Deus ipse ostēdit, &
 ait, Ecce pietas est sapientia, abstinere autē
 à malis scientia. Noster interpres non sen-
 sum sed verba mutauit, ita enim vertit, Ec-
 ce timor Domini ipsa est sapientia, & recede-
 re à malo intelligentia. Sed timorem Do-
 mini cultum Dei esse ipsa vox græca, qua
 lxx. interpretes vsi sunt, satis præfert. Nec
 dissentit Gregorius, lib. 19. moralium, ca.
 septimo dicens, Et dixit homini, Ecce ti-
 mor Domini ipsa est sapientia, & recede-
 re à malo intelligentia. Ac si aperte dicere-
 tur. Ad te metipsū homo reuertere, cordis
 tuī secretā perscrutare. Si Deū te timere de-
 prehēdis, profectō cōstat quia hac sapientia
 plenus es: quā si adhuc cognoscere nō potes
 quid

quid sit in se: iam cognoscis interim quid sit
 in te? Quia enim apud se ab angelis metuitur,
 apud te timor Domini vocatur: quia
 hanc habere te certum est, si timere te Deum
 incertum non est, hinc etiam per Psalmistam
 dicitur. Initium sapientia timor Domini:
 quia tunc penetrare cor inchoat, cum hoc
 extremi iudicij paurore perturbat, quia
 enim naturam sapientiae penetrare non possumus
 quid sit in se, ex condescensione Dei
 audiimus quid sit in nobis, cum dicitur:
 Ecce timor Domini ipsa est sapientia. Sed
 quia ille veraciter vim divini timoris intel-
 ligit, qui se a cunctis prauis operibus custo-
 dit, recte dicitur, Et recedere a malo, intelli-
 gentia. Hæc Gregorius. Hæc est igitur illa
 sapientia cui tribuitur, & quidem optimo-
 iure, effectio gloriæ.

Psal. 110.

Quod ad ultimum argumentū attinet, equi-
 dē pro certo habeo, summum Theologū
 nullum esse posse, qui animum sordidis cu-
 piditatibus inquinatum & turpificatum ha-
 beat. Nam neque Theologus dici potest,
 qui in sacris literis peregrinus & hospes est.
 Sed cum præstans & excellens Theologus
 in

in gloria esse cæperit, eam non Theologiæ sed virtuti referet acceptā, vt enim Socrates sanat ægrotum, non ut musicus, sed ut medicus est, ita iste gloriosus erit, nō qua Theologus, sed qua rectus, & simplex, & timens Deum.

CAPVT. VII.

Degratijs gratis datis.



VONIAM permulta, in quibus homines magnum præsidium esse ad gloriam putant, exposuimus, ad diuina dona transeamus, quæramusque an ea maiore hac in parte vim & efficientiam habeant? Ac de illis primū disputemus, quæ gratiæ gratis datæ nominantur, & ab Apostolo diligenter enumerantur prima Corinthiorum 12. cap. his verbis: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientia, alij autem sermo scientia secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in uno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spi-*

rituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Et quāmuis Diuus Thomas prima secundæ quæst. centesima s. Thom. 12.
 vndecima, articulo primo cum omnibus q. IIII. art. I.
 Theologis conueniat, duplē esse gratia Du-
 tiā: alteram qua Deo grati, charique red
 dimur, alteram, qua Christi membris fratri
 bus nostris in Ecclesia usitamus, nec gra-
 tia esse possit, nisi quæ gratis data est: tamē
 loquendi consuetudo, & usus impetravit,
 ut illa gratum faciens, hæc gratis data nun-
 cupetur. Sæpè enim fieri solet, ut cùm cō-
 modiora vocabula non suppetunt, gene-
 rale nō posse accommodetur ad partem.
 Non dubium est quanlibet è Trinitate
 personam Spiritum Sanctum dici posse, ve-
 rectè docet Diuus Augustinus libro 15. de
 Trinitate, capite decimo nono dicens. Si-
 cut non solus est in illa Trinitate, vel Spi-
 ritus, vel Sanctus, quia & Pater Spiritus,
 & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Fi-
 lius Sanctus, quod nō ambigit pietas, & ta-
 mē iste nō frustra proprie dicitur Spiritus Sa-
 ctus. Quia enim est cōmunis ambobus, id vo-
 catur ipse proprie, quod ambo cōmuniter, sed
 tamen

Aug. lib. 15.
 de Trin. ca.
 19. circa fin.

tamen id nomē tertiae personæ tātūm vſus
& penuria dederunt. Ita gratia illa prior
ab effectu suo, qui plenus est dignitatis, nū
cupari voluit, commune nomen alteri re-
liquit. De hoc ergo genere gratiarum nō
absurdē suscipitur disputatio, Dei bona cū
ſint, ac in bonos tantūm viros cadere vi-
deantur, & tantam vbiique admirationem
pariant, vt homines earum cauſa non mo-
dō glorioſi, verūmetiam diuinæ naturæ
participes iudicentur. Inde stupor ille Lu-
cæ octauo. *Quis putas hic eſt, quia ventis,*
& mari imperat, & obediunt ei? Et Lucæ
primo de Ioanne Baptista. *Et mirati sunt*
vniuersi, & factus eſt timor super omnes
vicinos eorum, & super omnia montana Iu-
dea diuulgabantur omnia verba hac, & po-
suerunt omnes qui audierant in corde suo
dicentes, quis putas pueriste erit, etenim ma-
nus Domini erat cum illo? Et Actorum se-
cundo capite. *Stupebant autem omnes, &*
admirabantur dicentes. Nonne ecce om-
nes isti qui loquuntur Galilei sunt, & quo-
modo nos audiuiimus unusquisque lingua
nostram in qua natī sumus? Et de Prophē-
ta

Lucæ 8.

Lucæ 1.

Actor. 2.

tia inquit Paulus, 1. Corinth. cap. 14. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota concordia inicitur ab omnibus, diuidicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. Quid istic deesse possit ad gloriam? aut quis maiorem inquam habuit quam diuus Petrus? de quo ita à Luca actorum, 5. accepimus, *Producit ad plateas solitos esse agrotos in lectulis, ac granatis, ut vel eius umbra contingentur.* Denique actorum, 14. cum claudum verbo sannasset Paulus, qui infirmus pedibus sedebat claudus ex vetero matris suæ, & turba vidisset quod fecerat, leuauerunt vocem suam Lycaonice dicentes, *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos,* & vocabant Barnabam Iouem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quodque Iouis, qui erat ante ciuitatem tauros, & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare. An expectamus maiorem celebritatem, admirabilemque gloriam? Verum hæc, & quæcunque alia

Acto. 5.

Actor. 14.

Conclus. 6.

pro gratijs afferri queunt, nō tantū apud nos valebunt, vt apud eas per se gloriam gignere, & procreare posse dicamus. Nam ingentem gloriam sine his innumeris omnibus penē saeculis consecuti sunt, & alij eis prædicti sine gloria, & laude vixerunt. Non enim est verum quod principio sumebamus, non cadere hæc Dei dona nisi in bonos viros, cùm vix illa sit in eis prophetia præstantior, vt ex Apostolo Paulo accipitur, 1. Corinth. cap. 14. & hanc in vi-
t. 103A
 ris omni scelere accumulatis extitisse vi-
47. 103A
 deamus. Talē fuisse Balaam in primis pro-
 Numer. 22. prophetia clarum num. 22. cap. docuit Moys-
 es, qui mercede conductus veniebat, vt male diceret Populo Dei. Sed quid exem-
 plis opus est, cùm ita Dominus Matthæi
Marth. 7. cap. 7. loquatur? *Multi dicent mihi in illa die, Domine, nonne in nomine tuo damo- nia eiecimus? nonne in nomine tuo prophe- taulimus? Ego in nomine tuo virtutes multas fecimus? Ego tunc confitebor illis quia nun- quā noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Cuius est hæc ratio.

Id interest inter gratiam gratum facien-
bio tem,

tem, & gratis datam. Quòd ea quæ nos Deo gratos facit, in emolumentum accipientis per se datur, vt sit gratus Deo: alteraverò non eit natura sua ad eius in quo est, sed ad aliorum vtilitatem ordinata: ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in edificationē corporis Christi, (vt ait Diuus Paulus ad Ephesios cap. 4.)

In quo difserant gratia
gratum fa-
cens, & gra-
tis data.

Quod etiam aperte confirmat prima Corinthiorum capite duodecimo cum inquit, *Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem: ex quo efficitur, vt illa non possit esse nisi in bonis viris: hæc autem reperitur etiam in malis, per quos etiā Deus publicæ vtilitati sæpe consulit: & ad se animos hominum erigit.* Quemadmodum à iumento quòque reprehensus est Balaam, & (vt in 2. epistola cap. 2. inquit Petrus.) *Subiungale mutū animal hominis voce loquens prohibuit propheta insipientiam.*

Ad Ephe. 4.

1. Cor. 12.

Numer. 22.

2. Petri. 2.

Præterea, gratiæ omnes, vt à Diuo Thoma animaduersum est secunda secundæ quæstione centesimaseptuagesima prima in principio, aut ad cognitionem per-

S. Tho. 2.
q. 171. in
princip.

tinent, ut prophetia, fides, discretio spirituum: aut ad locutionem, ut sermo sapientiae, sermo scientiae, genera linguarum, interpretatione sermonum: aut verò ad actionem ut gratia sanitatum, operatio virtutum. Quae quidem ad cognitionem spectant, non esse procreatrices gloriae, ijsdē argumentis confirmari potest, quibus capite, 5. cùm de disciplinis loqueremur, vñi sumus.

At, quæ in sermone atq; actione versantur (quia nec sermo, nec actio esse potest sine præstituto fine) si impias, fallacesq; opiniones constituere nituntur, aut molliuntur aliquid, quod virtuti sit aduersum, nō gloria, sed dedecore maximo afficiunt: si religionem conseruare, & propagare contendunt, & genus hominum iuuare, iam se se præbent ut instrumenta virtuti, quibus ad plena decoris, & gloriae opera vtatur. Quoniam verò laus non instrumenti est, sed causæ inefficiendo præcipue: peripicum est tūm efficien-
tiam gloriae non gratijs illis, sed virtuti esse tribuendam. Conuertent illæ quidē
in se

in se oculos hominum nova, & inusitata
mirantium, & notos reddent eos in qui-
bus sunt. Sed id si ad gloriam satis esset, ni-
hil vetaret funambulos, & præstigiaores
appellare gloriosos.

CAP AVT. VIII.

De virtutibus.

VLTVUM IN VERA CAUSA GLORIÆ
INDAGANDA ELABORATUM EST,
& ITA SUNT OMNIA QUÆ EQUI-
DEM SPECIEM ALIQUAM PREFER-
REBANT EXCUSSA, VT VNA IAM VIRTUS RELICTA
VIDEATUR. NAM GLORIÆ (QUONIAM BONUM
QUODDAM EST) BONUM ETIAM ALIQUOD CAU-
FAM ESSE NECESSE FUIT.

TUM BONA IN TRIA GENERA DIVISIMUS, VT
QUÆDAM CORPORIS, QUÆDAM ANIMI, ALIA
EXTERNA ESSENT. A BONIS CORPORIS EXORSI
SUMUS: INDE AD EXTERNA, HOC EST AD DIVI-
TIAS, & POTENTIAM, AD NOBILITATEM, AD HO-
NOREM VENIMUS. BONA VERO ANIMI, AUT
POTENTIÆ SUNT, AUT HABITUS, AUT AFFECTUS, VT
ARISTOTELI PLACET SECUNDO LIBRO AD NI-

*Arist. ad Ni-
com. cap. 5.*

Liber secundus,

comachum cap. 5. Sed quoniam, ut hoc ipso in loco idem docet, neq; affectus, neq; potentiae laudem, aut vituperatione simpliciter afferunt, ad habitus conuertenda fuit oratio.

Rursus habitus, aut ad cognoscentem animae partem, aut appetentem pertinent. De prioribus quidem cap. 5. & 6. egimus: ac deinde de gratijs, quarum multe etiam ad cognitionem spectant. Nunc reliquum est, ut de ijs quae in appetente sunt, ac de alijs nexis cum his, & quasi iugatis disseramus. Est autem hac in re summa totius questionis. Quare ut melius intelligatur, à diuisione virtutis ordiendum est.

Virtus duplex.
Arist lib. 2.
Ethic. orad
Nicom. c. 1.
& lib. 6. c. 1.
Et lib. 2. ad
Eudem.

Alia intel-
lectualis.

Virtus omnis partim ad mores, partim ad intellectum refertur. Quae diuisio Aristotelis est lib. 2. Ethicorum ad Nicomachum cap. 1. Et lib. 6. cap. 1. Et lib. 2. Ethicorum ad Eudemum.

Ad intellectum referuntur, ars, prudenteria, sapientia, scientia, intellectus, virtute, q; dicuntur, quia mentem perfectam redundunt, apta q; ad recte de intellectis iudicandum. Et virtus est, quae efficit ut bene se habeat,

habeat, ac bene operetur, id in quo est, ut Aristoteles ait lib. 2. ad Nicomachum cap. 6. Ac de his quidem quid efficiendo valeant, copiose iam diximus.

Quas vero morales nominamus, quod non sint in nobis a natura ingenitae, sed a suis ipso, & consuetudine comparatae, ut aduersus Platonem statuit Aristoteles lib. 2. ad Nicomachum, cap. 1. Et lib. 1. magnorum moralium cap. 6. esse sunt, iustitia, temperantia, liberalitas, magnanimitas, & eius generis aliæ, quas summatim Aristoteles enumeravit lib. 2. ad Nicomachum cap. 7. & lib. 2. ad Eudemum. Explicat autem copiosissime a cap. 6. lib. 3. ad Nicomachum ad finem usque, 5. lib. Et lib. 1. magnorum moralium a cap. 21. usque ad cap. 7. libr. 2. Augustinus etiam fermè omnes definit lib. 83. questionum quest. 31. Sed de his cum loqueremur, prudentiam etiam adiunctam voluimus quasi moderatricem, & sociam, quoniam neque haec sine illis, neque illæ sine hac cohærere ullomodo queunt: ut est apud Aristotelem lib. 6. ad Nicomachum c. p. 12. & 13.

Arist. 2. ad Nico. cap. 6.

Alia morali.

Arist. lib. 2.
ad Nico. c.
1. & libr. 1.
magna mor.
cap. 6.

Et 2. ad Ni-
com. cap. 7.
& lib. 2. ad
Eudemum.

Et a cap. 6.
lib. 3. ad Ni-
com. usq; ad
finem 5. lib.
Et 1. magn.
a c. 21. usq;
7. 2. lib.
August. lib.
83. quesitio.
quest. 31.

Arist. lib. 6.
ad Nicom.
cap. 12. & 13

Atq; præter has quidem virtutes de quibus philosophi multa scripsérunt, sunt quædam aliæ illis non valdè notæ, ut pœnitentia & religio.

Sed alio in genere sunt tres omnino præclarissimæ, quas nemo principum huius sæculi cognouit, quibusq; pietas potissimum continetur, fides, spes, charitas: eas nos, quoniam Deum obiectum habent, eumq; ante omnes alias spectant, theologas vocamus.

Septē quoq; dona Spiritus Sancti (quæ Esaias cap. 11. his verbis numerat, *Et re-quietet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientie, & pietatis, & replete eum spiritus timoris Domini:* quoniam virtutes quædam sunt, vt docet Diuus Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto, c. 20. Augus. lib. 1. cap. 20. Diuus Augustinus lib. 1. questionum Euanglicarum cap. 9. Diuus Gregor. lib. 1. moralium cap. 28. & lib. 2. cap. 36.) non sunt hoc in loco prætermittenda. Habent enim quæ diximus omnia quasi commune vinculum, & ordine quo-

S. Amb. lib.
1. de Spirit.
Sanct. c. 20.
Augus. lib. 1.
quest. Euā.
cap. 9.
Greg. lib. 1.
mor. cap. 28
& lib. 2. ca.
36.

quodam inter se continentur. Mensili-
lis virtutibus suis (quas nos intellectuales
vocamus) excolitur, & ornatur, ut re-
cte præscribant quid amandum, quid
auerſandum sit. Facultas vero appetens,
ut menti pareat cum finis naturalis specta-
tur, virtutibus moralibus instruitur. Sed
quoniam homines Dei bono supra natu-
ram se se tollunt suam, & quandam quasi
diuinitatem appetunt, adcurrunt virtu-
tes theologicae, eoque Deo adiungunt.
Hæc adiunctio, & collatio quoniam
imperfecta futura erat (nec enim perfec-
te cognoscimus, aut diligimus Deum)
nec ad finem illum ultimum satis erat mo-
tiorationis, necessaria omnino fuerant
septem dona Spiritus Sancti, quibus om-
nes animæ partes ita disposerentur, & co-
pararetur, ut à Deo agi mouerique possent:
qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii
Dei: ut scribit Apostolus ad Romanos Ad Rom. 8. 8.
octavo..

Itaque donum intellectus accipimus, ut
earecte percipiamus, quæ ad salutem per-
tinent: ut bene iudicemus quid sit se-
cilia

quendum, quid fugiendum, sapientiam, & scientiam. Sed sapientia de omnibus ex-causis altissimis, diuinisq; existimat, & iudicat, scientia ex creatis. Ut percepta, ac iudicata operi mandemus, adhibetur consilium, quo omnia in mente collocantur. Appetendi autem vis, ut bene, ac fraternē se erga omnes propter Dei reverentiam gerat, pietate munitur, tūm fortitudine, ut pericula contemnat, timore Dei, ut in parentem Deum semper intuens voluptates respuat, cupiditates coerceat. Talibus donis animus dispositus, & paratus, facile à Deo mouetur ad actus fidei, spei, charitatis.

His igitur ita constitutis rem totā paucis pronuntiatis absoluamus.

1. Conclus.

Primum pronuntiatum. Siue diuinitus dati, siue partiā nobis, si considerentur ut habitus sunt, actusq; mente præcidantur, nullam vim habent ad efficiendam gloriā. Quod facile confirmari potest. Gloria enim, est frequens iudicium bonorum de perspectis cuiuspiam virtutibus: sed habitus qui in animal latent perspicinqueunt, nisi

nisi actiones ipsæ quasi testes adhibeantur: non ergo erunt causa gloriæ. Atq; vt daremus otiosos illos habitus ab hominibus videri, cognosciq; posse, tamē habitus nihil aliud est quam facultas quædam, ac potestas agendi. Nemo verò eum laudat, qui iustè, aut fortiter, aut temperanter agere potest, sed quire ipsa agit. Itaque huiuscmodi habitus non laudantur, nisi causa actuum, ad quos natura sua ordinatur (ideò enim bonus est habitus, quia bonus ex coactus nascitur) & quia animum ad eos mouent. Ita ergo laus, & gloria actionum est. Etenim baptizatos infantes, in quos gratiam, atque virtutes infusas esse non ambigimus, neminem èquidem vidi, qui gloriohos putaret.

Secundum pronuntiatum. Ne virtutes quidem omnes sine charitate efficere gloriam queunt. Nam gloria non nisi bonis viris datur: *Quia indecens est stulto gloria.* 2. Conclus. Nemo vero bonus est nisi qui virtutibus prædictus est. Est enim virtus quæ bonum facit habetem, vt auctor est Aristoteles, 2. lib. ad Nicomachum cap. 6. At non est ve- Prover. 26. Arist. 2. ad Nico. cap. 6.

ra virtus, quae sine charitate est, nec igitur bonum facit habentem. Video desiderari, ut probem nullam esse sine charitate virtutem

Primum quidem, eos, qui fide Domini nostri Iesu Christi illustrati non sunt, & si magnam aliquando virtutis speciem preferre videantur, tamen re ipsa bonos esse

non posse Ciprianus martyr in sermone 3. de bono patientiae docet, Hieronymus

lib. 2. commentariorum in epistolam ad Galatas proprie principium, & in expositione illorum verborum ad Titum 3. Fur-

mus enim aliquando & nos sulti. Apertissime Diuus Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. vltimo, dicens, Nunc librum istum ita

claudimus, ut admoneamus quod iustus ex fide vivit, que fides per dilectionem ope-

ratur: ita ut virtutes quoq; ipse, quibus prudenter, fortiter, temperanter, iuste q; vi-

uitur, omnes ad eandem referantur fidem:

nō enim aliter poterunt vera esse virtutes. Idem confirmat lib. 14. cap. 1. Et latissime lib. 4. contra Julianum Pelagianum cap. i

tertio,

Cipry. ser.
mon. 3. de
bono patie-
tiae.

Hieron. lib.
2. comm. in
epistol. ad
Gala. prop. 3
principium
Et in expo-
fit. ad Titū
3.

Aug. lib. 13.
de Trin. ca.
vltim.

Juliano 3. 2

de 2. monit.

Aug. lib. 14.
de Titin. c. 1.
Et lib. 4. cō-
tra Iuli. c. 3.



Atque hoc ipsum sacris literis testatum est, vt Abacuc secundo (quo testimonio libenter vtitur Paulus) *Iustus autem in fide sua vivet.* Et actorum decimoquinto, *Fide purificans corda eorum.* Dénique hoc potissimum confirmare nititur Apostolus magna copia, & vi argumentorum in epistola ad Romanos, & in epistola ad Galatas. Ex quo sequitur in ethnici nullum gloriæ participem extitisse, quia veram virtutē nemo habebat, quamuis proferamus Socratem, Aristotelem, Fabricios, Fabios, Camillos, Regulos, Scipiones. Quò sunt minùs ferendi Marsilius ficinius, & alij Christiani nimium Platonici, qui de Socrate & Platone iuxta ac de quibusdam numinibus loquuntur. Evidem nullo modò ferre possum eas hominum ineptias, qui nescio an pluris faciant (certè honorificentius trac tant) Platonem, quam Paulum, semper in ore habent diuinum Platonem, in eo esse omnium virtutum seminarium, datū esse à Deo medicum animorum, bene beateq; viuendi magistrum. Quæ tandem

Ad Rom. 1.

Actor. 15.

Ad Roma:

Ad Galat.

dem diuinitas fuit ea literis mandare, quæ ab ægyptijs sacerdotibus de Deo acceperat, in quibus etiam sunt multa veritati dissidentia, vnde magnæ postea hæreses subortæ sunt? Quis vero est iste medicus animorum, qui sibi mederi ipsi non potuit? cuius fastum, ambitionemq; Diogenes Cynicus calcare se profitebatur, qui in pueros paulò erat propensior, quam oportebat. Quare meritò diuus Augustinus lib. 1. retractationum cap. 1. sic inquit, *Laus quoq; ipsa qua Platonem, vel Platonicos, seu Academicos philosophos tantum extuli, quantum ipsos impios homines non oportuit, non immeritò mibi disPLICUIT: præsertim quorum contra errores magnos defendenda est Christiana doctrina.* Et cap. 3. eiusdem primi libri cum pænitet, quod dixerit aliquando philosophos non vera pietate præditos virtutis luce fulsisse: multumq; laudis dederit Pythagoræ.

Quod autem de cæteris virtutibus sine fide diximus, id etiam de illis cum fide cōiunctis maiores nostri affirmant, ne fidem quidem, & spem, separata charitate, nomē omni-

Aug. lib. 1.
retract. c. 1.

Eod. lib. c. 3

omnino habere virtutū. Hieronymus in explicatione illorum verborum ad Galatas, 5. *Fructus autem spiritus est charitas. Et quae alia (inquit) inter fructus spiritus debuit tenere primum, nisi charitas, sine qua virtutes ceteræ nō reputantur esse virtutes?*

Et diuus Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei cap. 19. sic ait, *Illud constet inter omnes veri aciter pios, neminem sine vera pietate, (idest veri Dei vero cultu,) veram posse habere virtutem.* Idem confirmat in praefatione psalmi, 31. Et in tractatu, 5. in epistolam, 1. Ioannis dicens, *Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. signent se omnes signo crucis Christi, respondeant omnes amen, cantent omnes alleluia, baptizentur omnes, intrent ecclesias, faciant parietes basilicarum, non discernuntur filii Dei à filijs diaboli nisi charitate: qui habent charitatem nati sunt ex Deo, qui non habent, non sunt nati ex Deo, magnum iudicium magna discretio. Quidquid vis habe, hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alias si nō habeas, hoc habe, &*

implesti

Hiero. in e-
pist. ad Ca-
lat. cap. 5.

Augu. lib. 5.
de ciuit. c.
19.

Idē impræ-
fatione pla.
31.

Et in tract.
5. in epist. 1.
Ioann. tom.
9.

Liber secundus,

implesti legem, plenitudo legis est dilectio,
Matth. 13. puto istam margaritam esse illam pro qua
homo negotiator describitur in euangelio,
qui inuenit unam margaritam. Et vendi-
dit omnia quae habebat, Et emebat eam. Hec
est margarita pretiosa charitas, sine qua
nihil tibi prodest quodcumque habueris, quia
si solam habeas, sufficit tibi. Id ipsum confirmat

Augu. lib. I. de baptism. contra Do-
natistas ca. 9. thom. 7. lib. I. de baptismo contra donatistas
cap. 9. qui sic ait, Videant quam multa, Et
quam magna, nihil prossint, si unum quid-
dam defuerit: Et videant quid sit ipsum
unum, nec me in hoc audiant, sed Aposto-
lum. Silinguis (inquit) hominum loquar,
Et angelorum, charitatem autem non ha-
beam, factus sum velut eramentum sonor,
aut cymbalum tinniens, Et si habuero pro-
phetiam, Et sciero omnia sacramenta, Et
omnem scientiam, Et si habuero omnem fidem,
ut montes transferam, charitatem autem
non habeam, nihil sum. Quid ergo eis pro-
dest si Et lingua in sacris mysterijs habeant
angelicam, Et prophetiam quemadmodum
Cayphas, Et Saul, ut aliquando propher-
tent, quos fuisse damnabiles sancta scripsi-

ratesta-

ra testatur: si sacramenta non tantum
sciant, sed & habeant, sicut habuit Simon
Magus, si fidē, sicut damonia confessa sunt
Christum, neq; enim non credebant cum di-
cerent, quid nobis, & tibi est fili Dei, scimus
quis sis? Si dispertiant ipsi etiam substantiā
suam pauperibus sicut multi, non solum in
catholicis, sed in diuersis heresibus faciunt:
si aliqua ingruēte persecutione tradant ad
flāmas nobiscum corpus suum pro fide, quā
pariter confitentur: tamē quia separati hac
agunt non sufferentes iniūcē in dilectione,
neq; studentes seruare unitatem spiritus in
vinculo pacis, charitatē utiq; nō habendo,
etīā cum illis omnibus, que nihil eis prosunt,
ad eternam salutē peruenire non possunt.

Id etiam asserit, lib. i. contra Pelagium,
& Celestium, cap. 28. Et in Euangelium
Matthei de verbis domini sermone, 18. c.
18. & sermone, 54. de verbis domini in
Euangelium Ioannis, cap. 6. dicens, *Vt in-*
nam possint de una charitate cogitare, so-
la est enim, que & vincit omnia, & sine
qua nihil valent omnia, & qua ubi cunq;
fuerit trahit ad se omnia.

Augu lib. i.
cōtra Pela.
& Celest c.
28. tho. 7. &
in Euangel.
Matth. ser.
18. cap 18.
Et ser. 53 de
verb domi.
in Euangel.
Ioan. cap. 6.
tho. 10.

S. Lau. Iust.
in libro de
triumphali
agone Chri-
sti. cap. 14.

Idem profert diuus Laur̄etius Iustinianus in libro de triumphali agone Christi, cap. 14. his verbis. *Est namq; dilectio vite lignum spirituale, quod in electorum mentibus diuinitus plantatur, ipsius quippe radix est charitas, virtutes vero cetera spirituales rami esse noscuntur. Vbi enim est charitas, ibi & bonorum operum fæcunditas, in illa tamquam in radice virtutes universæ insertæ sunt, viuunt prorsus quandiu in dilectionis radice subsistunt: succiderat dicem, & repente rami fructus, exiccantur & folia, tolle de corde hominis iustificati charitatem, & infructuosa cetera efficiuntur virtutes. Hoc ipsum affirmat in libro de regimine prælatorum, cap. 18. vbi ait, Sane vbi viget radix charitatis, fructus laudabilium germinat actionum, tolle de corde Presulis charitatem, & nihil reperies in illo coram Deo commendatione dignum, quāmuis sua eroget, quānquam verbum Dei ubiq; disseminet, tametsi utilitatibus proximorū incumbat, nihil prorsus illi proficit ad salutem: quoniam solus Deus illud approbat opus, quod de radice chari-*

S. Lau. Iust.
in lib. de re
gim. prælat.
cap. 18.

tis intelligit assurgere, & alibi.

Charitas est abyssus indeficiens, riuis defluens, paradysus affluens, lumen irradians, cibus replens, satietas souens, exultatio eleuans, vincula vniens, amor liquefaciens, gustus inebrians, sicut ordinatur a Deo ita cunctas ad eum dirigit actiones, intentiones, & affectiones, que quanto purius exercetur, tanto vehementius ipsam de qua prodeunt augent charitate, vici sim nanq; famulantur, & perfectio operis, & effectio charitatis, & alibi.

Charitatis
encomia.
Idē in lib.
de discipli-
na monasti-
cæ conuer-
sationis, ca
10.

Ista præcedente, ac comităte sancti naturā vicerunt, superauerunt dæmones, de bellauerunt mūdū, subegerunt se ipso s, carnis lenocinia cōtēpserunt, diripuerunt cœlū, coronasq; perpetuas possederunt, imitato res facti sunt Dei. Quid referā amplius? præcedit miraculorū operationē, prophetia donū, linguarū genera, interpretationē sermo nū, sanitatiū gratiā, naturaliū scientiā, & cognitionē coelestiū, multi talibus ornati perierunt, charitate autē nemo. Semper charitatis desiderio munitus incedat, qui vi cœlorum conatur diripere regnum.

Idē in libri
de interior.
cōficiu, c.9.

Ad Galat. 5. d.
 Sed hoc ipsum multò priùs ab Apostolo Paulo explicatum est; ait enim ad Galatas, 5. cap. In Christo Iesu neq[ue] circuncisio aliquid valet, neq[ue] preputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Et, 1. Corinthior. cap. 13. Si linguis hominū loquar, & angelorū, charitatē autem nō habeā, factus sum velut assonans, aut cymbalū tinniens. & si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnē scientiā, & si habuero omnē fidē ita ut montes transferam, charitatem autē nō habuero nihil sum. Et si distri- buero incibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem nō habuero, nihil mihi prodest. Horum omniū est ratio.

Virtus in vnaquaq[ue] re dicitur, quæ finē sequitur, & attingit suū, vt virtus ignis est calor, oculi vis illa interna ad vidēdū, atq[ue] ita in cæteris, finis autem noster non is est, quem naturæ nostræ viribus persequi, cōsequi ve possumus, vt in alijs rebus videmus, sed longè excelsior & præstantior, est enim Deus ipse, quo nihil est, aut sublimius, aut ab humana natura remo-
 tius.

tius. Vnde recte diuus Augustinus lib. I. confessionum capite primo ait, *Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perueniamus ad te. Ac quoniam nihil ad cupiditatem sui concitare animū potest, quod non sit ante perceptum, & cognitum, & ad huius finis cognitionem peruenire natura non poterat, necessariū omnino fuit, ut docenti, & patescenti Deo fidem haberemus, quam statim consequeretur spes, ideoq; ad Hebræos vndecimo scripsit Apostolus, *Sine fide impossibile est placere Deo, & credere oportet accedentem ad Deum, quia est, inquirentibus se remunerator. Quis enim ad Deum accederet nisi preiret, & duceret fides? aut quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?**

Aug. lib. I.
cont. cap. I.

Ad Hebr. II

Ad Rom. II

Ad hunc finē ita cognitum virtutes morales, quæ sponte sua naturale hominis bonū modō spectant, aspirare nō possunt, nisi adsit charitas quasi regina, quæ illas excitet, ut in Deum, quem vnum obiectum habet, erigantur: & sc̄ ac opera sua omnia conuertant. Id etiam in fide vsu venit. Fic-

ri enim potest, ut cum quis crediderit certam beatitudinem bonis viris propositam esse, aut desidia torpeat, aut difficultate deterreatur, penitusque cesseret. Quod si omnes virtutes sine ad quem natu, & instituti sumus sine charitate adipisci nequeunt, consequens est, nec illas proprias hominis esse virtutes, abiecta charitate. Nam virtus cuiuscunq[ue] rei est qua ad finem suum

Augu.lib.5. venit, hac ratione vñscit diuus Augustinus
de ciu.C.12. lib.5.de ciuitate Dei, cap.12, ita aiens, Nec enim est vera virtus, nisi qua ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est. Et lib.11. cap.25. docet, virtutes nisi ad Deum referantur (quod est proprium munus charitatis) vitia esse potius quam virtutes.

Sed eò redeat, vnde digressa est oratio, ostendamusq[ue] altero arguimento, virtutes, sciuncta charitate, non efficere gloriam. Qui charitatem non habet in visus Deo est, cum nihil Deus nisi peccatum oderit, hunc ipsum peccatorēm esse, & improbum necesse est. Quis vero ita demens animi erit, qui hominem impium, & Dei (hoo

est bonitatis ipsius) inimicum, gloria dignū existimet? cùm de viro bono, atq; perfecto psalmo, 14. scriptum sit, *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat.*

Psalms. 14.

Quòd si quis contra disputet cōsequens esse hinc, nullum vñquam gloriosum fore, cùm non de alijs modò, verūm neq; de nobis quidem metipsis scire valeamus, vtrum odio, vel amore digni simus? hic meminerit sāpe dictum à nobis, gloriam non scientiæ, sed opinionis genere contineri, cuius eam esse naturam, vt, & si firma sit, tamen non possit à formidine esse sciuncta. Non potest igitur exploratissimum esse, præditum esse charitate quenquam, at exploratum est perspici quedam solere, quibus se latens charitas manifestam facit. Quemàdmodum Matthæi cap. 7. ait dominus, *A fructibus corū cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis rubas? aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.* Et charitatis effecta habemus ita eleganter à diuino Paulo scripta, i.

Matth. 7.

Charitatis
effecta.

1. Corin. 13. Corinthiorum cap. 13. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non amulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, siue prophetia euacuabuntur, siue lingua cessabunt, siue scientia destruetur, ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum esse parvulus loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando autem factus sum vir, euacuavi quae erant parvuli, videmus nunc per speculum in anigate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum, nunc autem manent fides, spes, charitatem hac, maior autem horum est charitas.

Ijs ita animaduersis licet de quo quis probabiliter iudicare. Ergo cum videamus hominem temperatum, & sobernum,

brium, nemini nocentem, alios iuuātem, mitem, pietati deditum, (& si quædam le-
via vitia habeat, sine quibus hīc non viu-
tur) rectē existimamus, & credimus chari-
te affectum esse.

Ex quo etiam efficitur ut si egregium
aliquod factum cernamus, quod tamen se-
se ipsum prodat, ac indicet, non ex chari-
tate, sed ex vitiata radice natum, ut ex am-
bitione, ex cupiditate gloriæ, ex ira, ex ma-
levolentia, minime id in illis esse nume-
randum, quæ gloriæ efficientia dicuntur.
Sed si vitiositas non ita deprehendatur,
rectē omnia sunt interpretanda, putan-
dumq; virtutis opus factum esse omni ani-
mo virtutis.

Sed sit iam tertia conclusio. Solæ ex re-
bus omnibus virtutes propriè, verèque
efficiunt, & pariunt gloriam. Ex quo
illud diui Augustini tractatu centesimo in
Ioannem. *Cum de aliquo per Deum, &*
propter Deum iusto, (hoc est veraciter
iusto) causa ipsius iustitia, frequens est
sama cum laude, vera quidem gloria
est. Hoc quāmuis ijs, quæ hactenus di-

3. Concluſ.

Aug. tracta.
100. in 101.

seruimus, non consentaneum est modò, sed etiam consequens; adhuc confirmandum, & stabiliendum est. Nec vero hinc loca ex sanctorum patrum libris afferam, neq; enim est in illis quidquam frequentius, aut firmius, & superuacaneum planè foret, cū animaduertamus in scripturā vnam gloriæ productricem, & parentem, cōfirmari virtutem: qualia sunt multa quæ cap.6.adduximus. Quale est illud psalmi, 5. *Gloriabantur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.* Et psalmo, 31. *Gloriamini omnes recti corde.* Et Ecclesiastici 10. *Gloria diuitium honoratorum, & pauperum timor Dei est, non despicere hominē iustum pauperem, & non magnificare peccatorem diuitem.* Et cap.23. *Gloria magna est sequi dominum.* Atq; hinc fit, vt qui malis artibus gloriam querunt, rideantur, & exagitentur, quod ea aliunde quam ex virtute oriri nullo modò queat, vt psalmo 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Et psalmo, 93. *Visquequo peccatores domine? usquequo peccatores gloriabantur?* Paulus vero grauissimè, &

Psalm. 5.

Psalm. 31.

Eccles. c. 10

Idem, 23.

Psalm. 51.

Psalm. 93.

vrbaniſſimè, 2. Corinthiorum, cap. 5. ad^{2. Corint. 5.}
 eos, inquit, *Qui in facie gloriāntur, & non
 in corde.* Ac si dicat p̄fēdo Apostoli ven-
 dicabunt illi quidem gloriā exteriū ſibi
 apud imperitos, & rudes, ſed ipſi ſibi teſtes
 ſunt impudentiæ ſuæ, int̄n in corde nun-
 quam ſe dignos gloriæ iudicabunt, quòd
 eam viris bonis debet intelligunt ſe autē
 plenos ſceleris, & fraudum vident. Vnde
 abſit ut de ſceleribus, vel de perpetratis
 criminibus commendari debeat homo,
 qui ratione dirigitur, ſicut iij quos p̄phē-
 t̄ p̄tēdarguens ait, *Gloriantur cùm malefe-
 cerint, & exultant in rebus pessimis.* Non
 enim peccata honorabile, ſed potius delin-
 quentem reddunt in glorium. Hæc planè
 est vera ſententia, quamvis aliter p̄pheta
 ſentire videatur, quum dicat psalmo, 9.
*Laudatur peccator in deſiderijs animæ
 ſua, & iniquis bene dicitur. Vt trunq; recte
 prolatum eſt, licet interſe diſſidere appa-
 reant.* Laudatur vtiq; peccator cùm pro-
 peratur in via ſua, cùm floret ad tempus,
 cùm honoribus ſublimatur, cùm huma-
 na effertur laude, & gloria, cùm locuple-
 tatur

Liber secundus,

tatur diuitijs, cùm voluptatibus carnis impinguatur, & transitorijs bonis repletur: laudatur (inquam) sed ab ijs qui solum ea quæ carnis sunt sapiunt, & qui inuisibilia esse non credunt, atq; alteram vitam esse negant: nec non & ab illis, qui futorum, et æternorumq; bonorum spe carent, tantummodò terrenis in hærentes, huiusmodi profectò non possunt non laudare quod diligunt, quod querunt, quod ambitionant, & quod finem suum esse cōstituūt. Horum quippe laus quùm nulli sit veritati innixa, nulla ratione roborata, nulloq; fano directa iudicio, tanquam periculosa, veluti falsa, & sicuti inanis, & breuissima est omnino spernenda, atq; calcada. Quid propheta de peccatorum sentiat gloria, audi psalmo, 36. *Vidi (inquit) impium super exaltatum, & eleuatū sicut cedros Libani, transiui, & ecce non erat, quæsui, & non est inuentus locus eius.* Idemq; ait, *Et adhuc pusillum & non erat peccator, quæres locum eius & non inuenies.*

Pater igitur ex his quòd peccatorum laus, vel gloria momentanea est, temporaliis,

lis, atq; delenda: laudato autem nullā confert gratiam, beneficiū nullum: pari enim tempore laus, laudatusq; deficiunt, dicente propheta psalmo, 9. *Per ijt memoria eorum cum sonitu.* Impudentissimum itaq; esse dixerim de alieno quempiam gloriari, intelligat quod suū est & palam cognoscet nulla dignum esse laude vel gloria.

Nec est autem quod hæc in nostris libris miremur, cùm ethnici quoque certū id & exploratum semper habuerint, vide licet natura ipsa docente, & illis quasi stimulis ad honestatem incitante. *Socrates* (vt in secundo libro de officijs refert Cicero) *hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam dicebat, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset.* Quod eidem ferme verbis scriptum Xenophon reliquit in calce libri primi de dictis, & factis Socratis. Ac apud hunc ipsum Cambyses ita Cyrum filium alloquitur, *Non est filii compendiosior via, quam earum rerum quarum videri vis prudens, habere prudiam.* Marcus Tullius ad Plancum scribit,

Psalm. 9.

Corint.

Ad Gal.

Cicer. in 2
lib. de offic.

Xenoph. in
fin. lib. 1 de
dictis & fa-
ctis Socrat.

M. Tullius
ad Plancū.

Et in, 2. de officijs. scribit, *Verū decus in virtute possum esse.*

Idq; in, 2.lib. officiorū latissimè, & alijs sæpe confirmat in locis. Salustius (quod valde probatū est Augustino, lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 12. & 19.) initio historiæ ait, *Bonos, et ignavos aquè sibi optare imperium, gloriam, et honores: sed illos vera via, (hoc est virtute) niti, hos quia bona artes eis dessunt, dolis, atque fallacijs contendere.* Macrinus Imperator fertur, (qui Seuero, Antoniòque successit) scripsisse ad Senatum, se quāuis equestris esset ordinis, non indignum imperio fore, fortuna munera etiam in malis inueniri, sed animi virtutem propriam cuique conciliare gloriam, & honorem. Hoc insitum habuisse Romanos decorum apud illos ædes indicant, quas coniunctissimas cōstituerunt virtutis, & honoris, pro dijs habentes quæ dantur à Deo. Vnde intelligi potest quem finē volebant esse virtutis, & quo eam reprobabant qui boni erant (ad honorē scilicet) nam mali nec habebant eam, quāuis honorem habere cuperent, quem malis artibus conabantur adipisci. Melius laudatus

Aug. lib. 5.
de ciuit. ca.
12 & 19.

dat us est Cato, de illo quippe ait, *Quoniam nus petebat gloriam, eò magis illum sequebatur.* Quandoquidem gloria est, cuius illi cupiditate flagrabant, iudicium hominum bene de hominibus opinantium, & ideo melior est virtus, quæ humano testimonio contenta non est, nisi conscientiæ suæ. Vnde dixit Apostolus, *Nam gloria nostra hac est, testimonium conscientia nostra,* & alio in loco, *Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero.* Gloriam ergo, & honorem, & imperium, quæ sibi exoptabant, & quod bonis artibus peruenire nitebantur boni, non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Neq; enim est vera virtus nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est. Vnde & honores, quos petiuit Cato, petere non debuit, sed eos ciuitas ob eius virtutem, non petenti dare.

Sed ethnicos iam omittamus. *Gloria in nullo cohæret, nisi in eo qui virtutis particeps est,* (ut saepe diximus) à sola ergo virtute efficitur. Nam tametsi fieri

*2. Corint. 1.
Ad Gala. 6.*

ri queat ut aliquis probatissimis moribus
in gloria non sit, illud nunquam impetra-
bitur, ut gloria sine virtute reperiatur.
Imo verò si aliquando virtus debita glo-
ria fraudatur, id non ex natura ipsa rerum
fit, sed quia aut se ipsa data opera abscon-
dit, & tegit: aut viri boni non adsunt, qui
abiectis affectibus, rectè atq; incorruptè
iudicium ferant. Etenim silucem, atque
oculos hominum non formidat, neque
refugit honestas, quicunq; intuebuntur
boni (ex quorū iudicijs constare gloriā di-
ximus) non poterunt continere se se, quin
eam ament, exosculentur, prædicent, effe-
rant, vulgus autē imperitū, & rude, & si in-
vidia, aut odio reticeat aliquando, & disi-
mulet, tamen insito naturæ lumine, & vi
ipsa admirāda veritatis, & penitus cognos-
cere, & perspē etiā diligere cogitur. Ut er-
go ignis vera caloris causa est, nō quia ca-
lefacit semper, sed quia in apta eū semper
materia ingenerat: ita virtus simpliciter
est causa gloriæ, quia eam vbique efficit,
si spectatores adsint, & iudices. Nul-
la enim causa adeò efficax, & valens
est,

est, ut aliquid efficiat, si quidquam eorum
desit, quod est ad faciēdum necessarium.

Ad hæc. Omnes res tūm demum laudantur, cùm id rectè faciunt, quod natura
re congruit suæ, & quòd sibi, eò ipso quòd
tales sint, proprium est, ut pictor cum
pictura oculos tenet, tibicen cùm suauis-
ter canit, etiam eques cùm apte, & celeris-
ter currat, medicamenta cùm humores
purgant, cùm inducunt sanitatem. At
proprium munus, propriusque hominis
actus, (ut homo est) est rectè, & cum ratio-
ne conuenienter operari, ut autor est Aris-
toteles primo libro Ethicorum ad Nico-
machum capite septimo, est enim animal
particeps, composq; rationis. Tunc igitur
solum laudē, & gloriam homo meretur,
cùm nihil à ratione, (hoc est, à proprio na-
turæ suæ munere) discrepat in agendo.
Atqui id vna efficit virtus, est enim nihil
aliud quam in se perfecta, & ad summum
perducta natura, (ut in primo de legibus
inquit Cicero) Ergo fundamentū, & cau-
sa cōmendationis, & gloriæ est virtus, sine
qua nihil potest esse laudabile, ex quo fit

Arist. t. lib;
Ethicar. ad
Nico. ca. 7.

Cicer. in t.
de legibus,

Liber secundus,

vt homines callidos, & fraudulentos, & impios, quāmuis diuites, quāmuis potentes, quāmuis eruditos & nobiles, contemnamus, atque detestemur: iustos autem, & pios, et si nec opibus, nec literis, nec genere polleant, ob id ipsum quod boni sint, natura suspiciamus, & maximis laudibus esferamus. Ex quo cernitur virtutem se ipsa contentam esse ad gloriam: nec alienis opibus ad commendationem indigere. Nam quāmuis ipsa, etiam si a nemine laudetur, pulchritudine sua esset, specieque laudabilis, tamē eos amores excitaret sui, ita maiestate, splendoreque mirabili omnes allicit, vt facile hominibus persuadeat se esse fontem, initiumque laudis, nihil sine se verē diligēdum, aut probādū. Intelligūt hoc etiā qui ab ea lōgissimē absunt, nihil enim tā nefariū moliūtur, vt nō aliqua virtutis simulatione inuoluāt, & tegāt. Itā que ille qui flagitiosimæ cædis autor erat vtilitatē reipublicæ prætexebat, quę vbiq; est anteponēda priuatæ. *Expedit* (inquit) *vt unus homo moriatur pro populo ne tota gens pereat.*

*Iean. iii. 10
et uniuscuiuslibet*

Hæc quāuis satis probata, & constituta videantur, vrgebit fortasse aliquis, extare nō parū multos, semp̄ēr̄q; extitisse, qui eō dignitatis, glorięq; sine virtute venerint, quō paucissimi omnibus honestatis præsi dijs circūscripti perueniēt. Si qui sunt (vt in regibus & iudicibus) crudeles & imma nes, seueri & iusti nominātur. Avarus cau tus, & prudēs dicitur, beneficus qui prodigus est, fortis qui audax, & temerarius. At que ita vitiosi & pestilentes homines, sāpē in laude, & gloria viuunt, & rectis ac pro bis semper anteponuntur.

Sed hanc rationē nisi frustra hæc tenus tā multa diximus, facile infirmabimus. Nam si animū aduertimus ipsa se suo (vt aiunt) gladio iugulat. Ponit enim gloriā soli vir tuti dari, laudarique illos confitetur, quia et si improbi sunt virtute præstare quāma ximē putantur. Omnes igitur cōsentient honestatē esse parētē gloriæ, quāmis ob ignoratū vitij, virtutisque discriminem, errēt in iudicando. Sed in hoc ego errore atque in hac ignoratione, quæ vulgo familiaris est, nego bonos, atq; prudētes viros (quo dūrum

rū sentētiā in gloria exposuimus) posse
 versari: soli enim de mediocritate virtutis
 deq; more rationū recte existimāt (vt lib. i.
 diximus,) cernūtq; plurimū interesse inter
 ea, quæ à multitudine coniuncta, & copu-
 lata censem̄ur, quod si deciperentur ali-
 quādō propinquitate illa recti, atque pra-
 ui, non potest esse diurna deceptio, res
 se se ipsa indicat. Nec ita vitium simulare
 virtutem potest, vt nō breui agnoscatur.
 Itaq; cito abit, & euaneat gloria illa po-
 pularis, quę fallaci honestatis specie nite-
 batur. Altera quæ solidiores habebat radi-
 ces, permanet, atque etiam propagatur.
 Diuinitus ergo sacrilibri docent, iustorū
 stabilem esse, diurnamq; gloriam. Vt Ec-
 clesiastici. c. 44. Corpora ipsorum in pace se-
 pulta sunt, & nomen eorum vivit in gene-
 rationem, & generationem, sapientiam ip-
 sum narrant populi, & laudem eorum
 nuntiet Ecclesia. Et capite quadragesimo
 sexto. Ut sit memoria illorum in benedictio-
 ne, & ossa eorū pullulent de loco suo, & no-
 men eorum permaneat in eternum, perma-
 nens ad filios illorum sanctorum virorum
 gloria. Et capite quadragesimo quinto.

Ecclesiast.
c. 44.

Idem c. 46.

Idem c. 45:

Phinees filius Eleazari tertius in gloria
 est, imitando eum in timore Domini, & sta-
 re in reverentia gentis, in bonitate, & ala-
 critate animæ sua placuit Deo Israel, ideo
 statuit illi testamentum pacis, principem sa-
 ctorum, & gentis sua, ut sit illi, & semini
 eius sacerdotij dignitas in eternum, & tes-
 tamentum David regi filio Iesse de tribus
 Iuda, hereditas ipsi, & semini eius, ut da-
 ret sapientiam in cor nostrum iudicare gen-
 tem suam in iustitia, ne aboleretur bona ip-
 sorum, & gloriam ipsorum in gentem eorum
 eternam fecit. Et capite quadragesimo Idem c. 44.
 quarto: Abraham magnus pater multitu-
 dinis gentium, & non est inuentus similis
 illi in gloria, qui conseruauit legem excelsi,
 & fuit in testamento cum illo, in carne eius
 stare fecit testamentum, & in tentatione in-
 uentus est fidelis. Ideo iure iurando dedit
 illi gloriam in gente sua, crescere illum qua-
 si terra cumulum, & ut stellas exaltare se-
 mene eius, & hereditare illos a mari usque
 ad mare, & a flumine usque ad terminos
 terre. Et, c. quadragesimono. Memoria
 Iosiae in compositione odoris facta est pigme Idem c. 45.

Q. 8. Liber secundus.

tarij in omni ore quasi mel indulcabitur
eius memoria. Et ut musica in conuiuio vi-
ni. Contra vero laudem scelere, flagitioq;
partam, quam ocyssimè aboleri: Vt Esa:æ
vigesimo tertio. Dominus exercituum
cogitauit hoc, ut detraheret superbiam
Ecclesiasti-
cic. 44. omnis gloria, Et ad ignominiam dedu-
ceret uniuersos inclytos terræ. Et Eccle-
siastici quadragesimo quarto: Qui de illis
nati sunt, reliquerunt nomen narrandi
laudes eorum, Et sunt quorum non est me-
moria, perierunt, quasi qui non fuerint, Et
nati sunt quasi non nati. Et Salomon
proverbiorum capite decimo, nescio vtrū
breuius, an pulchrius? *Memoria iusti cum*
laudibus, Et nomen impiorum putrefacet.
Psalms. 48. Et regius propheta psalmo quadragesi-
mo octauo: *Ne timeas cùm diues factus*
fuerit homo, Et cùm multiplicata fuerit glo-
ria domus eius, quoniam cùm interierit,
non sumet omnia, neq; descendet cum eo
gloria eius: sicut ones in inferno positisunt,
mors de pascet eos, Et dominabuntur eorū
iusti in matutino, Et auxilium eorū ve-
taceat in inferno à gloria eorū. Et Danielis
quinto

quinto: *Quando autem elevatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiā, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est.* Et Osee 4. *Qui a te* ^{Osee. 4.} *scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fugaris mihi.* Et, *Oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego secundū multitudinē eorum sic peccauerunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Et multis alijs in locis.

C A P V T. IX.

Quæ virtutes potissimum valeant ad gloriā?



T S I OMNES virtutes pro se quæq; ad gloriā valent, quædam tamen magis eminēt, & apparēt, de quibus est hoc loco differendū. Marcus Tullius quidē in 2. libro de officijs summā, & perfectā gloriā constare dicit ex tribus his, *Si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat.* Amorē multitudinis beneficijs, & benefica volūtate cōmoueri maximē, tū ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei, omniūque earum virtutum,

Cicer. in 2.
de offic.

que pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem, fides ut habeatur duabus rebus effici putat, iustitia & prudentia. Admiratione, & honore digni habentur iij, qui singulares & excellentes virtutes adepti putantur, & huiusmodi esse, ut ijs virtutis careant quibus alij non possunt facile obsistere. His verbis ostendisse mihi Marcus Tullius videtur (quatum homini licuit ethnico) quae virtutes essent potissimum aptae ad gloriam. Quae sunt paulo vberius encleanda, ut res tota intelligatur.

t. conclus.

Virtutes que ad alios referuntur, id est quae profundunt ceteris, nec exerceri sine illis queunt, mirificam vim ad gloriam habent. Nam gloria ex benevolentia, & admiracione eorum, qui iudicaturi sunt nascitur, & augetur. Et quoniam emolumentum querunt suum, eos praeter ceteros amore, & admiratione dignos putant, qui nati ad homines iuuandos, & oblectandos vindetur. Tum quoniam hec virtutes maxime apparent, & inconspectum cadunt, virtus autem nullam gloriam parit, si celletur, & latecat. Huius generis sunt, iustitia, fortitudo,

tudo, liberalitas, magnificentia, mansuetudo, amicitia, patientia, obedientia, comitas affabilitasque sermonis. Iustitia quæ leges tuetur, vim repellit, corrigit iniuriam, ciuitates, & regna conseruat, ingentem gloriam conciliauit, Mosis, Iosue, Samue-li, Dauidi, Salomonis, Ezechiæ, Iosicæ, Danieli etiam in causa Susannæ, & senu. Fortitudinem vero nō cā dico, quæ in corporis firmitate, & robore cernitur, nihil enim hæc ad gloriā: nec qualis in Hectore, atq; Diomede ab Homero fuisse memoratur, qui infamie, & increpationis metu magnis se periculis offerebant: qualis etiā in Turno cum ait,

Dextra nec Drancis dicta refellam,

*Terga dabo, & Turnum fugientem hac
terra videbit.*

Visque adeò ne mori miserum est?

De ea ergo loquimur quæ viriles, & robustos animos incitat, ut parentū, aut patræ, aut religionis charitate, omnia dura, & difficultia contēnat, & in periculū corporis, si necesse sit, atq; in vita diserint te inferant. Hac multi clarissimi extiterūt est

Virg. lib. 12.
Æneida.

Gen. 14.

enim mirè ad gloriā efficax : vt Abraham in cæde Regū, Moses, Iosue, Iudeon, Sāson, Dauid, Iudith, Daniel, & tres adolescentes, Mathathias & ciuius filius Machabēus & alij. Post Christum verò natū Apostoli omnes, Stephanus, Ignatius, Laurentius, Vincentius, alijque martyres innumera-biles, qui tam diu laudabuntur, dum memoria rerū Christi manebit. Ad hūc modū

2: conclus.

possimus de cæteris exempla profferre.
At virtutes quæ etiā in solitudine exse-
qui munus suum possunt, nec alios mul-
tūm iuuant, vt temperātia, modestia, mag-
nanimitas, humilitas, pœnitētia, ac etiam
religio, & si sunt maximæ, atque preclarissi-
mæ, non magnopere profundunt ad gloriā,
nisi ad id exuperantiæ venerint, vt com-
munem hominum conditionem quodā
modò transcendere videantur. Quas Aris-
toteles in septimo libro ad Nicomachum
capite primo, Heroicas vocat, talesque es-
se dicit, quales in Hectore Priamus puta-
bat, quem iam non ex homine, sed ex Deo
quodam genitum videri aiebat. Exempli
causa paucos nominabo, vt Ioannem

Arist. lib. 7.
ad Nic. c. 1.

Baptif-

Baptistam in quo temperantia grandior fuit, qui agresti melle, locustisque alebatur, vinum, ac siceram non bibit, ut Daniel, Ananiam, Azariam, Misaelem, qui cibos regios, & pocula respuebant, aquam & legumina, & quidem magnis precibus sibi ministrari petebant.

Marcii 11
Lucas 1.
Dan. 1.

Nominari etiā in his possunt, Paulus, Antonius, Hilarion, qui prodigiosa quadam, atque incredibili frugalitate glorio-
sissimum nomen adepti sunt.

Sed omnino tres illæ Theologicæ, si quando se in conspectum hominibus derint, veram, perfectamque gloriā cōsti-
tuunt. His septē dona spiritus ad necimus quæ ad earū (ut diximus) opera recte exer-
cēda adhibētur. *Quis vñquā gloriā illam*
æquabit, quā fide assequuti sunt antiqui Pa-
tres? quos grauissimè, & honorificentissi-
mē Paulus ad Hebreos 11. commemorat.
dicens in fine, *Quid adhuc dicam? desi-
ciet enim me tempus enarrantem de Ge-
deon, Barac, Sampson, Iepre, Dauid, Sa-
muel, & prophetis, qui per fidem vicerunt
regna, operati sunt iustitiam, adepti
sunt*

Ad Hab. 11

332 . Q. Liber secundus,

sunt reprimissoes, obturauerunt orale-
num, extinxerunt impetum ignis, effugau-
runt aciem gladij, conualuerunt de infirmi-
tate, fortis facti sunt in bello, castra verte-
runt exterorum. Quam gloriofa fidei , &
Ad Rom. 4. spei in Abraham commendatio ? de quo
idem Apostolus ad Romanos quarto. Qui
contra spem in spem credidit, ut fieret pa-
ter multarum gentium. Et statim: *Et non*
infirmatus est in fide, nec considerauit cor-
pus suum, cum iam ferè centum esset anno-
xum, & emortuam vulnus Sarra: in repro-
missione etiam Dei non habitauit diffiden-
tia, sed confortatus est fide, dans gloriam
Deo, plenissimè sciens quia quæcunque pro-
missit Deus, potens esset facere.

3. conclus. Sed in tota dignitate, & gloriæ princi-
patū, & dominatum charitati demus. Nā-
que nèque cæterę sine ea quidquam effice-
rent, & ipsa per se est maxima, siue in nudā
rationem virtutis, siue in publicā utilitatē
oculos coniçiamus. Hæc est origo glorię
quæ in Christo, in Apostolis, in Martyribus
maximè enituit. At enim inter charitatis
actus vix est ullus præstantior, & admirabi-
lior,

lior vel ad gratiam à Deo incundam, vel
 ad eternam nominis celebritatem com-
 parandam, eo qui Marci capite vltimo,^{Marc. vlt.}
 præceptus est Apostolis. *Euntes in mun-
 dum uniuersum prædicate Euangelium
 omni creatura. Cuius amplitudinem præ-
 tantiamque intuens Esaias capite quin-
 quagesimo secundo, exclamat : Quidam*
^{a mortua}
pulchri super montespedes annuntiantis,
^{Ef. 5. 9.}
*& prædicantis pacem, annuntiantis bo-
 num, prædicantis salutem, dicentis Sion,*
regnabit Deus tuus. In hoc Paulus per-
 petuò gloriatur, vel quod multos do-
 cuerit, ut ad Romanos capite decimo
 quinto, *Habeo igitur gloriam in Christo*^{Ad Roma. 15.}
Iesu. Explicat autem quæ sit gloria: Ita ut
^{ab Hierusalem per circuitum usque ad Illy-}
ricum repleuerim Euangelium Christi.
 Vel quod nulos sumptus in docendo fe-
 cerit, ut prima Corinthiorum capite 9.
^{1. Cor. 9.}
Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnū
est si nos carnalia vestra metamus, si alij
potestatis vestrae participes sunt, quare non
*potius nos? Sed non vñsumus hac potesta-
 ter sed omnia sustinemus, ne quod offendit*^{11. 20. 12.}
culum

Liber secundus,

culum demus Euangelio Christi: Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, qua de sacrario sunt edunt? & qui altari deseruiunt, cum altari participant? ita & dominus ordinavit ihs, qui euangelium annuntiant, de euangelio viuere. Ego autem nullo horum usus sum. Et prima ad Thesaloni

ad Thesa.
cap. 2.

censes secundo: Memores enim estis fratres laboris nostri, & fatigationis, nocte & die operantes, nequem vestrum grauaremus, predicauimus in vobis Euangelium Dei. Vel quod contumelias, & opprobria,

1. Cor. 4.

& cruciatus, & omnia genera calamitatū eius muneris causa pertulerit, ut prima Corinthiorum capite quarto, Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudis sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi, facti sumus omnium peripsema usque adhuc. Et secunda Corinthiorum capite undecimo. Plus ego in

2. Cor. II.

laboribus plurimis, in carceribus abundanter,

tius, in plagiis supra modum, in mortibus
frequenter, a Iudeis quinques quadrage-
nas una minus accepi, ter virgis casus sum
semel lapidatus sum, ter naufragium feci,
nocte & die in profundum maris sui, in iti-
neribus sape, periculis fluminum, periculis
latronum, periculis ex genere, periculis ex ge-
tibus, periculis in cimitate, periculis in soli-
tudine, periculis in mari, periculis in falsis
fratribus, in labore, & arumna, in vigilijs
multis, in fame, & siti, in iejunij multis, in
frigore, & nuditate. Et in eadē epistola, ca-
1. sic ait: Nō enim volumus ignorare vos
fratres de tribulatione nostra, qua facta est
in Asia, quoniam supra modum grauati su-
mus supra virtutē ita ut taderet nos etiam
viuere, sed ipsi in nobis metipſis responsū
mortis habuimus, ut non simus fidentes in
nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui
de tantis periculis nos eripuit.

Aliquando etiam in discipulorum pro-
fectu ut secunda Corinthiorum c. 9. Nam
de ministerio (inquit) quod fit in sanctos
ex abundanti est mihi scribere vobis: scio
enim promptum animū vestrū, pro quo u
vobi

Liber secundus,

1. ad Thes.
2.

vobis gloriō apud Macedones. Et in secūda ad Thesalonicenses capite primo. Graias agere debemus semper Deo pro vobis fratres ita ut dignum est, quoniam super crescit fides vestra, & abundat charitas unius cuiusque vestrum in inuicem: ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesijs Dei pro patientia vestra, & fide in omnibus persequitionibus vestris, & tribulatiōnibus, quas sustinetis.

Hieron. in
Epist. ad fa
biolā, quæf
tione 127.
māsione 41.

Exposuimus veræ gloriæ causam, quā tū nobis Pater ille luminū dedit. Sed quoniā vt rectē admonet diuus Hieronimus in Epistola ad Fabiolā, Nihil tā periculosoū est quā gloria cupiditas, & iactātia, & animus cōsciētia virtutū tumēs. Intelligemus gloria quidē dignas esse virtutes, sed talē in ea quērenda modū ad hiberi oportere, qualē in superiori libro diximus. Animad uertemus etiā non virtutes modo, sed gloriā quoq; ipsā à Deo dari, vt apud Homerū Agāmēnō iratus Achilli ait, *Si ipse abierit, apud se esse multos quorū virtute summa gloriā consequatur, sed praciūe consilio- rum omnium autore Iouē.* Cum hęc itaq;

perspe-

perspeximus, si voluerimus gloriam, non erimus insipientes, non enim in nobis, sed in Deo gloriabimur, quod quid sit? quoq; modo valde cum humilitate consentiat? libro primo capite decimo septimo copio se ostendimus.

CAPVT. X.

An cetera bona prater virtutem adiumento sint ad gloriam?

AB E M V S iam fontem ipsum, & initium gloriae, cōstititq; neq; corporis, nēque fortunę, neq; verò animi bona si- ne virtute gloriam ullam es- sicere. Nunc paucis quæramus, an cum honesto ipso consociata, atq; coniuncta adiumento esse possint ad eam, & gignē- dam, & nutriendam? & quamuis illud in primis obstare videatur, quod à nobis etiā ipsis sæpè dictum est, si quādo, qui his præ- ditus esset gloriam haberet, eam non illis, sed virtutib; tribui: tamen non est inficiandū ea, (& si non æquabiliter omnia,) cū virtu-

te copulata conducere ad ortum, & incrementū gloriæ, idq; tribus maximè causis.

Primum, quia virtutis, vnde gloria derivatur omnibus, instrumenta sunt, eamq; saepe numerò vehementer ad actiones suas iuuant, deinde quoniam gratior, & commendabilius est virtus his adiuncta, multoque maiore benevolentiam, & admirationem commouet, quam si per se esset, quæ duo sunt ad gloriam pernecessaria.

Tum etiam quod virtus nunquam est in gloria, nisi cū in media luce, ac in oculis hominum exponitur. Hæc autem bona sœpè sunt signa virtutis, cāmque quasi latentes detegunt, atque indicant, aut eiusmodi, ut frequentissimè cum virtute certantur. Hæc facile erit exemplis patefacere si oratione singula percurramus. Proceritas, & velocitas, vires, nerui, firmitasque corporis mirum emolumentum fortitudini afferunt, atq; etiam ceteris virtutibus, quæ quidē firmo & robusto corpore indigent ad ferendos labores: nec solum sunt instrumenta fortitudinis, sed etiam signa; ut primo regum decimo septimo

timo. Goliath ille Saulem Regem, Hebræosq; omnes in usitata corporis magnitudine terrebant, iudicabant enim summā esse in tam vasto corpore ad bella gerenda facultatem. Et alacritatem in forma vere magnam esse virtutis significationem sat is in, i. cap. diximus. Mouet quodque multum ut probi esse studeamus, dum consideramus indignum facinus esse, honestā faciem, morum, ac vitę turpitudine maculare. Cuius rei gratia Bias ille Prienensis iubebat omnes se in speculo contemplari, ut formosi ad honestatem accenderentur, turpiores naturae vitiū integritate, & probitate corrigerent. Magnam verò commendationem, magnum fauorē hominum virtuti conciliat, ut apud Virgilium.

*Diog. Laer.
in eius vita*

Tutatur fauor Euryalum, lacrimeque decora,

*Gratior & pulchro veniens in corpore
virtus.*

Sine diuinitate nec liberalitas, nec magnificientia exerceri potest, neq; eleemosynarum largitas, quæ præstantissima, & gloriosissima est. Nec otium suppetere potest

*Virg. lib. 5.
Eneid.*

ad administrationem reipublicæ ad contē
plationem rerum excelsarum: nec verò fa
cultas ad ostendendum despicientiā pecu
niæ, quæ multo melius cernitur, cùm possi
detur, quàm cùm ea caremus. Multi enim
hæc externa conténunt, quæ si haberet, re
tinerent, atq; amarent. Iam mansuetudo,
humilitas, & omnis deniq; humanitas mul
tò màgis in diuite, quàm in paupere lauda
tur. In nobilitate confirmauimus magno
rum hominum auctoritate conspici iudi
ciū, incitamentumq; virtutis. Nam quā
ta omnium gratulatione, & lætitia excipia
tur, cùm quid ab homine summo loco na
to rectè, & cum virtute gestū est, vel illud
indicat.

*Macte noua virtute puer, sic itur ad
astra*

*Dijis genite, & geniture Deos, iure om
nia bella*

*Gente sub Assaraci fato ventura re
sident.*

Nec te Troia capit.

Hoc ipsum in potentia, in honoribus, in
disciplinis, in gratijs, ac multò etiam aper
tijs,

tiūs, & manifestius cernitur, vt non sit necesse immorari in singulis.

Sed in hæc videtur esse non leue argumentū, corporis & fortunæ bona ex corū genere esse, quæ indifferentia vocamus, itaq; quasi in medio posita æquè virtuti, ac vitio adminiculō esse. Nam speciem liberalem, plenamq; dignitatis, tum vires, potentiam, & alia (quæ vt virtutis instrumēta laudamus) constat magnorum sēpe flagitiorū causam extitisse. De diuitijs quid opus est dicere cùm Matthæi, 13. spinis assimilentur? & cap. 19. legamus, *Facilius est camelū per foramē acus transire, quam diuitē intrare in regnū cælorū.* Quod siita est, quid causæ est, cur hæc potius ad gloriam, quam ad dedecus cōducere dicamus? Quæ oratio ita diluenda est. Bona corporis, & omnino bona externa, aut ex natura sua q̄s timātur, aut ex vsu, & volūtate nostra. Si ex nostra volūtate, nō dubiū est indifferentia esse, quippe quibus potest quisquā pro arbitrio, vel in bonū, vel in malū vti: quorū vt malus vsus dedecori est, ita bonus prodet ad gloriam. Verūm hoc nihil ad rem.

Matthæi, 13:
& 19.

vix enim est' quidquam ita bonum , vt ad malum hominū vitio conuersti nequeat. Si autem ea in natura sua contempleremur, non sunt indifferentia. Natura enim non ad vitium , sed ad virtutem adiuuat , & vt eius instrumenta donantur. Ac quemadmodum plantis , & animantibus omnia à natura data videmus, vt ijs ad finem , & ad munus suum iuuentur: ita quæcunq; Deus homini dedit , ad eius munus , (hoc est ad virtutem) dedit. Quòdnam autem res nō ex arbitrio vtentium, sed ex natura sua pēdendæ sunt , non sunt hæc indifferētia vocanda, sed bona , & instrumenta , atq; adiumenta virtutis. Etenim ignem, gladium, vinum vtilia dicimus , quia natura talia sunt , quāmuis ijs ad perniciē multorum vti licet. Vt ergo arietina salubris omnino iudicatur , licet ijs , qui febri afflictantur, pestilens esse soleat: ita diuitiæ , & externa omnia bona sunt, quāmuis deprauatis , & intemperantibus hominibus subsidia , & instrumenta ad libidinem , audaciāmque sint. Quod cùm à multis, aut ignoratum fuerit, aut omissum, qui hæc natura sua in diffe-

differentia putant, ab Aristotele, 5. ethico-
rum ad Nicomachum cap. 1. eleganter ex-
plicatum est. Ait enim, *Nam quia inius-
tus etiam est pluris usurpator, circa bona
nō omnia versabitur, sed circa ea tantum,
in quibus fortuna prosperitas, & aduersi-
tas consistit.* Quæ semper quidem absolu-
tè, ac simpliciter bona sunt, quibusdam ta-
men non semper, illis scilicet quibus ex di-
uitijs spinæ fiunt. Atq; hoc à natura insitū
hominibus videtur. Cùm enim diuitias in
luxuriam, arrogantiam, libidinem cōuer-
timus, non eis vti, sed abuti dicimur: quasi
testari illi palam velint, datas esse prorsus
ut adiutrices, administrasq; honestatis.

Rectè igitur constat omnia, & hæc quæ
externa dicimus, non esse aliena ab effec-
tione gloriæ, & eam non illorum, sed vir-
tutis esse. Quoniam externa minimè ad
gloriam cōserunt, nisi quatenus virtutē ad
iuuāt, aut ut melius operetur, aut ut homi-
nibus manifestior, amabiliorq; reddatur.
Itaq; semper gloria omnis emanat à fon-
te virtutis, atq; honesti.

Arif. 5. eth.
ad Nic. c. 1.

An gloria amitti possit?



ATIS iam diu de ratione pā-
rādi gloriam disputauimus.
Nunc ordo ipse rerum effla-
gitat vt videamus an ita vt
diximus parta, amitti aliquā
do queat? Nam si quis ait, ea scripturæ lo-
ca maximè obstant, quibus capite octauo
confirmauimus gloriam virtutis esse sem-
piternam, malorum memoriam perfaci-
lē extingui. Verum non est quod diū nos
teneat hæc quæstio. Neq; enim dubium
est gloriam suāpte natura esse infirmam
atq; instabilem, & eiusmodi vt perire, a-
boleari q; possit. Quod quoniam libro
primo capite vltimo copiosissimè prose-
cuti sumus, hic vnam, eandem omnium
efficientissimam rationem proferamus.
Omnis res (vt habet vetus Iurisconsulto-
rum prouerbium) per quascunque cau-
fas nascitur, per easdem dissoluitur, glo-
ria ex virtute efficitur, hæc interire po-
test, nō igitur dubium quin etiam gloria:
aliòqui

aliò qui gloria sine virtute cōsisteret; ideòque nec gloria esset. Quamobrem non iniuria Homericus Hector Diomedem fūgientem increpat, & cōuitijs incessit, aitq; cùm in magna gloria fuisset apud Græcos, timiditate illa, àtq; ignauia effecisse ut nullus sibi deinceps honor haberetur. Et nos Ecclesiastici quadragesimo septimo Eccles. 47. enumeratis peccatis Salomonis legimus, *Dedisti maculam in gloria tua, & prophaniasti semen tuum.* Diximus etiam gloriā nullam esse sine charitate, àtqui ea peccato amitti potest ut Apocalypsis secundo, *Habeo aduersus te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, & age pænitentiam.* Quòd autem virtutis gloria sempiterna dicitur, id de perfecta, stabiliq; virtute intelligitur, quæ ad mortem usque ipsam cum laude perducta est.

Illud potius quærendum videtur, semper ne gloria cum charitate extinguiatur? Nam si negemus, rem solidi virtuti debitam, apud iniustum, &

Gloria an
semper cō
charitate ex
tinguitur.

improbum hominem collocabimus. Si id absurdum putamus, cogemur aliquem magna prius virtutis opinione, & celebritate florente, repente inglorium dicere: sæpè etiam non mutata eorum sententia qui iudicabant. Fieri enim potest ut illis ignorantibus subito iste amittat charitatem. Difficilis quidem, & ardua quæstio, sed mea quidem sententia, ita respondendum est.

Conclus. Peccatum quod interitum charitati affert, aut manifestum est, aut occultum, vixq; vni, aut alteri cognitum. Quod manifestum est, ac multorum oculis expositum, si tale sit, ut opinione hominum graue, & vacuam existimetur, funditus cuerit gloriam: ut cum Petrus Christum magistrum abnegauit, Marcellinus Pontifex maximus Diocletiani Imperatoris metu sacrificium Vestę, atq; Isidi fecit. Si vero leuius sit, & ex eorum genere (in que homines frequentius incidunt) non omnino extinguit gloriam, nisi fortasse iteretur & quodammodo in consuetudinē abire videatur. Nam illi, ex quorum sententia, atq;

Matth. 26.
fur. in eius
vita.

atq; iudicio gloria constabat, magno aliquo peccato ita permouentur: ut iam de eo male existimare incipient, quem antea bonum, & honestum virum iudicabant. Leuibus verò, & quotidianis non continuò conceptam opinionem deponunt; sed aliquid communi mortalium infirmitati concedendum putant. At occultum flagitium quamuis vèhemens, & atrox nō continuò gloriam eripit, donec in aliquā notitiam cadat. Vt enim virtus non efficit gloriam, nisi cùm cognita est: ita nec peccatum eam adimit, nisi perspectum, atq; visum. Itaq; Dauidem patrato adulterio, ^{2. Reg 11.} & occiso Vria, nego gloriam perdidisse, dum vulgatum crimen non fuit. Sed vrget adhuc argumentum. Et qui palam leuius peccauit, & qui grauiter occulte, indignus gloria est, est enim iniustus, & impius, & si quas habet virtutes, sunt separate à charitate informes, & ne virtutes quidē dicendae, quo igitur pacto esse in gloria potest? Evidem haud inficiabor esse gloria indignissimum. Sed quia ea tota posita est in bonorum iudicijs, amitti non potest

est, quandiu ita de illo iuré senserint. Iure autem sentient, dum nihil scierint, quo in contrariam sententiam trahi debeant: est enim adhuc frequens de hoc fama cū laude, est clara cum laude notitia, non est ergo sine gloria. Video postrema definitione etiā num oppugnari hanc sententiam hoc pacto posse. Gloria est expressum manifestumq; iudicium bonorum de alicuius virtutibus, nulla est in hoc homine virtus, quæ quidem iure virtus dici queat: non igitur habet gloriam: quoniā non suppetit iam de quo iudicium illud feratur. Huic orationi cap.8. ex parte respondimus. Diximus quem videmus temperatum, & sobrium, & nemini nocentē, rectè existimari charitate affectum esse, & cùm in honesto opere vitiositas non deprehenditur, laudi verti debere. Quod si verum est, rectè etiam opinamur nullo modo fore veræ virtutis expertem eum, in quo nihil videmus, quod à boniviri officio quidquā discrepet. At falsum erit eo tempore iudicium illud. Ego vero fateor, sed non præceps, neq; temerarium, ideoque

con-

congruit cùm gloria. Est enim ea iudiciū, siue opinio quadam bonorum, non tem-
rē, sed prudenter & iure percepta, quæ, ta-
lis cum fuerit, verissima ne sit: an falsa esse
possit? non queritur. Etenim si certa suap-
te sponte, & exploratissima esse deberet,
nec opinio proprie diceretur, & vix illus
esset gloriosus. Quoniam itaq; gloria mul-
tis honestis actibus comparatur, in quibus
facilè cerni potest, an ex veris virtutibus
orientur, vt gignatur necessaria est chari-
tas, at vt exiguo tempore conseruetur;
satis est non intelligi abesse charitatem.
Atque id gloriae peculiare est, quoniam
tota est in hominum opinione sita, & co-
llocata.

CAPVT. XII.

*An bona fortuna exponi periculo debeant,
propter conseruationem gloriae?*

Quandoquidem explicitum est abun-
dē eiusmodi esse gloriā, vt quam
uis. multis laboribus parta amitti queat,
proximum est, vt indagemus in ea con-
seruan-

seruanda, ac tuenda, quo pactò nos gere-
re debeamus. Et quòdnam ex virtute ori-
tun, vitioq; interit, nemini dubiū est virtu-
te ipsa augeri, seruari, ali. Non est itaq; cur
hoc in questionē veniat, sed de eo potius
disputandum, an tanti esse debeat, vt eius
causa opes, dominatum, potentiam, & bo-
na alia, quæ vulgò fortunæ nominantur,
aut casibus exponenda sint, aut (si ita res
postulet) amittenda.

Principiò id minimè fieri debere his ar-
gumentis effici videtur. Quod magis est
vitæ necessarium, id ei iure anteponitur,
quod minus necessarium est: gloriam di-
uitijs minus necessariam esse constat: est
enim ea quodàmmodo necessaria, diuitiæ
verò vt ad vitam suppetat omnino neces-
sariæ sunt, ex quo illud Aristotelis in, 4. ad
Arist. 4. Eth.
c. 1. ad Nico-
machum. Nicomachum, cap. 1. patrimonij dissipati-
onem interitum quendam domini esse,
propterea quòd patrimonio, ac facultati-
bus viuitur. inquit enim, *Nam & inconti-
nentes, & eos qui in intemperantiā opes co-
sumunt, prodigos vocare consuevimus.* Id
circo huiusmodi homines esse improbi-
simi

simi videntur, debet enim prodigus esse is, qui vno tantum in vitio sit praeditus, ut scilicet fortunas suas consumat, prodigus enim seu inservatus est, qui per se ipse perditur. Nam esse sui ipsius perditio videtur, etiam bonorum dissipatio, ut pote cum ea sint ex quibus vitam traducamus. Non sunt ergo gloriæ causa abiendiendæ, atq; perdendæ.

Præterea gloriam homines appetunt, ut opibus affluant, ut dominantur alijs, ut honorentur, intelligunt ergo illa esse potiora. Quæ autem potiora sunt tueri maximè debemus.

Verum enim his argumentis, (& si quæ sunt alia) omissis non est obscurum gloriam cæteris fortunæ bonis esse anteponendam, præcipit enim natura ipsa & prudenter, ut quemadmodum ex duobus malis minus malum, ita ex duobus, aut multis bonis maius, atq; præstantius eligamus: ac illud dum teneamus facile cætera omnia in summum discrimen venire patiamur. Gloria cæteris fortunæ bonis præstat, omnium ergo iacturam facere debemus, ut eam conseruemus. Quod autem de gloriæ

1490. fol. 11

a. d. 1514
in b. d. 1514
e. q. 1. mod

Cancr. 1.

riæ præstantia dicimus, si cum diuitijs con-
feratur, perspicuum est, ex proverbijs cap.
22. *Melius est nomen bonum quam diuitia
multa.* Et Ecclesiastici, 41. *Curam habe de
bono nomine, hoc enim magis permanebit
tibi quam mille thesauri pretiosi, & magni.*
In alijs etiam non est nimis obscurum.
Nam cætera sine virtute esse possunt, glo-
ria nulla est à virtute sciuncta. Illud autem
est in unoquoq; genere melius, quod est
optimo coniunctius.

Arist. lib.4.
Eth. ad Ni-
com. cap.3.

Aristoteles etiam
lib.4. Ethicorum ad Nicomachum cap.3.
ait honorem (in quo gloriam quoq; intel-
ligit) maximum esse externorum bono-
rum: nam & dijs immortalibus tribui, &
homines in summo dignitatis gradu loca-
tos cum potissimum expetere, & præmiū
esse quoddam rerum pulcherrimarū, cu-
ius verba sunt, *Dignitas autem ad externa
bona dicitur, quorū maximū id esse statue-
remus, quod dijs attribuimus, quodq; ma-
xime appetunt, qui in dignitate constituti
sunt, quod item ob præclarissimas res dari
præmiū consuevit.* At huiusmodi est honor,
externorū enim bonorū id maximum est.

Quod

Quod si quispiam obijciat, magnam
vim pecuniae exiguæ gloriæ præstare, ideo
q; non semper diuitijs præponendam fo-
re. Respondebo id ex accidenti esse, per se
gloriam esse potiorem, in comparatione
autem non sunt summa cum infimis, sed
cum summis componenda summa. Alio-
qui facilē probare cuiuis liceret temperā-
tiam dignitate anteire charitati, signari
enim potest temperantiae actus, qui chari-
tatis actum superet. Quod autem argu-
mentum primum assumit, gloriam diui-
tijs minus esse necessariam, quoniam vi-
uere sine diuitijs non possumus: id si de af-
fluentia pecuniae, rerumq; externalium ac
cipiamus, falsum est, rectè enim sine mul-
tis pecunijs viuitur. Si vero tenuis vietus,
quali natura contenta est, & sine quo vi-
tam tueri non licet, diuitiarum nomine
intelligitur: primum vocabulo abuti-
mur, nemo enim est qui non copiam, &
quasi redundantiam quandam diuitijs
significari putat. Deinde cùm hæ sint
omnino ad vitam necessariæ, non tam
de diuitijs, quam de ipsa vita quæritur,

Liber secundus,

an posthabenda sit gloriæ? de quo in sequenti capite differemus.

Cenel. 2.

Itaque nego gloriam minus necessariam esse simpliciter, quam opes; quoniam haec mihi quidem vni necessariae sunt, illa universæ etiam reipublicæ. Quemadmodum scribit Augustinus in libro de bono viduitatis capite vigesimo secundo. *Nobis necessaria est vita nostra, alijs fama nostra.* Ut autem magis bonum est, quod pluribus est bonum, quam quod vni, ut in primo ad Nicomachum capite secundo docet Aristoteles. Ita magis necessarium est, quod necessarium est multis, quam quod paucis.

Argumentum posterius infirmum est. Nam & si verum esset gloriam ab hominibus appeti ob opes & potentiam, & honores, non valde efficeret quod vult. Etenim disciplinas homines propter pecuniam querunt, nec est qui ignoret quantum illæ magnis etiam auri aceruis præstent, ut proverbiorum capite octauo. *Accipite disciplinam meam & non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite: melior est enim*

s. ad Nic.
cap. 2.

Proverb. 8.

enim sapientia cunctis opibus pretiosissi-
mis, & omne desirabile ei non potest com-
parari.

Non est ergo ex libidine, & peruersitate
hominum de rerum dignitate existimandu-
m. Sed nec id quidem verum est: vide-
mus enim omnes facultates appetere, ma-
gistratus ambire, ut cæteris obseruantia, &
honore præferantur. Honorari autem vo-
lunt, ut viri boni censeantur, ut Aristoteles
inquit in primo ad Nicomachum capite
quinto, ac ideo a prudentibus, & bonis ma-
xime querunt honorem, cuius verba sunt.
Præterea sectari honorem ob id videntur,
ut se ipsi bonos esse credant, querunt enim
à prudentibus, & ab ijs, à quibus cognoscun-
tur. At virum bonū iudicari, quid est aliud
quam gloriosum esse: si igitur cætera ob
honorem, cùmque ob gloriam affectant,
apertè significant vnam esse gloriam, quæ
facile omnibus illis antestet.

Aristo. 1. ad
Nicom. c. 5.

CAPVT. XIII.

An liceat vitam periculo exponere propter gloriam?



AMVIS Liceat iacturam externorum bonorum facere, ut dignitatem, & gloriā retineamus: de vita iure dubitatur, ad quam illa tuendam, & degendam, conferuntur. Non enim sumus vitæ nostræ domini, sed custodes: ut sapientiæ decimo sexto testatur Salomon. *Tu es (inquit) domine qui vita, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Nam si vita in potestate nostra esset, liceret eam nobis metiپsis aliquādo magna causa ad inigere, quem àdmodum pecuniam perdere quisque suā potest, id verò nefarium est, & ab hominum natura cum primis abhorrens: si cuti multi Ethnici fecerunt, qui tantæ laudis audi erant, & gloriam humanā ita ardenter dixerūt, ut propter eam occidere se, & filios, & mori non dubitauerint: vt Curtius, qui armatus equo concito in ab

abruptum hiatum terræ se præcipitem dedit, deorum suorum oraculis seruiens, qui iusserant, ut illuc (id quod Romani haberent optimum) mitteretur.

Mucius Scæuola, qui (ut cùm Porsena Aug. ibidem
Rege pax fieret, qui grauissimo bello
Romanos præmebat) quia Porsenam ip-
sum occidere non potuit, & pro eo alte-
rum deceptus occidit, in ardente aram
ante oculos eius dexteram extēdit, dicēs,
*Multos tales qualē illum in eius exitiū
coniurasse.* Cuius ille fortitudinem, & con-
iurationē talium perhorrescens, sine vlla
dillatione se ab illo bello, facta pace com-
pescuit.

Cleombrotus Ambraciotas, qui se præ-
cipitem dedit, lecto Platonis libro, in quo
de immortalitate animæ disputauerat, vt
tradit Cicero libro 1. Tusculanarum quæ-
tionum. Augustinus primo de ciuitate ca-
pite vigessimo secundo. In cuius mortem
sequens Callimachi Epigramma est, quod
latino sermone donauit Pomponius Gau-
ricus.

Aug. 5. libro
de ciu. c. 18.

Aug. 1. de
ciuit. c. 22.
Lacl. Fir. li.
3. diuin. ca.
18.
Cicer. ii. 1.
Tusc. quæf-
tion.

Callimach.

Pomp, Gau-
ricus,

Liber secundus,

*Vita vale in muro præceps delapsus ab
alto,*

Dixisti moriens Ambraciota puer.

*Nullum in morte malū, docti sed scrip-
ta Platonis*

Non ita erant animo percipienda tuo.

Ex quo est etiam illud Ouidij in Ibin.

*Dignum morte malum non vidit, at ip-
se Platonis*

Immortalem animam legerat eſe librū:

Vel de precipiti venias in tartara saxo

Vt qui Socratum de nece legit opus.

*Aug. 1. de
ciu. c 19. &
Hiero. Epis-
to. ad Geru-
chiam.*

*Lucretia nobilis matrona Romana,
quæ magnis effertur pudicitiæ laudibus.
Huius corpore cū violenter oppresso Tar-
quinij regis filius libidinosè potitus es-
set, illa ſcelus improbissimi iuuenis mari-
to Collatino, & propinquo Bruto viris
clarissimis, & fortissimis indicauit, eosq;
ad vindictā conſtrinxit: deinde fædi in ſe
commissi egra atq; impatiens ſe peremit.*

*Hiero. ibi.
dem.*

*Sic Hasdrubalis vxor, quæ apprehensis
vtraque manu liberis in ſubiectum ſe pre-
cipitauit incendium, ne pudicitiæ damna
ſentiret.*

hoc

Hoc & fecit Carthaginēsis Regina quæ
màgis arderevoluit quàm Hiarbę regi nu-
bere , vt videre est apud diuum Hieroni-
mum Epistola ad Geruchiam. Qui etiam
refert quòd gens Theutonum ex vltimis
Gallorum Oceani, atque Germaniæ pro-
fecta litoribus, omnes Gallias inundauit,
sæpiusq; cæsis Romanis exercitibus, apud
aquaſ Sextias Mario pugnante ſuperata
eſt. Quorū trecentæ matronæ , cùm alijs
ſe viris captiuitatis conditione tradendas
eſſe didiciffent, primūm conſulem de præ-
catæ ſunt, vt templo Cereris, ac Veneris in
ſeruitium traderentur, quod cum non im-
petrarent, ſubmouente eas lictore, paruu-
lis cæſis liberis, manè mortuæ ſunt reper-
tæ ſuffocatis laqueo faucibus, & mutuis
complexibus ſe tenentes.

Multi etiam philofophi cupiditate im-
mani laudis incensi ſibi ipſis manus intu-
lerunt vt Cleantes, Crysippus, Zeno Sto-
cus, qui ſeipſum strāgulauit, Empedocles,
qui ſe in ardentis ætnæ ſpecū in tēpeſta no-
cte deiécit, vt cū repente non apparuifſet
abijſſe inter Deos crederetur. Demo-

L. A. firm.
li. 3. diui. in
ft. ca. 12, &
18.

Liber secundus,

critus, qui sponte sua letho caput obuius obtulit ipse. Menæceus, & Codrus qui etiam se voluntariæ neci obtulerunt, unus Thebis, & alter Athenis. Calanus ex Indorum philosophis, quos Gymnosophas Strab. li. 19. vocamus se etiam in rogam præcipituit (Strabone auctore libro decimo quinto.) Socrates qui se cicutę potu interemit.

Et ex Romanis Cato Uticensis, qui fuit in omni vita sua Socratice vanitatis imitator. Et fortissimi illi duo Decij, qui se occidendos certis verbis quodammodo consecrantes deuouerunt, ut illis cadentibus, & iram Deorum sanguine suo placatis, Romanus liberaretur exercitus. Et alij quā plurimi quos referunt auctores citati, & affect Iacobus Gratianus in explanatione Aresti primi amoris.

Sed hæc facta sunt ab hominibus impijs & sine cognitione fidei, & est hæresis quorundam hæreticorum, quos diuus Augustinus libro de hæresibus vocat Circumcelliones, qui nullibi si stebant, sed circuibant omnia loca, & docebant quemcunque hominem voluntariè se occidendum, aut comi-

Greg. Naz.
in car. Iāb.
de virtute.
Augus. i. de
ciu. ca. 23.
Idem. 5. de
ciu. c. 18.

Jacob. Gra.
in explana.
Arest. primi
amoris.

Aug. lib. de
Hæresibus.

comitentē alteri, vt ipsum occideret, qua
cūnque de causa martyrem esse. Quæ hæ
resis confutatur ibi à diuo Augustino. Et
in tractatu quinquagesimo primo in Io-
annem capite duodecimo. In illa verba
saluatoris, qui amat animam suam perdet
eam. Vbi sic ait. Sed vide ne tibi sub re-
pat ut te ipsum velis interimere, sic in-
telligendo, quod debes odire animam tu-
am in hoc mundo, hinc enim quidam ma-
ligni, atque peruersi, & in se ipsos crudelio-
res, & sceleratores homicidae, flammis se
donant, aquis prafocant, precipitio collis-
dunt, & pereunt. Hoc Christus non do-
cuit, imo etiam diabolo precipitum sug-
gerenti, respondit. Redi retro Sathanā,
scriptum est, non tentabis dominum Deum
tuum. Petro autem dixit, significans
qua morte glorificatus eſſet Deum, cum
eſſes iunior cingebas te, & ambulabas quo
volebas, cūm autem feneris, alter te
cinget, & feret quo tu non vis. Et Acto-
rum decimo sexto. Quando custos car-
ceris accepto gladio volebat se ipsum occi-
dere, existimans viuctos aufugisse, dixit ei

Aug. tract.
51. in Ioan;
in c. 12;

Matth. 4:

John 12:

Acto. 16:

Liber secundus,

Paulus. Nihil tale feceris, uniuersienim hic sumus. Quod non prohibuisset, si occidēs se ipsum esset martyr.

Ad hunc ferē modum fuit hæresis alia quorumdam Donatistarum contra quos agit diuus Augustinus primo libro de ciuitate capite decimo septimo, usque ad vigesimum septimum, qui docebant pœnitentem detestantem iua peccata, si ex maxima contritione & pœnitudine se ipsum occideret, non modo non peccare, verū etiam esse martyrem. Quæ hæresis rejicitur à diuo Matthæo vigesimo septimo, vbi Iudas dicitur pœnitentia ductus retulisse triginta argenteos, & se ipsum suspēdisse, quem damnatum esse est de fide, quia de fide est, illa verba psalmi centessimi octauii. *Cum iudicatur exeat condemnatus, Episcopatum eius accipiat alter.* Et ad literam intelligi de Iuda, docuit beatus Petrus Apostolus Actorum primo, cùm exurgens in medio fratrum dixit: *Viri fratres oportet impleri scripturam quā prædixit Spiritus Sanctus per os David, de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt*

Aug. lib. de
ciu. à ca. 17.
vsque ad 27.

Matth. 27.

Psalms. 108.

Actor. 1:

derunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius & hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius, & notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldema, hoc est ager sanguinis. Scriptum est enim in libro psalrorum, Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui habitet in ea, & Episcopatum eius accipiat alter. Et Christus Dominus nisi condemnatus esset Iudas non dixisset. Vnde homini illi per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei si natus non fuisset.

Math. 26.

Contra hunc errorē agit copiosē diuus Augustinus locis citatis, & lib. i. cōtra Gaudentium à cap. vigesimo quinto usque ad trigesimum secundum, & optimè primo de ciuitate à cap. 15. usque ad vigesimum octauum, & in capite decimo septimo sic ait. Nam vtique si non licet priuata potestate alicui hominem occidere, vel non centem cuius occidendi licentiam lex nulla con-

Aug. libr. 1.
cōtra Gaud.
à ca. 25. usq;
ad 32. & i.
de ciuit. à c.
15. usque ad
28.

la concedit : profectò etiam qui se ipsum occidit, homicida est : & tantò sit nocentior cùm se occiderit , quantò innocentior in ea causa fuit , qua se occidendum putauit. Nam si Iudæ factum meritò de testamur , eumque veritas iudicat , cùm se laqueo suspendit , sceleratae illius traditionis auxisse potius quam expiassè commissū , quoniam Dei misericordiam desperando exitiabiliter pænitens nullum sibi salubris pænitentiæ locum reliquit : quanto magis à sua nece se abstinere debet qui tali supplicio , quid in se puniat , non habet. Iudas enim cùm se occidit , sceleratum hominem occidit , & tamen non solum Christi , verùm etiam suæ mortis reus finiuit hanc vitam. Quia licet propter suum scelus , alioscelere suo occissus est.

Ex quo manifestè constat quòd se ipsum occidere est omnino illicitum . Ut doctissimè probat Sanctus Thomas secunda secundè questione sexagesima quarta articulo quinto , & alijs multis in locis . Banes de iust. & iur. eadem q. ñes de iustitia , & iure eadem quest. & art.

S.Thom.22.
q.64. art.5.
Banes de
iust. & iur.
eadem q.

Soto de iustitia & iure libro quinto quæstione prima articulo quinto, Molina Societatis Iesu, de iustitia tractatu primo disputatione vnde decima. Victoria in relectio ne de homicidio. Gratianus vigesima ter tia quæstione prima permulta capita. Et Aristoteles in quinto Ethicorum capite vnde cimo, & libro tertio capite septimo. Ciceron. i. Tusculana, & de somno Scipionis.

Sed hoc breuiter rationibus aliquibus probatur. Quia naturaliter quælibet res se ipsam amat, & ad hoc pertinet quod quælibet res naturaliter conseruat se in esse, & corruptientibus resistit quantū potest, & ideo quod aliquis se ipsum occidat est contra inclinationem naturalem secundum rationem, & contra charitatem, quia quilibet debet se ipsum diligere, & ideo occisio sui ipsius semper est peccatum mortale, utpote contra naturalem legem, & charitatem. Præterea, nam licet homo per liberum arbitrium constituatur Dominus sui ipsius, & ideo licet possit de se ipso disponere quantū ad ea, quæ pertinēt ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur,

sed

Soto de iuf. & iur. lib. 5. q. 1. art. 5. Mo. de iuf. tract. 1. disput. 11. Vict. in relect. de homicid. Grat. 2. 3. q. 1. permulta cap. Aris. 5. Eth. c. 11. & lib. 3. c. 7. Cic. 1. Tusc. & desomae scip.

Liber secundus;

sed transitus de hac vita ad aliam fœlicio-
rem non subiacet libero arbitrio homi-
nis, sed potestati diuinæ. & ideo nullo mo-
do licet hominem se ipsum interficere,
nec ut ad fœliciorē transeat vitam, nec ob
aliam quamcunque causam.

Et tandem, quia quidquid homo est, ip-
sius reipublicæ est, sicut pars est sui totius,
qui ergo se occidit, aufert à re publica
quod suum est. Et sic intelligendus est Aris-
toteles quinto Ethicorum capite vndeци-
mo ubi ait, *Homicidam sui iniuriam irro-
gare reipublicæ.*

Aristo. 5. E-
thic. c. II.

August 1. de
Cib. c. 20.

Quod optimè docet diuus Augustinus
libro primo de ciuitate Dei cap. vigesimo,
dicens. *Non frustra in sanctis canonicis li-
bris nusquam nobis diuinitus praeceptum,*
permisum ve reperiri potest, ut vel ipsius
adipiscenda immortalitatis, vel ullius
caredi, cauendi ve mali causa, nobis
metipsis necem inferamus. Nam ϵ° pro-
hibitos nos esse intelligendum est, ubi lex
ait, non occides, præsertim quia non ad-
didit, proximum tuum. Sicut falsum tes-
timonium cum vetaret, falsum (inquit)
testi.

testimonium non dices aduersus proximum tuum. Nec ideo tamen, si aduersus se ipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum, quoniam regulam diligendi proximum a se metipso dilector accepit. Quandoquidem scriptum est, diliges proximum tuum sicut te ipsum. Porro si falsi testimonij non minus reus est, qui de se ipso falsum fatetur, quam si aduersus proximum hoc faceret, (cum in eo praecepto, quo falsum testimonium prohibetur, possit non recte intelligentibus videri non esse prohibitum, ut aduersus se ipsum quisquam falsus testis assistat) quanto magis intelligendum est, non licere homini se ipsum occidere, cum in eo quod scriptum est, non occides, nibilo deinde addito, nullus ne ipse utique cui præcipitur, intelligatur exceptus?

Facit ad hoc quod egregie, & præclarè scribit Iosephus de bello Iudaico lib. 3., ca. decimo quarto, unde temperare me non potui, quin pauca hæc in superiorum confirmationem conscriberem, qui ita ait. Ignauissimi viri est semet occidere. Nam

Iosephi de
bello Iudaico
lib. 3. c. 14.

Ego.

Et gubernatorem timidissimum puto, qui tempestatem metuens, ante vim turbinis nauem sponte submergit. Quin etiam propria manu perire à communi omnium animalium natura discrepat, eoque modo in creatorem nostrum Deum summum scelus committitur. Nullum est animal, quod ex industria, vel perse moriatur. Siquidem natura lex validissima, ut velint vivere, in omnibus sita est. Id circò Et qui nobis adimendū id putant, hostes ducimus, Et quasi nostros insidiatores putamus, pœna perse quirimur: Deum verò indignè ferre non arbitramini cum donū eius homo despiciat? ab illo enim accepimus ut essemus, rursumque ut esse desinamus illi reddendum est. Corpora quidem cunctis mortalia sunt ex cedula materia fabricata; anima vero semper immortalis est, Deique particula in corporibus collocata. Si quis ergo depositum huius hominis surripuerit, aut male tractauerit, pessimus statim, ac perfidiosus habetur. Si Dei depositum ex proprio corpore quis elecerit, eum se latuisse, quem laserit estimabit: Et seruos quidem fugientes ulcisci

cisci iustum creditur, quamvis nequam dominos fuderint: ipsi vero Deum fugientes, & optimum Deum, impie facere non videbimus? Quorum vero manus in se ipsos insanierunt, eorum animas tenebrosior Orcus suscipit: pater autem illorum Deus auctores iniuria per nepotes ulciscitur. Hinc & Deo inuissum est, & a sapientissimo legis nostrae conditore coeretur. Hæc ille.

Sed & gentilium poetæ eos etiam, qui se occiderunt, apud inferos esse suis versibus cantitarunt, ut de Regina Dido, & alijs, Virg lib. 6. Aenid.

Qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque per-
rosi

Proiecere animas: quam vellent at he-
re in alto

Nunc & pauperiem, & duos perferre
labores,

Fata obstant, tristique palus innabilis
vnda

Alligat, & nouies styx interfusa coercet,

Luca n. li, 5, Vnde dixit Lucanus, *Sævitia est vobis memori.*

Sed his ita præmissis accedamus ad propositum in principio huius quæstionis, an licitum sit vitam periculo exponere propter gloriam? Et videtur quod non.

Primo, nam quod alienum est, id est cuius ego dominus non sum, in periculum coniucere, aut amittere minime licet, est enim iniustum & iniquum. Cōtra officium igitur est vitam perdere malle quam gloriam.

Iob. 2,

Aristo, 3, ad Nic. c, 6.

Præterea, vita est naturalium bonorum maximum, & pretiosissimum, ut constat ex sancto Iob. ca. secundo. *Pelle pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima sua.* Qua ratione Aristoteles in tertio ad Nicomachum, cap. sexto ait, *Omnium terribilium maximè terribilem esse mortem.* Maximè terribilis dicitur, quia maximum est malum, est enim timor expectatio mali. At illud est maximè malum, quod maximum eripit bonum; iniquum est autem in maximo bono periclitari pro minore velle, non est igitur vita periculis pro gloria.

ria offerenda. Præterea, qui sibi vitam, quam seruare posset, eripi patitur, is perinde ac si se ipse occidat facit: ut ille naufragij causa existit, qui nauem deserit, & illidi scopulis sinit. At qui sibi mortem consciuit, etiam si immortalitatis ipsius causa faceret, nulla se ratione tueri posset, ut dudu ex Augustino dicebamus. Nullo igitur pacto licet gloriam cum vita discrimine defendere.

His ita dispositis in hac quæstione primum statuimus, honestum & laudabile esse periculum capitis adire pro seruanda gloria. Hæc sententia mirè probata est ethnicis, vnde est illud.

Est hic, est animus lucis contemptor, & istum,

Qui vita bene credat emi, quò tēdis, honorem.

Et alibi

Lethumque finas pro laude pacisci.

Existimabant enim nihil posse cum gloria, aut debere conferri, eiusque amore (ut Augustinus ait in libro quinto de civitate Dei cap. duodecimo) patriæ salutē

ab a. m. l.
ad. m. l.

diligiv
blandi

Concl. ref-
pōsiua quæf
tionis.

Virg. lib. 9.
Æneid.

Aug. lib. 5,
de ciu. c. 12.

Liber secundus,

anteponebant suæ, & vitia, atq; cupiditates coercebant. Plenæ sunt exemplis Græcorum, & Romanorum historiæ, & nos supra capite hoc aliqua testimonia retulimus. De Bruto illo Romano refert Augustinus, quod hac laudis, & gloriæ cupidi tate incensus pro Romana libertate filios suos occidit, propter quod infelicem cum poeta vocat.

*Idem s. de
ciuit. ca. 18.*

*Virg. lib. 6.
Æneid.*

*Natosq; pater noua bella mouentes
Ad pænā pulchra pro libertate vocavit
Infelix, vtcūq; ferēt ea facta minores.
Sed versu sequenti consolatus est infæ-
licem, causam huius facti assignando.*

*Vicit amor patriæ, laudumq; immensa
cupido.*

Torquatus filium suum, non quia con tra patriam, sed etiam pro patria, (tamen quia contra imperium suum, idest, contra quod imperauerat pater Imperator ab hoste prouocatus iuuenili ardore pugna uerat, licet vicisset) occidit, hac solum auiditate gloriæ prouocatus.

Ob hanc Marcus Pulvillus dedicans ædem Iouis, Iunonis, & Minervæ, falso sibi

Aug. ibidē

Aug. ibidē

sibi ab inuidis morte filij nunciata, vt illo nuntio perturbatus abscederet, atque ita dedicationis gloriam collega eius conqueretur, ita cōtempsit, vt cum etiā projici in sepulchrū iuberet, & sic in eius corde orbitatis dolorē gloriæ cupiditas vicerat.

Sed est admiratione dignū illud, quod de Marco Attilio Regulo Romani populi imperatore refert Augustinus. Qui cùm captiuus esset apud Carthaginenses, & malent sibi a Romanis suos reddi, quām eorum tenere captiuos, ad hoc impetrandum etiam ipsum præcipue Regulū cum legatis suis Romam misserunt, prius iuratione constrictum, si quod volebant minime peregisset, redditurum esse Carthaginem: perrexit ille, atque in Senatu contra ria persuassit, quoniam non arbitrabatur vtile esse Romanæ reipublicæ mutare captiuos. Nec post hanc persuasionem à suis ad hostes redire compulsus est. Sed quod iurauerat id sponte impleuit, ne crimen suæ gloriæ inferret, & sic illi cum excogitatis, atque horrendis cruciatibus necaucrunt.

Aug. 1. de
ciu. ca. 15.

Liber secundus,

Sed iam tempus est, vt ad nostras (hoc
est) ad sacras literas veniamus, in quibus
sunt multa illustriora, eaque clarissimorū
hominum testimonia, qui nunquam tanti
vitam fecerunt, vt eius causa, aut gloriam
suam imminui, aut in dedecus incurrere
paterentur. Ut Tobię tertio Sara sic ad Do-
minum locuta est, *Peto Domine ut de vin-
culo improperij huius absoluas me, aut cer-
te de super terrā eripias me.* Et primo Ma-
chabæorum capite sexto de Eleazar filio
Saura in aperto periculo mortis incurren-
te pro gloriæ acquisitione sic sacra refert
historia. *Et vidit Eleazar filius Saura u-
nam de bestijs loricatā lorici regis, & erat
eminens super omnes alias bestias, & vi-
sum est ei quod in ea esset rex, & dedit se ut
liberaret populum suum, & adquireret sibi
nomen aeternum.* Illud autem Machabæi
fortissimi Iudæ quam virile est, quod pri-
mo Machabæorum capite noueno scrip-
tum est: quem cum multi ad fugam adhor-
tarentur, *Absit (inquit) istam rem facere
ut fugiamus ab eis, & si appropianit tem-*

Tob. 3.

¶. Mach. c. 6

¶. Mach. ca.

pns

pus nostrum moriamur in virtute propter
fratres nostros, & non inferamus crimen
gloria nostra. Honestissimum etiam est il-
lud Eleazari scribæ elogium secundo Ma-
chabæorum capite sexto, vbi sic habetur.

^{2. Mach. ca.}
^{6.}

Igitur Eleazarus unus de primoribus scri-
barum, vir etate prouectus, & vultu deco-
rus, aperto ore hians compellebatur car-
nem porcinam manducare, at ille glorio-
simam mortem magis quam odibilem vi-
tam complectens, voluntarie preibat ad sup-
plicium: hi autem qui astabant, iniqua mi-
seratione commoti, tollentes eum secre-
tò rogabant afferri carnes, quibus vescie i-
licebat, ut simularet manducasse, sicut
rex imperauerat, & hoc facto à morte
liberaretur, at ille cogitare capit ata-
tis, ac senectutis sua eminentiam dignam,
& ingenitæ nobilitatis canitiem, atque
a puero optima conuersationis actus, &
secundum sancta, & à Deo conditæ le-
gis constituta, respondit. Non enim
atati nostra dignum est fingere, ut mul-
ti adolescentes arbitrantes Eleaza-
rum nonaginta annorum transisse,

Liber secundus,

*ad vitam alienigenarum , & ipsi propter
meam simulationem decipientur , & per
hoc maculam, atque execrationem mea se-
nectuticonquiram.*

Sed hoc etiam rationibus confirman-
dum est. Honestum est pro virtute aliqua,
aut pro spirituali bono mori, vti Ioannes
Matth. 14. Baptista proveritate mortuus est: quin po-
tius ipsa charitatis ratio, & regula præcipit
vt pro bono spirituali fratrum vitam mor-
ti (si ita res postulabit) offeramus. Quod
1.Iean. 3. Ioannes in prima Epistola capite tertio
his verbis docet. In hoc cognouimus cha-
ritatem Dei, quoniam ille animam suam
pro nobis posuit, & nos debemus pro fra-
tribus animas ponere. Nam vita nostra
temporarium quoddam bonum est. Tem-
porarijs autem spiritualia charitatis iure,
atque lege præferuntur. Qui verò glo-
riam suam , vt amanda est , amat , non
propter ipsam, sed propter Dei gloriam,
fratrumque spirituale emolumentum a-
mat . Ergo non poterit modo pro ea
mortem occumbere . Sed etiam si ma-
xima sit aliorum utilitas charitate ip̄a in-
terdum

terdum cogetur. Ex quo fit, ut Episcopi, & maiores in republica magistratus, qui iustitiae præcepto obligantur integritatem, ac pietatem moribus, vitaque præse ferre, ut cæteros ad sui imitationem per trahant, aut nihil certè à virtute, & religione abhorrens efficere, quo alijs ruinæ ansam præbeant, si gloriam suam infringi debilitarie paterentur, quo tempore reipublicæ esset maximè necessaria.

Sed erit fortasse qui dicat, rectè id quidem fieri, cum bonum spirituale in gloria spectatur, sæpè tamen aliter evenit, amant enim homines gloriam, atque defendunt ut rem sibi bonam, atq; utilem, non admodum memores vtilitatis aliorū. Fateor equidem ita sæpè numero usuere, sed tamen gloria (vti libro primo capite decimo tertio copiose diximus) aut in Dei laudem appeti potest, aut in emolumentum nostrum, vt vel amore virtutis incendamur in dies màgis, ac màgis, vel etiam, vt vitæ necessaria comparemus, aut in fratrum nostrorum profectum: quæ non sunt hoc loco iteranda,

Liber secundus,

sunt enim in illo altero qualicuit diligentia à nobis explorata. Omnia hæc ad spiritualia bona referuntur. Nam necessarium ad vitam comparatio, conseruationem vitæ propositam habet, quam spiritualium honorū gratia (si in officio manere volumus) amare debemus. Ut autem gloriam nunquam nisi his causis quærere, ita nec quæsitam tueri, nisi illis eisdem causis licet. Nam si quis alium finem sibi in cōseruando præstitueret, iam iniqua esset, & ab omni officio sciuncta conseruatio, quam qui susciperet, quò magis pergeret, peccaret magis. Quòd si hæc in mentem non veniunt cùm impendet periculum, & toti in vitanda ignominia sumus, nihil sanè obest, satis enim est nūnquam nos aliter animatos fuisse, illiq; honesti si-nes (nisi aliunde vitentur) si non actu, certe habitu (vt scholasticè loquar) in mente insunt.

Sed demus id etiam, & de parta gloria, vt de quodā tāto bono nostro loquamur. Vita est temporarium (vt diximus) bonū, ex eorum genere, quæ utilia nominantur,

tur, natura enim sua ad fælicitatis consecutionem ordinantur. At bonum utile alterius etiam utilis dispensatio, atque iactura seruari potest, ut pars est nostræ fælicitatis, etiam si per se minoris esset dignitas. Quemadmodum ne fortunis spolier meis, non modo dimicare, verum & mortem oppetere possum, quoniam illæ vitæ ipsius, & fælicitatis adipiscendæ instrumenta quædam sunt. Multò igitur magis id pro gloria licebit.

Adde quod vita natura sua libertate præstantior est, & tamen honestissimum est nullum ob eam recusare, aut formidare discrimen. Estq; illud præclarum fortitudinis, & ingenui, atque liberalis animi indicium,

Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat

Accipere, ingentiq; urbem obsidione premebat,

Aeneada in ferrum pro libertate ruebant.

Et illud Lucani libroquarto Pharsalia.

Lucan. lib.
4. Pharsal.
liae.

bono

Sed

828
Liber secundus,

Sed regnat imitentur

Ob ferrū, & sauis libertas vritur armis,

Ignoratq; datos, ne quisquā seruiat enses.

Vnde Cicero Epistola centesima quinta

inquit, Non potest paruo constare libertas,

hac si magno astimas, omnia paruo astimā

dasunt. Et idem. Ita præclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit fugienda repetenda libertate. Est enim hoc à na-

Iul. Cef. li.
a. de bello
Gallico.
Dantes poe-
ta Florent.
Parad. can.
cap. 5. i.

tura nobis insitum, vt Iulius Cæsar de bello Gallico libro secundo scriptum reliquit, dicens, Quod omnes homines natura sua libertati student. Et de illa præclara animi libertate, quam Deus mira sua liberalitate hominibus dedit, egregie Dantes Florētinus poeta in hunc modum scripsit.

Lo magior dō che dio per sua largheza
Fece creando, & alla sua bontade
Più conformato, & quel che piu se ap-
preza

Fu de la voluntà la libertade

Diche le creature intelligenti

Et tutte, sole furo, & son dotade.

Sed non minoris fit gloria, quam libe-
tas, cur igitur isthuc ipsum pro ea non fiat.

Quod

Quòd si summo capitio periculo priuatam gloriam defendere possumus, non erit quòd de publica dubitemus, quæ semper futura est antiquior. Id abunde confirmat illustre illud Dauidis facinus. 1. Regū decimo septimo, qui in singulare certamē cum immanissimo, & fortissimo Gigante descendit, dicens,

Nunc vadām, & auferām opprobrium populi, quoniam quis est iste Philistaus in circuncisus, qui ausus est maledicere exercitiū Dei viuentis? In gloria diuina multo est manifestius, & certius, fecit enim Deus omnia in gloriam suam, & singulis rebus diuersas vires atque naturas dedit, ut ea in illis magis splendesceret. Quamobrem iure naturæ omnes astringimur, non solum pro Dei gloria mori, sed etiam (si necesse esset fieri quod posset) optare, ac pati æquissimo animo, ut in nihilum corpus, atque animus redigerentur.

Ex quo perspicitur quo animo esse debeamus in eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, qua-

Sic Soto, li,
5, de iust, &
iure q, 1, ar,
&, 1, conclu,

1, Reg, 17,

1. Reg. 2.

Matth. 5.

que alacritate amissiones fortunarum, ex ilia, vincula, tormenta, cruciatus, mortesq; perferre oporteat; præsertim cum nulla sit potior, aut expeditior ad gloriam nostram ratio, quam ubique querere, & curare diuinam. Quemadmodum primo Regum secundo, ipse auctor gloriæ pollicetur, *Quicunque honorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Et quoniam non tantum Dei gloriam tuemur, cum eam aduersus audaciissimorum hominū blasphemias asserimus: sed etiam cum ita viui mus, ut videat homines opera nostra bona, & glorificet Patrem nostrum qui in cælis est, non obscurè cernitur, qua cōtentione sit in omni virtute, & in Dei cultu elaborandum, etiam si nullā inde mercedē essemus habituri. Quę enim maior merces, aut quę natura humana dignior oratio, quā id homines efficerent quod maximē nati, & instituti sunt, & quō eos naturęius, ac natura ipsa ducunt?

De amicorum gloria controversia esse posset, an pro ea mortem oppetere licet?

Sed

Concl. est
affirmativa

Sed si rectè, quæ de nostra diximus percepta sunt, erit haec profligata, & penè ad exitum adducta dubitatio. Nā in eadem causa est amicorum gloria, atq; nostra, & ad Dei laudem, utilitatemq; publicam eodem modo pertinet. Quare ut fratres nostros perinde atque nos metipso diligere iubemur: ita pro eorum gloria facere, ac pati omnia possumus, quæ pro nostra.

Hanc sententiam ex ethnicis secuti sunt Plutarchus opusculo de amicitia. Cicero libro de amicitia, & tertio de officijs. Theophrastus in volumine de amicitia. Plato in Symposio, vel de conuiuio amoris. Apertissimè Aristoteles lib. 9. Ethicoru ad Nicomachū. c. 8. qui sic ait: *Verum autem est quod de probo viro dicitur, cū amicorum causa. Et patria multa agere, etiam si pro ipsis mors fuerit appetenda, nam et pecunias, et honores proieciet, et demum ea bona, quæ in certamen apud homines veniunt.*

Et ex nostris tenent Magister Dominicus de Soto libro quinto de iustitia, & iure quæf-

Plutarch.
opuscu. de
amicit.
Cicer.de a-
micit, &c. 3.
de offic.
Theophr.
de amici-
tia.

Plato in
Symposio.
Arist. 9. E-
thic. ad Ni-
co. c. 8.

Soto de iu-
ti. & iuri q.
i. ar. 6. conc-
clus. 3.

quæstione prima articulo sexto conclusio
ne tertia dicēs. Licitum est sæpiissimè offi-
cium, vitam corporalem ponere non so-
lùm pro vita spirituali amici, verùm & pro
temporali, quin verò pro eius honore &
fama, & pro eius bonis temporalibus. Ma-
gister Victoria in relectione de homicidio
qui sic ait.

*Pro quarto argumento licet multi vertat
in dubium, an liceat pro priuata persona po-
nere vitam? Et plures partem negatiuam
defendant, tamen ut alias à me disputatu-
est, puto probabilius hoc esse laudabile, Et
videtur laudatum a Domino in illo loco.
Maiorem charitatem nemo habet, ut ani-
mam suam ponat quis pro amicis. Domini
cus Bañes secunda secundæ quæstione vi-
gesima sexta articulo quarto. Et apertissi-
me diuus Augustinus in libro de amicitia
capite decimo his verbis. Nihil est negan-
dum amico, omnia pro eo sustinenda sunt,
Et vita corporis ponenda est pro amico, ut
sanxit diuina auctoritas. Sanctus Ioannes
Chrysostomus in secundo libro de Sacer-
dotio, qui refert historiam cuiusdam
Basilij*

Victoria in
relect deho-
mici. n. 25,

Ioan. 15:

Bañes, 22, q.
26, à 42

Aug. lib. de
amicitia, c.
10, tom. 4,

Ioan, 15,
Chrys, lib,
2, de Sacer-
dotio, to, 5,

Basilij amici eius, qui voluit mortem oppere pro amico quodam, qui cum accusatus esset contumeliæ, ac contumaciæ, & de salute periclitaretur: ipse in media pericula vltro se coniecit. Quam animi propensionem, & huiusmodi egregium factum cum alij non approbabissent, alij vero contra laudassent, admiratique fuissent, ipse respōdit, *Quid nam ipse facerem? alter enim amare non didici, nisi ut, & meā animam in discrimen adducam, dum periclitantem amicū aliquem seruare opus est.*

In comprobationem huius rei omnes ferè meminerunt de vi amoris summi, & maximo vinculo amicitię, quo olim tenebantur Pylades, & Orestes, Damon, & Pythias, qui adinuicem unus pro alio mori contenderunt, quilibet vitam propriam in discrimen adducens, ut vita amici incoluis permaneret. Hoc ipsum refert de Lucilio, & Bruto ciuibus Romanis Baptista Fulgosus libro quarto. Et Erasmus libro quinto Apothegmatum. Quorum egregium factum monumentis, & posteritati reliquerunt antiqui homines, & com-

Liber secundus,

S. Thom li.
1. de regim.
Princ. c. 10.
& lib. 4. c. 22
S. Aug li. 4.
conf. c. 6.
S. Ambri. li.
2. de virgi-
nib. & 3. off.
c. 12.
Hieron. in
7. cap. Mi-
cheæ.
Laetant. Fir
mian. lib. 5.
diuiniar. in
rit. de iust.
c. 7.

mendant illud sancti Patres. Diuus Thomas libro primo de regimine principum capite decimo, & libro quarto capite vigesimo secundo. Diuus Augustinus libro quarto confessionum capite sexto. Sanctus Ambrosius libro secundo de virginibus, & tertio officiorum capite duodecimo. Diuus Hieronimus in commentarijs super caput septimum Micheæ. Laetantius etiam Firmianus libro quinto diuinarum institutionum agens de iustitia capite decimo septimo hoc ipsum confirmat, qui referens facinus illud admirable Damonis, & Pythiae, sic ait, *num etiam pra amicitia perire indicabis stultum? Quid ergo illi familiares Pythagorei laudantur a vobis, quorum alter se tyranno vadet mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, cum iam sponсор eius duceretur, præsentiam sui fecit, eumque interuentu suo liberavit, quorum virtus in tanta gloria non haberetur, quod alter pro amico, alter etiā pro fide mori voluit, si stulti putaretur? Deniq; ob hāc ipsam virtutem tyrannus his gratiam retulit,*

utrumque seruando, & hominis crudelissimi natura mutata est. Quin etiam deprecatus esse dicitur, ut se tertium in amicitiam reciperent, non utique tamquam stultos, sed tanquam bonos, & sapientes viros. Itaque non video, quare cum pro amicitia, & fide mori summa gloria computetur, non etiam pro in nocentia perire sit homini gloriosum. Hæc Lactanius. De quo etiam eleganter scripsit Caius Manilius libro secundo suæ Astronomiæ, dicens,

Id circa nihil ex semet natura creavit.

Pectore amicitia manus, nec rarius unquam,

Vnus erat Pylades, unus qui mallet Orestes. Ipse mori, leuis una fuit per facula mortis.

Alter quæ raparet fatum, non cederet alter.

Et duo qui potuere sequi vix noxia panis.

Mm 2 Optas

Calus Mac
nilius, lib.
2. Astrono
mæ.

Liber secundus,

Optauitque reum sponso non posse resuerti,

Sponsoremque reum timuit, ne solueret ipsum.

Pertotque etates hominum, tot tempora, & annos,

Tot bella, & variis etiam sub pacelabores,

Cum fortuna quidem quarat, vix iuuenis usquam.

Quod etiam Martialis in carminibus suis scriptum reliquit his verbis.

Vt praestem Pyladem, aliquis mibi praestet Orestem.

Hoc non sit verbis Marce, ut ameris ama.

Refert etiam, & hoc Philephus lib. 1. epistolarum ad Maurum ubi quinq; alia paria amicorum priscorum maxime celebrata commemorat.

Sed rationibus haec sententia confirmanda est. Et primò.

Quia vita nihil aliud est quam quoddam temporale bonum, quod non est supremus finis in quo nostra consistit felicitas,

Martialis li
bro. & ad
Mareum.

Philephus:
lib. 1. Epist.
ad Maurū.

Sic Sot. o.

licitas, sed est tantum medium ad ipsam consequendum & conseruandum. Bonum autem utile licitum est in defensione alterius boni exponere, quod pars est nostrae felicitatis, etiam si per se consideratum minoris esset pretij, potest enim iure optimo quisquam periculo vitam objecere ad defendendum bona sua temporalia, eo quod ipsa rursus ordinantur in conservationem eiusdem vitae, atque in statum eius felicem. Vita autem amici mei est proprium meum bonum ad meam etiam felicitatem pertinens: ergo eadem ratione mihi licebit, imo multo decenter, propriam vitam pro illa ponere. Nam merito pluris illam facio, quam bona mea, quandoquidem per ipsam, felicem statum vitae meae conseruo: est enim amicus alter ego, & dimidium animae meae: (ut dixit Horatius) & cuncta eius bona meas sunt, parique felicitatis meae. Non est igitur mirum, si ut pro meis fortunis, ac bonis, ita pro amici, in quemcunque casum vitam, ac salutem offerram.

Horat. lib.
1. Odar.
Et Zenoc
ticus philo
sophus.

Præterea, quia vitam suam potest homo exponere pro maiori bono, sed virtus amicitię maius bonum est, quam virtus cuiuscunq; particularis: ergo licet pro amico vitam offerre. Minor probatur. Nā maior est certa. Nam per amicitiam, & coniunctionem animorum conseruatur reipublicæ pax & concordia, quæ bonum publicum est.

Et confirmatur hæc ratio. Quia in his, quorum homo est dominus potest disponere propter finem honestum, in alijs autem, quorum Deus solus est dominus, nequit homo disponere, nec ea expendere, nisi ex voluntate, & concessione Dei. Et ita se res habet quod dominium vitae est apud Deum solum, sed in casu quod mea, vel amici vita amittenda sit, ex eo quod ego abijcam in periculum vitam meam ut seruem vitam amici, nihil decrevit bonis Dei. Atque ita sine iniuria domini expenditur: Ex alia parte constat mihi non esse voluntatem Dei auctoris vitae meæ, ut ego qui sum usufruentarius vitae meæ, cā conseruem, vel cōser-

uare teneat omnimodo possibili : sed fa-
cultas mihi concessa est, & cuilibet homi-
ni , vt cum occurrit bonum honestum ,
quod pluris aestimare debeo , quam vitam
corporalem , quia est maius bonum Dei ,
tunc possim non conseruare vitam , si
necessarium est ad consequendum tale bo-
num . Ergo in proposito casu pro conser-
uanda vita amici , quæ secundum se est bo-
num honestum , possum exponere vitam
meam evidenti periculo . Prædictam autem
facultatem esse mihi concessam à Deo , pa-
tet plurimi exemplis . Quia licet sit mihi
persuassum quod per exercitationes pœ-
nitentiæ (scilicet ieunia , silicia , & corporis
castigationes) patiar salutis , viteq[ue] detri-
mentum , non teneor conseruare vitam ,
comedens & bibens laute , & vtens cibis ,
ac vestibus delicatis . Nec tenetur virgo
nubere pro recuperanda valetudine , sed
potest ita mori . Quæ omnia , & alia similia
ab omnibus admittuntur : vt videre licet
apud Victoriam loco citato .

¶ Præterea confirmatur hæc sententia:
quia iure naturæ omnes mortales sumus

Liber secundus,

eiusdem corporis membra, ergo sicuti mē
brum eiusdem corporis vnum pro alio ex
ponitur, vt in uicem se custodiant, sic lici-
tum est inter homines.

Ioan. 15. Veritas huius conclusionis fundatur in
clarissimo illo domini nostri Iesu Christi
testimonio Ioannis, 15. *Maiorem* hac di-
lectionem nemo habet, quam ut animam
suam ponat quis pro amicis suis. Nec enim
istantum animam pro amico ponit, qui
pro ciuis vita ponit, verum is quoq; (& op-
timō iure) qui pro amici gloria, quam ille
vitae anteponit, vitā sibi cripī patitur. Quo
loco & verbo Christus dominus noster vo-
luit mortalium amicitias sibi maximē cō-
ciliare, ob idq; illud absq; vlla exceptione
absolutē citauit. Scilicet quōd in hoc ma-
ximē ostendatur charitatis, quōd quis po-
nat vitam pro amicis. Non enim ait pro
hoc vel illo amico, sed pro amico, vbi tua
ipse vita indiguerit.

*Sotusvbi su
pra.* Concesso ergō sēmel, quod iure charita-
tis hoc licet, nō est descēsus difficultis, vt etiā
proxiore, pro filio, pro patre atq; adeò pro
amico id liceat: nā pro rege nemo dubitat.

Quæ quidem confirmantur omnia quā plurimis locis sacræ scripturæ, præsertim ex Paulo ad Ephesios, 5. *Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam,* & semetipsum tradidit pro ea. Et infra corde capite, *Viri debent diligere uxores suas,* ut corpora sua, & unusquisque uxorem suam diligat, sicut se ipsum. Et Ioannes epistola 1. cap. 3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quo loco videtur clare non loqui solum, pro spiritualibus proximorum, cum statim subditur, *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Et canticorum cap. 8. ait. *Fortis est ut mors dilectio.* Quia scilicet facit pro amico mori.

Sed non est hoc loco prætereunda quæstio his ipsis continens, atque coniuncta. Num ut commitere mortis periculo afferendæ suæ gloriæ causa quicunque se ipsum potest, ita uxorem, liberos ami-

Liber secundus,

eos queat? Atq; hæc quidem est potissima ratio dubitandi, atq; quærendi, quod ob vnum bonum alterum (vt diximus) vocare in quodcunq; discrimen licet. Iij verò omnes, quos nominaui, bona quædam hominis videntur, & sunt. Verùm enim uero separanda sunt hæc & euoluenda. Vxor, filij, amici velint, omnino licet, estq; magnopere laudabile (vt paulo ante dicebamus) amicitię opus, & charitatis indicū pati quemquam, dum alterius gloriam seruat, summum sibi creari periculum: modo illa tam exigua non sit, vt homines cordati atq; prudentes temerarium id, in consulteq; factum iudicent.

Sed si recusent illi, salutemq; alienę estimationi pr̄ponant suam, nullo modo cogi possunt, sunt enim liberi iure naturae. Nam tametsi bona quædam sunt mariti, aut patris, aut amici, non sunt ex eorum genere, quibus pro arbitrio utimur, habet mentē, qua reguntur ipsi, libertatemq; ad id consultandum, quod sibi expedire conauerint.

At quid dicemus si filii infantes sint? quo

quo tempore neq; mens neq; libertas officium suum facit, estq; illorum vitæ custos, & conseruator pater, & quia ipsi nihil vel le possunt, id maximè velle credūtur quod parentibus suis placet.

Qua ratione sanctus Thomas secunda secundæ quæstione decima articulo duodecimo, & tertia parte quæstione sexagesima octaua articulo decimo, iniquum esse statuit infidelium liberos in uitis parentibus baptizari, *Quoniam (inquit) filius naturaliter est aliquid patris.* Et primò quidem à parentibus non distinguitur secundum corpus quandiu in matris utero continetur, postmodum vero postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrij habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam utero spirituali, quandiu enim usum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Vnde postquam diuinus Thomas ad articulum duodecimum iam citatum respondit, dicens quod fieret Iudeis iniuria si eorum filij baptizarentur eis in uitis; assignat grauissimè & doctissimè

S. Tho. 22.
q. 10. art. 12
& 3. p. q. 68°
artic. 10.

Liber secundus,

(ut semper solet) rationem in hunc modum dicens in corpore articuli. Et huiusmodi ratio est duplex. Una quidem propter periculum fidei. Si enim pueri nondum usum rationis habentes baptismum suscipierent, postmodum cum ad perfectam etatem peruenirent, de facili possent a parentibus induci, ut relinquerent, quod ignoranter susceperunt, quod vergeret in fidei detrimentum. Alia vero ratio est, quia repugnat iustitia naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris. Et primo quidem a parentibus non distinguitur secundum corpus quando in matris utero continetur. Postmodum vero postquam a utero egreditur, antequam usum liberi arbitrij habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spirituali utero: quan dius usum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Vnde si cun bos, vel equus est alicuius ut vatur eo cum voluerit secundum ius civile, proprio instrumento: ita de iure naturali est, quod filius antequam habeat usum rationis sit sub cura patris. Vnde contra

institiam naturalem esset, si puer antequā habeat usum rationis, à cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur in uitis parentibus. Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrij, iam incipit eſe ſuus, & potest quantum ad ea, quae ſunt iuriſ diuini, vel naturalis, ſibi ipſi prouidere. Et tunc eſt inducendus ad fidem, non coa ctione, ſed per uiaſſione. Et potest etiam in uitis parentibus, conſentire fidei, & bapti zari nō autē antequā habeat uſū rationis.

Quo ſuppoſito ad dubium adductum repondeo. Et equidem nego, eo tempo rē quo pueri non habent uſum rationis, & ſunt ſub cura parentum, poſſe filios in periculum capitis adducere, gloriæ pa rentum aſſerendæ, & conſeruandæ cau ſa. Nam etiſ filius (vt inquit diuus Thomas) naturaliter ſit aliquid patris, & ſub eius cura, & tutela: ad hoc tantum ſub ea intelligitur, vt illum educet, alat, iſtituat: quod etiam infans ipſe peteret, ſi poſſet: non vt compendiij ſui cau ſa torqueri, atque occidi ſinat, quod naturā omne ani mal deteſtatur, ac fugit. Quare peccauit
procul

Liber secundus,

proculdubio nō iolūm si in magnum dis-
crimen coniecerit, verūm etiam, si fame
aflictauerit, si malis moribus imbuerit, si à
religione auerterit. Non est igitur patri à
natura pueri cura commissa ad eius interi-
tum, perniciem, & pestem, sed ad vtilitatē,
& salutem. Quod si ita est nihil maiorem
potestatem habet ipse cùm de vita pericu-
lo agitur, quam externi. At offerre quem-
piam morti contra ius, & fas, perinde est,
atque si occidas. Nemini autem licitum est
occidere innocentem, nec mortis igitur
periculo exponere.

Quòd si obijcias, puerum si intelligeret
minimè id aduersaturum, si bonus sit, ac in
genuus ideòque voluntate (quam theolo-
gi interpretatiuam vocant) velle. Respon-
deo, primùm ipse vt tanto suo malo glo-
riam patris conseruet, nulla lege astringi-
tur, nec peccabit, si omittat. Deinde in re
dubia semper interpretandum est velle se
quempiam seruare, & (vt est in prouer-
bio) omnes sibi melius esse malle, quam al-
teri, præsertim cum iustè id facere pos-
sunt.

Sed

Sed iam argumenta initio opposita refellamus. Nam peccari aliquando contra iustitiam, cum periculum pro gloria non aditur, vberius postea confirmabimus.

Ergo primo argumento concedimus, nos non esse vitę nostrā dominos, sed custodes, quare nullo modo interficere possumus. At per eum qui vitā dedit, pérque charitatem, quam Deus diffudit in cordibus nostris, licet in ea pro bonis spiritualibus, quae natura priora sunt, atque potiora periclitari, vt in prima ratione diximus. Ac vt ego sim vitæ meæ custos, non eam omni tempore, atque omni loco, & modo custodire compellor, sed cùm commode id fieri licet, sine iactura alterius magni boni. Ego ius habeo tueri famam, & existimationem meam, optarem id sine salutis dispendio obtinere, non datur, vitam periculis offero, vt gloriam, quam pluris facio, conseruem. Non ego mihi manum affero, sed perpeti tantum omnia statuo, ne possessione mea decidam. Hoc autem æquum est, nec vt secus faciamus lege vlla tenemur

quare

Liber secundus,

quare ille potius in peccato erit, per quē
mihi gloriam à dedecore vindicare non li-
cet, quam ego, qui sine alterius in commo-
do ius persequor meum.

Illud autem Aristoteleum, quo secundū
argumentum nititur, mortem esse maxi-
mūm omniū terribilium, cū vulgi potius,
quam cum sapientium opinione cōgruit:
boni enim, & sapientissimi viri, aut mor-
tem in malis non numerāt, aut certe per-
multa esse grauiora mala consentiunt, re-
cteque se habet illud,

Vsque adeò ne mori miserum est?

Plutarchus ex Eschili auctoritate, in cō
solatoria increpat eos qui mortem malū
existimant, his verbis translatiſ: Quam ini-
quē mortem odio prosequūtur mortales,
quippe quæ maxima multorum est malo-
rum medela. Et Cicero in ſomno Scipio-
nis. *Si enim (inquit) viuunt qui ex corpori
vinculis tamquam è carcere euolauerunt:
vestra vero quæ dicitur vita, mors est.*

Seneca de breuitate vitæ, grauissime
ſic ait, *Si velis credere, altius veritatem
intuentibus omnis vita supplicium est. In
hoc*

*Plut. in con-
ſolatoria ad
Apolloniū,*

*Cie, de ſom-
no Scip.*

*Sen de bre-
uit. vitæ,*

hoc profundum, inquietumq; mare proie-
cti aeternis astibus reciprocum, & modò
alleuans nos, subiectis incrementis, modo
maioribus dannis deserens, assidueq; iac-
tans, nunquam stabili constituti loco pen-
demus, & fluctuamus, & alter in alterum
illidimur, & aliquando naufragium faci-
mus, semper timemus, in hoc tam procello-
so, & in omnes tempestates exposito mari
nullus nauigantibus portus nisi mortis est.
Et in lib. 6, naturalium quæstionum mor-
tem sic diffinit. *Mors naturæ lex est, tri-*
butum officiumq; mortalium, malorumq;
omnium remedium est. Hoc unum Luciliè
meditare, ne mortis nomen reformides, effi-
ce illam tibi cogitatione multa familia-
rem, vel si ista tulerit possis illi & obuiam
exire. Pluràque de hoc præclarè dicit epi-
stolis vigesimaquarta, sexagesimæ secunda,
septuagesimæ prima, septuagesimæ octaua,
& de consolatione ad Marciam.

Xenocrates philosophus Platonicus in lib.
de morte, *Amissionem vita huic à malo*
in bonū trāsitū vocat: Quapropter (inquit)
Deus rebus hominū prævidens, quos amat

Senec lib. 6
natur. q.

Idem Epist.
24, 62. & 71:
78 & de con-
solat. ad Max-
cian.

Liber secundus,

breui ad se ex hac renocat vita. Et refert
exempla Agamedis, & Theophonij qui cum
moliti essent Deo pythio templa, quod
ve optimum foret precaretur, confessim
somno pressi nunquam postea surrexe-
runt: & id ipsum refert Argiue Iunonis sa-
cerdotibus contigisse. Valerius Maxi-
mus libro octavo capite noueno ad fi-
nem, & ante eum Tullius libro primo
Tusculanarum quæstionum referunt He
gesiam composuisse quedam librum, in
quo referens incommoda vitae, & lauda-
tionem mortis, ita præclarè disputauit, ut
multi sibi ipsis manus inferrent: unde à
Ptholomæo rege prohibitus esse dicitur,
illa in scholis dicere, eo quod multi his au-
ditis mortem sibi concicerent, sicut re-
ferunt auctores citati. Quibus succinit il-
lud Agathij distichon.

*Mortem quid timetis, quietis genitricē
Sedantē morbos, & paupertatis dolores?*

Herod. lib.
5. Julius Solinus c. 15.
Mela. lib. 2. c. 1.

Herodotus libro 5. & Julius Solinus ca-
pite 15. memoriae prodiderunt, Thraces
puerum editū multa ploratione prosequi-
recensentes quæcunq; necesse est illū qui
vitam

vitam ingressus sit, perpeti, ac omnes calamitates humanas: hominem verò fato functū per lusum, atq; lætitia terræ demādare referentes, quot malis exemptus sit. Vnde magnus Hippocrates cōmentario lo de atræ bilis agitatione, quare sibi aliqui mortem confiscant, rationē affert, quod se scilicet putant maioribus malis liberos fore.

Nec est prētereundū mortis epitaphiū sequēs, quod Calētius fratri mittit monēs eum, ne mortē timeat sciēs nihil prēter laborū, curarumq; omnium finem esse.

Fata reformident alij, manesque sepulcros:

Mors dea defuncto tu mihi sola venis.

Augebant animum cura, sauique dolores,

Insidia, liuor, spes, timor, ira, dolor.

Hic sperata quies, non flet, non litigat uxor,

Non soboles grauis est, non male cultus ager.

Non vineta leni quam primum lesa vo lucri,

Hippocrat.
in cōm. de
atrat bilis a-
gitati one

Calentius.

Non stimulat crebris solibus v̄sta seges,
Et non perpetuus census, non iurgia,
non me

Pauperies, & non dura senecta senem,
Deniq; non pulices, non agmina sedafatigant:

Non petit hic caluum musca proterius
caput.

Dugo Philonius in Tiliano, vel de scie-
tia bene moriendi prædictam sententiam
confirmat, multa de bono mortis refe-
rens. Idem facit Chrifostomus homilia
46. in Matthæum, & in illud dictum Apos-
toli, *De dormientibus nolo vos ignorare
fratres.* Sanctus Julianus Archiepiscopus
Toletanus in libro de origine humanæ
mortis, cap. 13 & 14. Gregorius Nazianze-
nus in oratione de morte patris, & in, 18.
de laudibus sancti Cypriani martyris. Idio-
ta vir sanctissimus in libro quinto de con-
templatione mortis multa, & grauiter
dicit, & in capite noueno sic ait. *Mors
non est timenda viro iusto: tūm quia certa
& necessaria, tūm quia utilis est, & meri-
toria. Quia mors nihil aliud est quam car-
ceris*

Dugo Philo-
nius, in Ti-
liano.

Ch. H. hom.
46. in Matt.

Aug. lib. de
bono mort.
S. julian. Ar-
chiep. To-
let. lib. de o-
rigin. hum.
mort. ca. 13.
& 14.

Greg. Nazia-
zen. in ora-
te de morte
patris, & in
18

Idiota, lib. 5
de contépl.
mort. cap. 9.
tom. 5.

ceris finis, et laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis adimpletio, oneris grauiissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium periculorum euasio, omnium malorum consumptio, et diruptio, debiti naturae solutio, redditus in patriam, ingressus in gloriam, ideo scriptum: Melior est dies mortis die nativitatis.

Ecclesi. 7.

Vnde cum haec ita se habeant, quomo^ddo ille mortem magnopere extimescat,
Qui cupit dissolui, et esse cum Christo, et cui
vinere Christus est, et mori lucrum. Qui &
dicebat, Infaelix homo quis me liberabit Ad Phil. 1.
de corpore mortis huius? Et ille qui dicebat,
Heu mihi quia incolatus meus prolon- Ad Rom. 7.
gatus est, habitaui cum habitantibus Ce-
dar, multum incola fuit anima mea? Et
 ille potentissimus propheta Helias qui
 petiuit animæ suæ ut moreretur? Et ait,
 Sufficit mihi Domine tolle animam meam.

psalm. 119.

An iij mori miserum putabunt, Qui Apocal. 14.
in Domino moriuntur? Quibusque Iam
 dicit spiritus, ut requiescant à laboribus
 suis?

Multò magis quam mortem peccata
formidabunt, afflictionem honorū, va-
stationem populorum, fidem Christi in tā-
tis prouincijs, & regnis totaliter iam de-
relictam, in quibus antea maximè fulge-
bat, ignominiam, atq; timiditatem, & ig-
nauiam hominum ab officio recedentiū.

*Quemadmodū de Iona legimus qui cùm
prædixisset imminere Niniue ciuitatis ex-
cidium Deumq; postea placatum cerne-
ret, mori malebat, quām fraudulentus, ac
men dax iudicari. Et nunc (inquit) Domi-
ne tolle quāso animam meam à me, quia
melior est mihi mors quam vita. Similiter
vitam non maximum bonum existima-
bant, & libertatem, & gloriam homines
bene instituti, & liberaliter educati facile
præferunt, vt exemplis comprobauiimus.
Nam locus ille Job, hoc vnum docet vitā
diuitijs anteferri.*

Tertium argumentum iam penè est
totum eruatum. Negamus enim, qui
vitam periculis obijcit perinde facere, ae-
que si se ipse occidat, & si eam seruare pos-
sit, nisi cùm ad eam seruandam lege obli-
gatur.

gatur. At id temporis non est præceptum cum tanti boni dispendio, atq; discrimine seruare. Nec enim gubernator (quod pro similitudine afferebatur) proprie naufragij causa dicitur, cum periculo liberare naucem poterat, nisi, cum id ut facret, iure tenebatur.

CAPVT. XIII.

An liceat spiritualia bona periculo exponere pro gloria?

PO STEA QUAM de tempora-
rijs bonis differuimus, ad spi-
ritualia quasi gradu facto,
transcamus: inquiramusq; an
ea quoq; in periculū vocari
debeant pro gloria? existit enim statim ex-
dictis dubitatio. Affirmauimus bonū vtile,
alterius boni vt ilis causa, omnibus casi-
bus exponi posse. Spiritualia (quæ quidē
in hac vita habemus) ex vtlium genere
sunt videlicet, non est in illis sita beatitu-
do nostra. Recte ergo possunt pro gloria
cuicunq; discriminī committi.

Liber secundus,

Parte alia durum & intolerabile vide-
tur ea fortunæ temeritati exponere , qui-
bus nihil præstantius, aut præclarius habe-
mus. Hæc ut accuratè discutiantur ipsa no-
minis vis, atque natura est primò expli-
canda.

Spiritus , vnde spiritualia dicuntur , lat-
tius manat, quām vt hoc quidem loco ex-
poni debeat, expositum tamen est à diuo
Augustino lib. 12. de Genesi ad literam,
cap.7.& 8.vbi sic ait. Item spiritus dicitur,
vel aér iste, vel fatus eius, idest motus eius,
sicut dictum est: ignis, grando, nix, glacies,
spiritus tempestatis. Dicitur etiam spiritus
anima, sive pecoris, sive hominis, sicut scrip-
tum est: Et quis scit spiritus filiorum ho-
minis si ascendat ipse sursum, Et spiritus pe-
coris si descendat ipse deorsum in terram.
Dicitur spiritus Et ipsa mens rationalis,
vbi est quidam tanquam oculus animæ, ad
quem pertinet imago, Et agnitus Dei: vnde
dicit Apostolus. Renouamini spiritu men-
tis vestra, Et induite nouum hominem, qui
secundum Deum creatus est: Cum Et alibi
dicat de intiore homine. Qui renouatur

Agust. lib.
12. de genesi
ad literam.
c.7. & 8. to. 3.

Psalm. 148.

Eccles. 3.

Ad Ephes. 4.

Ad Colos. 3.

in agnitione Dei secundum imaginem eius,
qui creauit eum. Item cum dixisset, igitur
ipse ego mente seruo legi Dei, carne au-
tem legi peccati: alio loco eandem senten-
tiā commemorans: Caro (inquit) con-
cupiscit aduersus spiritum, et spiritus ad-
uersus carnem, ut non ea quæ vultis fa-
ciatis: quam dixit mentem, hanc etiam
spiritum appellauit. Dicitur spiritus etiam
Deus, sicut ait Dominus in euangelio: spi-
ritus est Deus, et eos qui adorant eum,
in spiritu, et veritate oportet adorare.

Hoc ipsum docet in libello de spiritu, &
anima, cuiuscunque auctoris ille sit
(nam Augustinum fuisse negant) capite
decimo.

Sed nobis nunc satīs sit, quidquid cor-
pus non est, & tamen aliquid est, rectè spi-
ritum dici, ut loco indicato auctor est Au-
gustinus. Cum enim propriē halitum a-
nimalium, aëremq; significet, quæ quām-
uis corpora sint, nec visu percipiuntur, &
propè incorporeā à sensibus iudican-
tur, effectum est ut spiritus appellatione
quidquid esset corporis expers, conti-
nere-

Ad Rom. 7.

Ad Gal. 5.

Ang lib. de
spiritu, &c
anima, c. 10.
tom. 3.

Liber secundus,

neretur, atq; hoc modo spiritualia bona sunt honos, gloria, artes, disciplinæ, virtutes, siue quæ à Deo donantur, siue quæ hominū labore quæruntur. Sed est alia quasi angustior huius nominis notio, ut spiritus sit suprema illa, & præstantissima animæ pars, quæ non à carne modò, sed etiam ab anima secernitur. Animam autem vocat inferiorem partem, quæ nobis cum beluis communis est. Quemàdmodum diuus Augustinus in libro de agone Christiano, cap. 18. *Inuisibilis* (inquit) & incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus accepit. Vnde est illud Virgilianum.

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Nec ab Augustino dissentit Plato, cuius hæc sunt verba in Timæo. *Inuenit intellectum alicui sine anima dari non posse, hac ratione mentem animæ, animam vero corpori dedit.*

Quoniā autem inferior animi pars,
quæ

Aug. in lib.
de Agone
Christiano
caq. 12.

Virgi. lib. 6.
Æneid.

Plat. in Ti-
meo.

quæ sensus dicitur, & in concupiscentem, irascimentemq; diuiditur, anima etiam vocatur, corporisq; voluptates sequitur, & in vita instigat: mens autem (id est spiritus & ratio) semper ad optima hortatur, atq; à voluptatibus ad ea, quæ verè homine digna sunt allicere conatur: in sacris libris, ac præcipue in Paulo anima in malum sæpe accipitur, spiritus in bonum. Vnde apud Paulum, i. Corinthiorum cap. 2. sic habetur. *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus.* Quod diligenter adnotauit Origines (nec enim in his modo immorari volo) lib. 2. de principijs, cap. 8. latissime: à quo anima media inter spiritū, & carnem ponitur, ut videtur Apostolus insinuare, i. ad Thesalonicenses, cap. 5. dicens: *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini Iesu Christi seruetur.* Hieronymus in explanatione capit. 5. ad Galatas, & cap. 5. in epistola ad Ephesios hoc ipsum dicit his verbis. *Nec non & illud est differendum, quomodo unius, atq; eidem dicatur quasi viventi, surge qui dormis, & quasi mortuo,*

1. Cor. 2.

*Origin. lib.
2 de Princ.
pijs, c. 8.*

*2. Ad Thes.
5.*

*Hiero. lib. 2.
comm. c. 5.
Ad galat. &
lib. 3. cōm.
c. 5. ad Ephe.*

Liber secundus,

exurge à mortuis, igitur quia Et spiritus est hominis, quem semper in bonam partem scriptum meminimus, Et anima cuius infirmitates, Et mortes legitimus peccatorum: id quod nunc dicitur, surge qui dor mis, referatur ad spiritum, Et quod sequitur, exurge à mortuis, anima coaparetur. Anima enim qua peccauerit, ipsa morietur. Spiritus autem morte numquā omnino legitimus. Hæc

Ezech. 18.

Hiero. in cōment. in Mi-
cheam. c. 2.

Ad gal. 5:

Ibidem.

Ad Galat. 6.

Ad Roman. 8.

Idē. in cōm. in Habacuc.

c. 2. Theo- phil. in Epi-

sto. 1. ad

Thef. c. 5.

Hieronymus. Et de spiritu refert idem clarissimè in commentarijs super Michæam prophetam in cap. 2. dicens. Quod autem spiritus tam in nouo, quam in veteri testamento ubi cunq; sine additam ēto ponitur, in bonā partē intelligatur, Et sapè diximus, Et nunc ex parte ponemus, ne cui dubiū sit: fru- et us autem spiritus, charitas, gaudiū, pax, Et si spiritu viuimus, spiritu Et ambule- mus: Et qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Et alibi: Si autē spi- ritu opera carnis mortificaueritis viuetis!

Id ipsum confirmat in cōmentarijs super Habacuc in cap. 2. Theophilatus Gregorium Nissenum secutus auctorem, in epistolam, i. ad Thesalonicenses, cap. 5. Quo- qui-

quidem pacto gloria non est bonum spirituale, nec scientia, nec ars, sed id deum, quod per se, & proxime ad pietatem, & religionem attinet, ut virtutes morales, & theologicæ, atq; carum actus, dona Spiritus Sancti, incrementa virtutum. Atq; hæc sunt quæ propriè à theologis bona spiritualia nominantur, & de quibus à nobis hoc in capite potissimum instituta est disputatio.

Et de prioribus quidem bonis non est admodum obscurum quid sit iudicandū. Nam de honore, cùm à gloria secernatur, capite duodecimo diximus. De virtutibus in bonis secundi ordinis dicemus.

Artes verò, & scientiæ nunquam incident temporis, quo propter gloriam versentur in periculo. Etenim neq; amitti, nisi dissimilèqueunt, & natura sua gloriam ornant, & iuvant, ut nunquam impedimento esse possint.

Sed obstat, aut periclitari aliquando fingamus, ut si quis aut deserere gloriam, aut in morbum incidere necesse

esse

Liber secundus,

esse videat, quò ea, quæ multis annis didicit, obliuiscatur, aut in eum locum aспорtari, quò vel temporis, vel librorum inopia, curisq; multis numquam se se in artibus exerceat, easq; amittat. Vtrum eo tempore conseruanda est, gloria? an disciplinæ?

Evidem gloriā arbitror: nemo enim est qui non carere malit disciplinis, quam gloria, nec iniuria, nam turpior est gloriæ, quam scientiæ priuatio. Turpius etiam dedecus, quod gloriæ contrarium est, quam error, qui est contrarius scientiæ.

Præterea, gloria est comes quædam, & quasi umbra virtutis, scientia rectè potest sine virtute consistere. Gloria omni loco, omni tempore indigemus, scientia non ubiq; desideratur.

Item quod gloriose fit præstantius est eo quod scienter fit, nihil enim fieri gloriose potest, nisi cum virtute fiat. Quæ scienter fiunt, sine virtute fiunt sæpè: est igitur gloria, quam scientia præstantior. Gloria sine literis peroptabilis est, literæ sine gloria sæpen numero reprehenduntur,

tur, & vituperantur.

At secundi ordinis bona, quæ sola iure spiritualia vocantur, multò minus cogitari potest quomodò gloriæ causa in discrimen veniant. Est quidem virtus una, quæ veram gloriam gignit, nutrit, alit, & quasi ad perfectam adducit etatem. Qui ergo fieri potest ut aliqua re gloria seruetur, aut augeatur, bona ista minuatur, aut pereant, nisi fortasse errore hominum corrupte de gloriæ natura iudicantium? Itaq; in eadem (ut aiunt) naue sunt bona spiritualia, atq; gloria, ut si illa mergatur, hanc etiam mergi necesse sit. Verùm esto, gloria cum virtute extinguitur, ut iam superius expusimus, aliquando tamen videmus hinc gloriam, hinc virtutem diuersis causis in periculo versari. Proferamus exempli gratia in medium theologum gloria præditum, qui videat alios sui loci, atq; ordinis ad Barbaras ire nationes, ut eas euangelicis præceptis imbuant, & ab errore abducant. Hic si non eat, amittit gloriam, si eat timet immanitatem, & feritatem Barbarorum, pericitatus est sàpè constantiam suam,

suam, sensit se esse doloris impatientissimum, flecti, atque vinci posse tormentis. Vtrum cundum illi est, an manendum? Admittit in se quisquam magnum scelus, quem si ego fraternè corrigo resipiscet ille quidem paulò post, sed mihi continuò multa ante aetæ vitæ meæ crimina obijciet, gloriamq; omnē adimet, in qua ego modo videbam: silendum ne erit, an loquendum? multa alia possumus in hunc modum comminisci.

Sed ut hæc enucleentur exactius, intelligendum est, duplex esse periculum, alterum nec vero simile, nec probabile, quod opinione prudentium expectari non debet, certum alterum, & probabile in primis, ac eiusmodi, ut meritò credatur facile euenturum, quod timetur. Quod vero sit certum, aut incertum periculum, non tam sæpè ex natura rerum, quam ex cuiusque imbecillitate, aut firmitate, aut ex prudente animaduersione existimandum est. In una enim eademq; re huic certissimumominet periculum, illi aut nullum, aut admodum incertum. Conuenire venustam,

tam, & speciosam fœminam homini casto, qui diu continentissime vixit improbabile periculum est lasciuo, & intemperanti iuueni, nullamq; sibi voluptatem neganti certissimum, & probabilissimum. Et quāmuis aliquando accidat, vt qui se improbabili periculo obiecit, in illud tandem incurrat, ille verò alter ceito, & verisimili, cui se se exposuit, liberetur, tamen hic, cùm probabile periculum adiuit, peccauit, ille non peccauit. Nam peccata quoniā voluntate maximè fiunt, non ex euentu, sed ex animo penduntur, atq; spectantur. Quod pereleganter ab Quidio, licet aliud agente dictum est.

Ouid.

*Careat successibus opto
Quisquis ab euentu facta notanda
putat.*

Recte sanè, modò ille etiam euentus nō fuerit præcogitatus, atq; appetitus.

Deinde periculum siue probabile, siue improbabile sit, iterum diuidendū est. Aut enim est imminutionis bonorum spirituum, aut amissionis. His ita positis tribus conclusionibus res tota elucebit.

—
- 631 -

Oo

Pri-

Prima conclusio. Periculo non probabile, nec verosimili, siue imminutionis sit, siue amissionis, recte offerri queunt bona spiritualia pro gloria tuenda. Hoc ita confirmo. Iure pro gloria fiunt, quæ sine peccato fiunt, at quoduis improbabile periculum sine peccato suscipitur: non est ergo quod negemus hoc etiam in bonis spiritualibus euenire posse. Huius orationis propositio sponte sua omnibus probabitur, si gloriæ præstantiam inspexerint, considerauerintq; merito homines elaborare solere in ijs conseruandis, quæ sunt magno, tum etiam honesto labore comparata. Assumptio inductione fit perspicua, atque aperta.

Non peccat natandi peritus, cùm insilit in altum fluuium, quāmuis aliquando natatores ipsi mergantur: nec velox robustusq; venator, cùm feras atrociores insequitur: nec verò egregius cursor, qui in circum ad taurorum spectacula conuenit, idq; ita euenit, quoniam ratio ipsa doceet non esse probabile periculum.

At dices, hic temporarium bonum pericu-

riculo infertur, non spirituale. Evidem
fateor, sed idem est de spirituali iudicium.
Nam ille qui (ut in exemplo persuitam)
continentissime vixit, & vires suas peri-
clitatus est, nullumodò offendit, cum li-
berali forma mulierem adit, quia abest pe-
riculo probabilitas. Imò verò est fortior
in vita vehementiorq; ratio, quam in spi-
ritualibus bonis, quoniam cum gratiam,
aut charitatem amitto, non sum ego qui-
dem in culpa ob id ipsum, quod amitto,
sed quod aliquo facto ab officio recessi, &
à lege diuina, vnde consecuta est amissio
charitatis: itaq; non fuit duplex pecca-
tum, contra legem Dei facere, & charita-
tem amittere, sed simplex. At cum vitam,
aut etiam aliquod membrum temere amit-
to in ipsa ammissione peccatur. Si igitur
huiusmodi periculum in vita suscipi po-
test, licebit quòque in bonis spiritualibus
suscipere, quæ magis in potestate nostra
sunt.

Est ad hoc ipsum altera facilis illa qui-
dem, sed princeps ratio, in qua est quasi
radix quædam prioris, quæ sic se habet.

Periculum improbabile non est re vera periculum. Id enim philosophi ac theologi improbabile periculum vocant, quod licet naturaliter accidere queat, tamen experti atq; prudentes homines iudicant non euenturum. Atq; illud ipsum philosophi morales (quia omnia prudetum iudicio, atq; sententia metiuntur) interdum etiam negat euenire posse. Cum ergo in actionibus nostris prudentiam, ut regulam sequamur, omnino efficitur, periculum quod prudentibus non euenturum videtur, nullum esse, nec verè periculum dici. Nihil igitur laeditur bonorum spiritualium dignitas, cum in tale aliquod periculum adducuntur. Et ut esset re vera periculum, tamen ignorantiae, & dissolutionis insimularetur ab omnibus, qui metu incertissimi periculi bonorum spiritualium prudens, & sciens se in alterum existimationis suæ praesens, apertumq; coniiceret, atq; ita decus contemneret, quo vix quicquam maius, aut melius homines se possidere arbitrantur.

Secunda conclusio. Certo probabiliq;
peri-

periculo imminutionis, aut amissionis nullo modo exponi queunt bona spiritualia, etiam pro totius reipublicæ gloria. Quod in hunc modum confirmo.

Quamvis nouum peccatum non sit isthac bona amittere, tamen amitti sine peccato nequeunt: qui igitur exponit se periculo amittendi, simul adit certum periculum incidendi in peccatum mortale. Qui vero tale aliquod periculum suscipit, ob id ipsum, iam in mortale peccatum cadit. *Qui enim amat periculum, in illo peribit.* Ut constat ex Ecclesiastici, cap. 3. Nunquam licet peccare, nunquam ergo hæc in periculum asserre.

De imminutione eadem est ratio, idēq; iudicium. Näm charitas interire illa potest quidem, minui non potest, ut probat elegantissimè sanctus Thomas secunda secundæ quæstione vigesima quarta articulo decimo, in responsione articuli dicens, *Respondeo dicendum quod quantitas charitatis, quam habet ad obiectum proprium, minui non potest. Si autem diminuatur, oportet quod diminuantur,*

Eccl. cap 3.
S. Thom. 2:
2. q. 24. art. 10.

853 Liber secundus,

tur, vel per aliquem actum, vel per solam
cessationem ab actu: per cessationem quidē
ab actu diminuuntur virtutes ex actibus
acquisita, & quandoq; etiam corrupti-
tur: sed hoc est quia conseruatio unius cu-
iusq; rei dependet ex sua causa: causa au-
tem virtutis acquisita est actus humanus,
vndē cessantibus humanis actibus virtus
acquisita diminuitur, & tandem totaliter
corruptitur. Sed hoc in charitate locum nō
habet, quia charitas non causatur ab hu-
manis actibus, sed solum à Deo. Vnde re-
linquitur quod etiam cessante actu, propter
hoc nec diminuitur, nec corruptitur, si de-
sat peccatum in ipsa cessatione. Relinquitur
ergo quod diminutio charitatis non possit
causari, nisi vel à Deo, vel ab aliquo pecca-
to: à Deo quidem non causatur aliquis de-
fectus in nobis nisi per modum pœna, secun-
dum quod subtrahit gratiam in pœnā pec-
cati. Vnde nec ei competit diminuere cha-
ritatem nisi per modum pena, pœna autem
debetur peccato. Vnde relinquuntur quod si
charitas diminuatur, quod causa diminu-
tionis eius sit peccatum vel effectuè, vel

merit-

meritorie. Neutro autem modo peccatum mortale diminuit charitatem, sed totaliter corrupit ipsam, & effectiuè, quia omne peccatum mortale contrariatur charitati. Et etiam meritorie, quia qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit dignum est ut Deus ei subtrahat charitatem. Similiter etiam nec per peccatum veniale charitas diminui potest, neq; effectiuè, neq; meritorie effectiuè quidem no, quia ad ipsam charitatem non attingit: charitas enim est circa finem ultimum, veniale autem peccatum est quadam inordinatio circa ea que sunt ad finem. Non autem diminuitur amor finis ex hoc, quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea, que sunt ad finem, sicut aliquando contingit, quod aliqui infirmi multum amantes sanitatem, inordinate tamè se habeant circa observationem dietæ: similiter etiam peccatum veniale non meretur diminutionem charitatis. Cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in maiori: Deus enim non plus se auertit ab homine, quam homo auertat se ab

ipso. Vnde qui inordinate se habet circa ea,
quae sunt ad finem, non meretur detrimentum
pati in charitate, per quam ordinatur ad
ultimum finem. Vnde consequens est, quod
charitas nullomodo diminui possit directe
loquendo, potest tamen indirecte dici dimi-
natio charitatis dispositio ad corruptionem
ipsius, quae fit vel per peccata venialia, vel
etiam per cessationem ab exercitio operum
charitatis. Non potest ergo charitas inte-
rire sine peccato. Idem dicendum de gra-
tijis est, sunt enim ita coniunctae, atq; con-
nexae, ut nunquam secerni queant. Deniq;
omnes habitus necessariò aut contrarijs
actibus, aut cessatione, & quiete corrum-
puntur, atq; minuuntur. Qui verò nobis
diuinitus infusi, ac dati sunt, nequeunt ullo
pacto cessatione corrupti, aut minui.
Nam cum rei cuiuscunq; conseruatio ex
causa sua pendeat, ijdemcum habitus quie-
te, & desuetudine minuuntur, conserua-
riq; desinunt, qui labore, atque industria
nostra parti sunt. At eos, qui infusi dicun-
tur, à Deo accipimus, non opera nostra
comparamus. In quibus sanctus Thomas

prima

prima secundæ quæstione sexagesimateria art. 3. non theologicas modo virtutes, sed morales etiam numerat, dicit enim: omnes autem virtutes tām intellectuales, quām morales, quæ ex nostris actibus acquiruntur, procedunt ex quibusdam naturalibus principijs in nobis præexistentibus. loco quorum naturalium principiorum conferuntur nobis à Deo virtutes thæologicæ, quibus ordinamur ad finē supernaturalem. Vnde oportet quod his etiā virtutibus Theologicis proportionaliter respondeat alij habitus diuinitus causati in nobis, qui sic se habeant ad virtutes Theologicas, sicut se habent virtutes morales, & intellectuales ad principia naturalia virtutum.

Relinquitur ergo omnes habitus infusos nec minui, nec amitti posse, nisi cōtrarijs actibus. Nō est autē actus cōtrarius virutibus, quin peccatum mortale, aut veniale sit. Si igitur non est pro gloria peccatum, nec imminutionis periculum subeundū est. Ex quo primum omnium sequitur, ne virtutes quidem morales à nobis partas

S.Tho. 1. 2.
q. 63. artc. 3.

Liber secundus,

exponi posse periculo imminutionis, quæ quidem ex contrarietate actuum efficitur: nam de ea quæ ex cessatione proficitur, statim dicemus.

Secundò sequitur, virtutes omnes, ac præcipue charitatem, non dicam pro sola gloria (quæ ex bonis externis est, & bœnis animi facilè concedit) verùm nec pro maximo emolumento spirituali totius reipublicæ, aut prouinciæ, aut etiam religionis, in id discriminis perduci licitum esse, vt vel perdendæ sint, vel earum iactura aliqua facienda. Nam iactura sine peccato non sit, dicere autem licitum esse quamuis magna causa peccare, cùm est per se turpe, atq; deformis, tūm etiam continet manifestissimam repugnantiam. Peccatum enim est quod nunquam licet, si ergo licet, peccatum non est. Quemadmodum Augustinus latissimè in libellis de mendacio, & contra mendacium, & lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 36. negat ullum ex cogitari posse tantum bonum, vt pro eo vel leuiter mentiri liceat, quoniam sequetur licitum etiam esse aliquando peccatum.

Aug. lib. de
Mendacio,
& contra
mendacium
& lib. 1. de
doctr. Chri.
c. 36.

tum. Sic sanctus Thomas, 2.2. quæst. 110.
artic. 3. ad quartum argumētum, & quodlibeto primo, artic. 9. Et quodlibet, 10.
artic. 9.

S.Thos. 2. q.
110. art 3 ad
4.
Et quodl. 1.
art. 9.
Et quodl.
10. art. 9.

Cūm ergo in eruditis, ac probatis auctoribus offendemus pro salute animarum licitum esse vitam spiritualem obijcere periculo, vt in doctissimo Dominico de Soto lib. 5. de iustitia & iure quæst. 1. articu. 6. in obiectione ad tertiam conclusionem, de improbabili incertoq; periculo intelligamus, vt in 1. conclusione exposuimus. Quod ex ipsius quoq; verbis percipi potest.

Soto lib. 5.
de inst. q. 1,
art. 6,

Quòd si quis contra disputet ex Paulo ad Romanos noueno, vel iure iurando confirmante, atq; dicente, *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Aduertendum est primo pro explanatione, & huius loci declaratione (qui quidem meo iudicio difficilimus est, cùm magni etiam viri, vt ait Rupertus Abbas hactenus humeris suis expositionem versauerint, & rem sicuti est fatis verbis exprimere non potuerint, est enim vt ille inquit

Difficilimi
loci Pauli
ad Rom. 9.
optabā. ana
thema esse
à Christo,
&c.
Explanat.

Rupert. Ab
bas, lib. 4.
comm. in e-
xod. c. 30.

inquit hoc pene ineffabile, nec nisi aliquid de eiusdem charitatis spiritu habentibus saltem sensu perceptibile est:) quomodo homo Deo familiaris qualicūq; causa, vel ratione hoc animo suo admittere possit, ut à Deo anathema esse concedat, & quomodo in ista concessione non solum nullā incurrat pœnam, aut culpam, sed etiam ampliorem apud Deum mercatur gratiā? Nos autem non nostra eruditione confisi, sed misericordia Dei cōfidentes qui per infantes docet homines scientiā, eius aggredimur explicationem, qui quidē multas habet expositiones.

i. Expositio:

Prima expositio est. Paulum hic loqui referendo se ad tempus quo Iudæus erat, ita ut sensus sit, Ita vos semper amavi quod optabam (scilicet cum in Iudaismo eram) anathema esse à Christo, idest, diuīsum esse, & nullum cum illo habere commercium, pro fratribus meis, idest, zelando salutem Israel. Ita in hunc locum beatus Primasius Africanus, beatus Bruno, Ambrosius, & Hieronymus dicit: Optabam, idest cum persequeretur Christū, non modo optare,

Nobis

inter-

S. Primas.
S. Bruno,
S. Ambros.
S. Hieron.,

Interlin. ibi
 Liranus.
 Hugo Card.
 Cajetan.
 Martinez.
 Hypot. lib.
 2.c.c.2.
 S.Tho. 2. 2.
 q. 27 art. 8.
 ad 1. Arg.

Interlinearis ibidem, Lyranus, Hugo Cardinalis, Cajetanus, Martinez, lib. 2. hypotheseon, cap. 2. Nec dissentit diuus Thomas, 2. 2. quest. 27. art. 8. cuius verba sunt. *Ad primum ergo dicendum quod secundum unam glossam expositionem hoc Apostolus tunc non optabat, quando erat in statu gratiae, ut separaretur a Christo pro fratribus suis, sed hoc optauerat quando erat in statu infidelitatis: unde in hoc non est imitandus.*

Sed haec expositio merito rejicitur communiter tanquam intentioni Pauli dissona, quam Hieronymus super caput primum Iona, & Chrysostomus locis infra citandis nimis impugnant. Primo, quia Paulus hoc in loco loquitur cum iuramento, & magna exaggeratione, quod non esset necessarium, si de tempore quo Iudeus erat loqueretur, cum id esset omnibus notissimum.

Itē quia Paulus conatur ostendere se modo gentē suā vehementer diligere, at ex eo quod optaret, cū Iudeus esset fieri a Christo anathema nō probat amore praesente, idest,

Hiero. in o.
 1. Ioaz.
 Chrysost.

188 *Liber secundus,*

idest, cùm optaret esse separatus, & aliena-
tus à Christo. Separari enim ab amicitia
alicuius præsupponit illum qui ab amicitia
excidit, aliquando fuisse illi amicum, à cu-
iis familiaritate, & necessitudine semo-
tus est, Paulus verò eo tempore, quo per
sequebatur Christum, & erat Christianis
infestissimus, nondum erat coniunctus
Christo amicitia, neque fide. Idcirco non
est verisimile, nec credibile Paulum hoc
excellenti desiderio optasse fieri anathe-
ma à Christo ante suam conuersionem
pro fratribus suis. Vndè teste Ioanne Ar-
boreo libro 14. Theosophiè capite 17. pro
certo habent fere omnes Doctores Paulū
loqui pro tempore quo illa scribebat.

Secunda expositio est, quam refert Dio-
nysius Carthusianus, aliquorum, qui hunc
locum sic exponunt. *Optabam ego ipse*
anathema esse à Christo. Idest, separatus
esse à Christo pro fratribus meis predictis,
ut conuerterentur. Idest si fieri posset vel-
lem ad horā siue in hac vita, siue post mor-
tem separari à Christo, ut isti crederent.
Sed hæc expositio reiicitur. Quia cùm in
hac

Arboreus,
li. 14. Theo-
soph. c. 17.

Exposit.

hac vita non separetur homo à Christo nisi per culpam, immò per peccatum mortale, si Apostolus optasset separari à Christo in hac vita, propter conuersionem Iudeorum, ad tempus, optasset in mortale peccatum incidere, ut illi gratiam consequerentur, quod certum est dici non posse, cùm secundum eundem Apostolum, non sunt facienda mala, ut bona eueniant.

Huic etiam rationi subscribit Hieronimus Epistola ad Algasiam quæstione 9. dicens. *Sienim in Deum tantæ est charitatis ut neque metu mortis, nec spe vita, nec persecutione, nec fame, nec nuditate, nec periculo, nec gladio possit separari acharitate eius: & si Angeli quoque potestates, & vel præsentia, vel futura, & omnes cælorum fortitudines, & excelsa pariter, ac profunda, & vniuersa mundi creatura ei ingruat, (quod nequaquam potest fieri) tamen non separetur a charitate Dei, quæ habet in Christum Iesum, qui eo amoris incendio in Christum ita flagrabat, & ea charitate in Salvatorem nostrum effruescebat, ut nullis unquam tormentis ab eius amore:*

Hieron. ad
Algasiam.
q. 9.

Ad Rom. 5.

amore diuelli potuerit, qui supra dixerat,
Quis nos separabit à charitate Christi? tri-
 bulatio, an angustia, an persecutio, an fa-
 mes, an nuditas, an periculum, an gladius?
 Certus enim sum quod neq; mors, neq; vita,
 neq; angeli, neq; principatus, neq; praesen-
 tia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; excelsa,
 neq; profundum, neq; alia creatura poterit
 nos separare à charitate Dei, quam babe-
 mus in Christo Iesu Domino nostro. Cùm
 ergo hæc ita sint, quomodo potest fieri
 ut Apostolus pro charitate Christi nolit ha-
 bere ipsum Christum? Qui enim appetit
 anathema esse à Christo in hac vita, de-
 siderat separari à Christo, & ab eius amici-
 tia diuelli. Quod aduersatur ordini chari-
 tatis, nam magis obstringor mihi succur-
 rere, quā alteri, nec debeo velle damnari,
 & de ieci in ignem æternum, ut meus sal-
 uetur proximus.

3. Exposit.

Tertia expositio est, Paulum optasse se-
 parationem Christi ad tempus, id est, care-
 re visione diuina per dilationem gloriæ si-
 bi paratæ pro tempore necessario ad salu-
 tem proximorum: ita quòd optauit diu-
 tius

tius manere in hac vita presenti, & distulisse æternæ vitæ præmium, quod finita hac peregrinatione erat consecuturus, quatenus Iudæorum conuersationi intenderet: iuxta id quod dixerat ad Philippenses, 1.
Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos. Ita Lyranus ad Romanos, 9. Magister sequens Aymonem in eundem locum. Origenes lib. 7. in epistolam ad Romanos Arboreus lib. 14. theosophiæ cap. 17. Sanctus Thomas, 2. 2. quæst. 27. art. 8. ad primum argumentum citans diuum Chrysostomum lib. 1. de compunctione cordis, frater Gutierre de Trejo minoritanus ad Romanos 9. Et ibidem Chrysostomus homilia, 1. de laudibus Pauli ubi sic ait, *Quid enim verbis reperiatur aquale, qui gloriam Domini zelando dicebat?* *Quoniam optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Propterea ecclæs, sibi propositis premijs, & coronis, tardauit atq[ue] distulit dicens permanere au-

Lyranus.
Magister
Aym.

Orig. lib. 7.
in Epist. ad
Rom. Arbo.
lib. 14. theo-
sop. c. 17.

S. Tho. 2. 2.
q 27. ar. 8. ad

1.
Chrysost. de
compunct.
cordis.

Trexo in e-
pisto. P. ad
Rom 9.

Chris. hom.
1. de laudi-
bus Pauli;
tom. 3.

tem in carne necessarium est propter vos.
 Propterea non solum istam quae cernitur,
 sed illam quoque quae intelligitur creaturam,
 nequaquam sufficere sibi credidit ad ostendendum zelum, & charitatem, qua ardebat
 in Christum: sed etiam aliam, quae non
 est, sermone formauit, ut quod tota voluntate cupiebat exprimeret. Et homilia, 2. de laudibus eiusdem generosissimi athletæ id ipsum confirmat. Et nobis haud obscure subindicat retardari ad tempus à gloria æterna, ut multi à démonum ac peccatorum laqueis eripiantur, & tandem saluentur, non esse malum, imò sane eligendum. Verba Chrisostomi sunt, Primum erat Paulo disoluti, & esse cum Christo, permanere autem in carne, certamen, sed tamen propter Christi desiderium pramia differebat cupiditate certaminis: idque magis necessarium esse ducebat, e regione vero anathema à Christo fieri optabat. Certamen hoc erat, & dolor, magis autem & supra certamen, supraquaque omnem dolorem. At vero esse cum Christo erat primum singulare, Paulus tamen propter Christum illud maluit,

Idem hom.
 2. de laudibus eiusdem
 Pauli.

maluit, quam istud eligere. Hæc Crisostomus.

Huic suffragatur sententia doctissimus Theophilactus docens amplissime in suis ad eandem Pauli epistolam commentarijs quare Paulus vehementissima in Deum charitate incensus optauerit anathema fieri pro Israëlitis. Cum enim (inquit) omnes Deum accusarent quod ad operatione donatos, glorificatosq; adeoq; maiores Christi appellatos Hebraos ejaceret, introductis in illorum locum gentibus, quæ ipum nunquam agnouissent, ob murmurarentq; Dei prouidentia, blasphemо affirmantes ore, quod ista inique fierent, quippe quia Deus imposuisset primogenitoribus, quibus gratiam illam & donū promisisset: marenstaque Paulus, anxieque motus, & morsus pro Dei gloria optauit anathema, id est, alienatus esse a Christo, ut illi seruaretur, dissoluereturque eorum aduersus Deum maledicentia, optat igitur ex amore quo in Deum inflammatus est (si modo fieri posset) separari à catu eorum, qui cum Christo aeternum vivent, non à charitate ipsius, &

Theoph. in
comm. epis.
Paul. ad Ro
man. cap. 9.

288
Liber secundus.

filii usū perinde ac patres sive numero à
filiis segregantur, ut glorificantur filij, inter
ea loca tamen non dissociantur a dilectione
liberorum, verum ipsi in glorij esse cupiunt,
ut filij clari evadant itaq; ipse (inquit) ego
qui innumera transfigi diligens Deum su-
be præquam natura ferat, opto pro gloria Dei
excidere a gloria Christi, Hoc autem non
id est excidere, sed potius assequi. Hæc ille.

Sed hæc expositio quāuis vera sit, nō
tamen satisfacit diligenter scrutanti ardē-
tissimum desiderium Pauli, quia Paulus di-
cit hæc, ad insinuandum singularem affe-
ctū suum circa Iudeos, sed prædicto mo-
do optauit etiam separari a Christo pro
gentibus, ut patet ex multis locis epistola-
rum eius.

Item quia Apostolus dicit hæc quasi
valde aliquid præcipuum, sed prædicto mo-
do velle separari a Christo, non esset ita
præcipuum, cum & alijs sancti multi infe-
riores hoc ipsum optauerint, sicut legitur
de beato Martino, cum dixit. Domine si
ad hunc populo tuo sum necessarius, non re-
cusabo laborem.

Træ-

Præterea quia non sequitur, si quis ve-
lit differri à gloria sibi parata in cœlo vt
alijs prosit, quod ideo optet esse anathe-
ma à Christo absolutè loquendo, sicut
Apostolus loquitur, immò hoc pertinet ad
maiorem vñionem cum Christo, tam
quantum ad meritum, quam quantum ad
gloriam, cùm hoc sit eximiæ charitatis
Dei & proximi opus. Propter quod ad Phi-
lippenses primo dicit idem Apostolus, *Vi-
vere in carne hic mihi fructus est.* Vndè
aliud videtur insinuare Apostolus in ver-
bis prædictis.

Ad Phili. 1.

Quarta expositio est, vt Paulus loqua-
tur hyperbolice & per exaggerationem,
non quod verè optaret, sed vt ostenderet
feruorem charitatis erga suos, idest, in tan-
cum diligo salutem Israël, vt si opus esset
priuari eo, quod apud me est maximum,
scilicet, visione diuina in perpetuum, fer-
rem libenter. Et hoc loquendi genere sæ-
pe vtitur sacra scriptura vt, 2. lib. Paralipo-
menō, cap. 36. dicit Manasses, *Peccavi su-
per numerum arena maris.* Et psalmista
psalmo, 68. *Multiplicati sunt super capi-*

4. Expositio

2. Paralipo-

36.

Psalmo, 68.

Liber secundus.

llos capitis mei, qui oderunt me gratis. Et
in libro Iudicum cap. 20. dicitur de habita-
toribus Gabaa , scilicet filiis Benjamin,
Quod erant viri fortissimi iacentes fun-
dis lapidem, ut capillum possent pertingere,
& nequaquam ictus in alteram partem
ferretur. Hæc est Lypomani in Catena
exodi, cap. 32. Patricius Cocburnus, Scoto
in libello de vulgari sacræ scripturæ phrasि
cap. 14. Gundisaluus de la Zerda , ordinis
militiae de Alcantara in eundem locum.
Dionysius Carthusianus in epistolam Pau-
li ad Romanos, 9. & idem dicunt de verbis
Moysis. Dimitte eis hanc noxam, aut dele
me de libro tuo quem scripsisti. Verba Dio-
nysj sunt huiusmodi. Potest enim (& vt
reor melius) dici quod tam Moysis quam
Pauli verbum sit sermo hyperbolicus, id est,
per excessum dictus, tamen sine mendacio:
In huiusmodi nang, sermone sensus non est
qui per orationem directè importatur, sed
qui à loquente intenditur, qui propter ra-
tionabilem causam tali locutione utitur,
eo quod res melius significari, seu clarius
explicari non valeat, nisi per excessum, scit
tamen:

Lypom. in
Catæ. exod.
cap. 32.
Patric. Sco.
to de vulg.
sacræ scrip.
phras. c. 14.
Gundisaluus
de la Zerda.
ibi.
Dion. Cart.
ad Rom. 9.
Eyod. 32.

tamen qui loquitur quo usque credatur,
Apostolus ergo magnitudinem sui desiderij, quo Iudaorum optat salutem plenè exprimere nequies, per hyperboleum ait, optabam enim ego ipse, idest, tam ardenter concupiui salutem fratrum meorum Iudeorū, quod huc affectum apertius designare non possum, nisi dicam me voluisse separari à Christo, (secundum modum iam tactum)
 Hæc Dionysius.

Quinta expositio est, aliorum asserentium Paulum verba prædicta protulisse ex maxima confidentia, & familiaritate diuina, ita quod optauit, & forte vocaliter exorauit anathema esse à Christo propter Iudeos, orans sic. *Domine Iesu conuerte populum hunc, aut si non facis aufer me à consortio electorum, idest, sicut ex magna familiaritate, atq; fiducia cordis mei ad te, certus sum quod non permittes me separari à te, sic oro certificari de conuersione Iudeorum ad te.* Et sic exponunt illud Moysis exodi, 32. supra citatum: ita ut sensus sit: quemadmodum Domine certus sum quod non delebis me de libro vitae, sic

pero certifidari à te de remissione culpæ
populi tui. Ita Philoludetus in tractatu de
eo qui rerum diuinarū hæres sit circa prin-
cipium. Et sic sanctus Hieronymus refert
dixisse Paulum simplicem Domino. Cum
enim nō exaudiretur solita celeritate pro-
cuiusdam sanatione infirmi , dixit, Verē
non comedam nisi sanaueris eum , mōxq;
sanatus est æger. Et sicut filius aliquis dilec-
tus dicere solet patri , de quo plene confi-
dit , fac quod peto , vel ei jec me de domo ,
& hæreditate tua. Similimodo dicunt pos-
se intelligi de verbis prædictis Pauli. Fauet
etiam huic sententiæ Augustinus in lib. 2.
quaestionum super exodus dicens, Cum

Aug. in lib.
3. quest. sup.
exod. q. 147.
tom. 4.

Moyses dicit ad Deum, Precor, peccauit
populus iste peccatum magnum, & securi
sibi Deos aureos, & nunc siquidem remit-
tis illis peccatum illorum, remitte. Sin autē
dele me de libro tuo quem scripsisti. Secu-
rus quidem hoc dixit, ut à consequentibus
ratiocinatio concludatur, id est , ut quia
Deus non deleret Moysen de libro suo, po-
pulo peccatum illud remitteret.

Sed his suppositis produabus alijs ger-
manis

manis expositionibus huius loci oportet
notare Anathema esse nomen græcum à
verbo anathizimi, quod significat iuspen-
do, separe, sepono. Ita Budæus in com-
mentarijs. Erasmus in annotationibus.
Longonius in lexico Græco. Et hinc do-
naria quæ in templis suspendebantur, quæ
contingere, aut in usus prophanos con-
uertere non licebat, anathema vocaban-
tur: sic usurpat hoc nomen Aristophenus,
Macrobius, Herodotus, Andorides, & alij
ex antiquissimis Græcis. Idem etiam Stra-
bo, lib. 5. geographiq. Isocrates, & Home-
rus Odisee, lib. 21.

Potest etiam anathema originem habe-
re à nomine græco anathesis, id est, dica-
tio, consecratio, oblatio, cōponiturq; ab
ana, quod est sursum, & thesis, quod est po-
sitio, ut dicatur quod sursum ponitur: ita
diuus Thomas ad Romanos, 9. Athenæus
lib. 15. quēm sequitur Budæus in cōmenta-
rijs. Hinc anathema dicti sunt sacri homi-
nes, quorum capita dijsdicata sunt, ex quo
patet quod apud Græcos quæcunq; Dgo
offerebantur, siue homines, siue donaria,

Anathema,
vnde dicatur.
Budeus in
commenta-
rijs.
Erasmus in
annotationi-
bus.
Longonius
in lexico
Greco:
Aristoph.
Macrobius:
Herodotus.
Andorides:
Strab. lib. 5.
Isocrates.
Homerus.
Odisee lib.
21. Budæus,

S.Thom. ad
Rom, 9.
Athenens,

Liber secundus,

Theſauri, lin-
guæ Græce.
Herodotus.
Plutharch.
Plato.
Aristot.
Nauarr. in
cōm. in ex-
trauagatē
de datis, &
promissis
pro iustitia
vel gratia
obtinenda,
i.p. n. 10. cū
seqq.
S. Aug. lib.
4. q. sup. nu.
q. 41. tom. 4.

anathema dicebantur, ut prædicti conue-
niunt. Et ita habetur in Thesauro linguæ
Græce, & in hac significatione eovis sunt
Herodotus, Plutarchus, Plato libro 2. de
Republiça capite vltimo. Aristoteles lib.
4. ethicorum. Huic sententię fauet noster
Nauarrus commentarijs in extrauagantē
de datis, & promissis pro iustitia, vel gra-
tia obtinenda, fauet Diuus Augustinus lib.
4. quæſtionum super numeros quæſtione
41. cuius verba sunt. *Et anathemauit eū,*
& ciuitatem eius & vocatum est nomen
loci iustius anathema; hinc dictum est ana-
thema quod detestabile aliquid, & abomi-
nabile videatur. Et infra, *Origo autem est*
huius verbi in græca lingua ab ijs rebus,
qua vota, & persoluta, hoc est, promissa, &
reddita sursum ponebantur in templis, hoc
est sursum ponere, vel figendo, vel suspende-
do. Nec est audiendus hic Ioannes Mo-
nachus vir (ut dicit Nauarrus) alioqui vi-
gilantisimus, scilicet, anathema dici ab
ana, quod est sursum, & thema quadam fi-
gura quasi rotunda habente celum quasi
ex transuerso, quæ consuevit ponи in fron-
tibus

tibus damnatorum, nulla enim ratione iusta (ut inquit Nauarrus) nec auctoritate nititur.

Alciatus tamen vir admodum eruditus asserit hanc dictionem anathema esse Hebræā, & adducit pro sua scriptura Hieronimum super I.c. epist. ad Galat. lib. I. per illa verba. *Anathema proprie Iudaorum est, & positum tam in Iesu Naue, quam in numeris quando omnia quæ erant in Hiericho, & Madianitarum detestationi, & anathemati habenda Dominus imperauit.*

Quorum duorum irrefragabilis auctoritas grauiissimorum sanctorum conciliari posse doctissimo Nauarro videtur: quia non inconuenit ut vna, & eadem dictio sic duabus linguis diuersis communis, siue quodd altera eam acceperit ab altera, ut multas accipit à Græca Latina, siue quia cū omnia significant ad placitum, primis auctoribus illarum placuit, ut vna & eadem vox apud ambas idem significaret: tum quia Augustinus nō negat esse Hebreām, nec Hieronymus esse Græcam. Et vrgenti (quod Hieronymus ait) eam esse proprię

Alciatus.

S. Hier. lib. I.
scđm. epis. 7
ad Gal. c. 1.
tom. 6.Concordantur Hier. &
August.

prie Iudeorum responderi potest eum sentire, illam origine, siue inuentione esse Hebraeam: cui nō repugnat esse usum Græcā, & ita opponenti verba Augustini, origo huius verbi in Græco est ab ijs rebus quæ votæ sursum ponebantur in templo, respondetur non esse hoc intelligendum de origine, & inuentione dictionis, sed de origine usus eius apud Gr̄cos: ab Hebræa enim lingua, quæ omnes alias pr̄cessit, potuit hanc Græca mutuari, non contra Græca Hebræa.

Iudith, 16. In qua significatione prædicta sèpè cavitur scriptura: ut *Iudith, 16.* Porro *Iudith* uniuersa bellica *Holophernis* obtulit in anathema oblinionis, id est, dicauit, & consecravit Deo in æternum suspendens ea in templo. Et *Iosue, 6.* Sit ciuitas hac anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino. Id est, sint consecrata Domino.

Iosue, 7. Et infra, *Cave ne contingatis aliquid anathematis.* Et cap. 7. *Indignatus est Dominus propterea quod Can filius Carmi usurpauit de anathemate seruans clamidem, & regulam auream.*

Ex quo infestit Iustinus martyri quæstionibus ad orthodoxos quæst. 121. quod in sacra scriptura anathema significat quod Deo cōsacratum est, & illi soli separatum, ut non possit in alios usus conuerti, Id ipsum cōfirmat Euthimius in psalnum, 33. dicens, *Quod David sustulit gladium Goliatum quod erat in templo in anathema, & regum,* 21.

Ex hac significatione huius nominis anathema orta est alia, quam optimè explicat diuus Chrisostomus homilia, 16. in cap. q. epistolæ ad Romanos, quod sicut ea quæ Deo sunt consecrata anathema à Græcis appellantur, eo quod religionis causa separata sunt, & contrectare non licet sic etiam ea, quæ detestationis causa non cōtinguntur, & separantur, anathemadicuntur. Verba Chrisostomi sunt, *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, is anathema sit, hoc est ab omnibus omnium cōmercio segregetur, alienus ab omnibus sit.* Nā quemadmodū anathema, donum id quod Deo oblatum dedicatur, nemo est qui temere manibus contingere audeat, neque

Iustin. martyr, quæstionib. ad orthodoxos, q. 121.

Ita etiam I-sichius Hie-rofrosolimitanus, in Leuiticū, lib. 7 c. 26. circas fin. S. Tho. vbi sup. citatus. Euthim. in Psal. 33, 1. Reg. 21.

Chris. hom. 16, in epist. ad Rom. cap. 9, com. 4.

Liber secundus,

ad id propius accedere, sic ēG eum qui ab Ecclesia separatur, ab omnibus abscondēs, ac tanquam longissimè abducens, hoc nomine a contrario scilicet appellat magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo ut separentur, ac pedem referant. Anatemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat, ab eo autem qui ab Ecclesia abscissus erat, ex opposita omnes sententia separabantur. Quia propter separatio quidem, tum hac, tum illa, ex aquo a vulgo ab alienatio erat. Separationis verò modus non unus, sed illi contrarius, ab illo enim abstinebant, tanquam Deo dicato, ab hoc autem decedebant, tanquam a Deo alienato, & ab Ecclesia abscisso. (Hæc Christostomus.)

Andr. Ar-
chiep. Cesa-
riensis in A-
pocalips. c.
67 in b' iuio
teca veterū
patrum, to.
x.

Et vtranq; significationem complecti-
tur Andræas Archiepiscopus Cæsariensis
in commentarijs in Apocalipsim, cap. 67.
his verbis: Cùm anathematis nomen bisfa-
riam usurpetur, vnon modo pro eo quod soli
Deo consecratū, & dedicatum est, ad quod
proinde promiscuè multititudini non patet
accessus: alio modo pro eo quod neq; sanctis
illis.

illis virtutibus, neque ulli alteri creature
contrectare fas est, ut pote diabolo nuncu-
patum, nec non ab omnipotens pro rorsus bono, & ho-
nesto alienum, quod grani quadam emphâ-
si catathema, vel maledictum vocatur. Re ip-
sa enim tale anathema cœlesti numini non
dedicatur, neque ut res votiva solent, Deo
suspenditur, sed ut res diabolo subiecta, si-
mulque cum illo condenationi obnoxia de-
ponitur, & tanquam profanum quiddam
pedibus calcatur. Hac ille. Quam etiam
veranq; significationem complectitur Iu-
stinus supra, his verbis. Anathema signifi-
cat quod Deo repositum est, vel quod à
Deo propter vitium alienatum est. Vnde
sicut in prima, ita in secunda significa-
tione sapè usurpatur in sacra scriptura.
Anathematizo, idest, detestor, exe-
cutor. Vnde numerorum capite vige-
simoprimo, ubi nos legimus. Si tradi-
deris populum istum in manu mea dele-
bo urbes eius, exaudiuitque Dominus
preces Israel, & tradidit Chananeum,
quem ille interfecit subuersis urbibus e-
ius, & vocavit nomen loci illius Horma,
idest

Iustin. vbi
supra.

Num. 21.

1005 . . . Liber secundus,

Biblia, 70. Idest, anathema. Septuaginta interpretes interpretū
ibidem. habent, Si mihi tradideris populum istum
subiectum, anathemabo illum, & ciuitate
eius. Et exaudiuit dominus vocem Israel,
& tradidit Chananum subiectum eius,
& anathemauit eum, & ciuitates eius, &
vocatum est nomen loci illius anathema.

s, tom. Con
ciliorum. Vnde Iustinianus Imperator in edicto si-
dei quod habetur, i. thomo Conciliorum.
Anathema (inquit) nihil aliud significat
quam separationem a Deo. Sic etiam usur-
pauit Athanasius quæstionibus super no-

Athan, que
stionib, su-
per nouum
testa, q. 135, uum testamentum quæst. 135. Et concilia
communiter quando hæreticos feriunt
anathemate, idest, execrantur eos, ut sepa-
ratisint à Deo, & Ecclesia, tanquam labo
infecti. Quo sensu intelligendus est diuus

Ad Gal. 1. Paulus ad Galatas, i. dicens, Si nos aut An-
gelus de cælo Euangelizauerit vobis præ-
ter id quod Euagelizauimus vobis, ana-
thema sit. Idest, sit execratus, & separatus à
vobis. Et in hoc sensu declarat hoc nomē
anathema Vincentius Lyrinensis de Hæ-
resibus cap. 12. & 13. quod idem sit quod
separatus, exclusus, & segregatus. Et con-
fir-

Vincēc, Ly-
rinensis de
heresib, ca.
22, & 13,

firmantur istae duæ significationes. Quia
 cùm ex Hieronymi, & Hebreis, anathema
 tis nomen & usus frequens fuerit apud
 Hebraeos, illinc deducenda est significa-
 tio. Constat autem quòd ubique apud
 70. interpretes, vel in Hieronymi, vel alia
 translatione habetur nomen anathema,
 in Hebræo respondet vox herem, & para-
 phasis Chaldaica semper pro voce hierē,
 transfert anathema. Ut patet leuitico ulti-
 mo, & alibi sèpè. At vox herem deducitur
 à verbo haram, quod significat occidere,
 disperdere, destruere. Vnde Ieremiæ pri-
 mo significat occisionem, seu destructio-
 nem. Ex quo orta est alia significatio, nam
 quia quæ Deo offerebantur, mactaban-
 tur in sacrificio, aut sub conditione occi-
 sionis hostiam, vel subuersione urbium
 offerebantur. Ut iudicium undecimo di-
 xit Iepte Domino, Si tradideris filios
 Ammon in manus meas, quicunque pri-
 mus fuerit egressus de foribus domus mea,
 mihique occurrerit reuertenti cum pace à
 filijs Ammon. eum holocaustum offeram
 Domino. Hinc vox herem etiam sig-

Leuit. vlt.

Ierem. 1.

Iudic. 11.

Liber secundus,

nificat oblationem , seu quod Domino
consecratur. Et has duas significaciones
vniuersi pene Hebræi admittunt. Bata-
blus leuitici vltimo , & numerorum sex-
to. Pagninus in thesauro linguae sacrae
verbo haram. Paulus Burgensis in anno-
tationibus epistolæ primæ ad Corinthios
capite vltimo. Idem habetur ex Hiero-
nymo in thesauro linguae Græcæ , verbo
anathema , & conuincitur ex Iosue sexto ,
vbi ambæ significaciones apponuntur his
verbis, *Sit ciuitas herem ipsa , & omnia*
quæ in ea sunt Domino. Id est, ciuitas hæc
Ierico sit destructio , id est destruatur , &
omnia quæ in ea sunt offerantur Domi-
no. Idem habetur Malachiæ vltimo, *Ne*
forte veniat & percutiat terram anathe-
mate , & alibi sæpè. Vox herem aliquando
pro occidente , aliquando pro oblatione
& consecratione ponitur.

Ex dictis colliguntur duæ germanæ
expositiones: Prima est , vt Paulus lo-
quatur de morte , & occidente corporali
cùm enim apud Græcos anathema signifi-
cat hominem , cuius caput dicatum erat

dis

Batablus.
Leuit. vlt.
&c n. 6.
Pagnin. in
thesauro
linguae sa-
crae.
Paul. Burg.
in annot.
epist. 1. ad
corint. cap.
vlt.
Hieron. in
thesauro
linguae
Grecæ.
Iosue. 6.

Malach. vlti-
mo.

Duæ aliæ
expoſicio-
niſ hu'us
nominiſ
anathema-
tiſ.
1 Exposit.

dijs ad occisionem pro salute populi, & secundum Hebreos ipsam occisionē Domino oblatam, sensus Pauli est. Tantus erat dolor cordi meo occisionis Iudeorum, ut si morte, aut quavis destructione mei corporis placere possem Domino optarem occidi, & sacrificari pro hominum salute, & sic anathema esse à Christo, id est, post Christum, scilicet sequendo Christum, qui pro omnibus occisus est, & anathema factus, quia sicut dicere solamus à prandio, id est post, prandium, ita à Christo, id est, post Christum. Hac expositio est beati Hilarij in psalmum octauum. Origenis ad Romanos, 9. Doctissimi patris Francisci Riberæ Doctoris theologi ex sanctissima religione societatis Iesu in commentarijs super decimum quartum caput prophetæ Zachariae num. 38. Clementis Alexandrinil libro quarto Stromatum in capite sexto in commentarijs Gentiani Herbetis circa finem, sat. cti Anselmi in epistolam Pauli ad Romanos noueno, cuius verba sunt huiusmodi. *Simulque cernamus Apostolum*

S. Hilar. in
psal. 8.

Orig. ad Ro
man. 9:

Ribera. in:
14. capud
Zachar.

Clemens A-
lexand. lib.

4. Stromat. 1

S. Anselm.
in Epistola
Pauli ad Ro
man. 9.

Liber secundus,

quanta charitatis in Christo sit, ut pro illo
cupiat mori, & solus perire dum modo om-
ne in illud credat hominum genus: perire
autem non in perpetuum, sed in praesentia-
rum. Vult perire in carne, ut alij saluen-
tur in spiritu, suum sanguinem jundere,
ut multorum anima conseruentur. Ana-
thema enim interdum occisionem sonat,
sicut & hoc loco, optat ergo pro salute fra-
trum anathema esse, imitari volens Do-
minum, qui & ipse cum non esset maledi-
ctio, pro nobis factus est maledictio, hoc
est enim hic anathema, quod ibi maledic-
tus. Christus enim in Cruce pendens fuit
maledictus, id est, morti addicitus a Patre,
& Paulus in passione martyrij fuit anathe-
ma a Christo, id est alienatus, atque priuatus
vita volebat esse a Christo. Hec Anselmus.

Hier. in co-
ment Ionæ
prop. c. 1
& in 14 Za-
chariæ.

Et Epist. 2d
Algasiæ.
q. 9.

Hanc etiam sententiam sequitur Hierony-
mus in commentarijs super prophetam
Ionam cap. 1. & super decimum quartum
Zachariæ. Et epistola ad Algasiæ quæsti-
one nouena. Qui sic ait, Optat anathe-
ma esse a Christo, & perire ut alij salue-
fiant. Sed si consideremus Moysi vocem

rohau-

rogantis Deum pro populo Iudaorum, atq;
dicentis, si dimittis eis peccatum suum,
dimitte: si autem non vis, dele me de libro
tuo quem scripsisti? perspiciemus eundem,
& Moysi, & Pauli erga creditum sibi gre-
gem affectum. Pastor enim bonus ponit ani-
mam suam pro oib[us] suis: mercenarius au-
tem cum viderit lupum venientem, fugit,
quia non sunt eius oves. Et hoc ipsum est di-
cere, Optabam anathema esse à Christo, &
Dele me de libro, quem scripsisti. Qui enim
delentur de libro viuentium, & cum ius-
tis non scribuntur, anathema sunt à Do-
mino. Simulque cerne Apostolum quan-
tae charitatis in Christum sit, ut pro illo cu-
piat mori, & solus perire, dummodo in
illum credat omne hominum genus, perire
autem non in perpetuum, sed in praesentia-
rum. Qui enim perdiderit animam suam
pro Christo, saluam eam facit. Vnde & de
quadragesimotertio psalmo assumit exem-
plū: Quoniam propter te mortificamur tota
die, reputati sumus ut oves occisionis. Vult
ergo Apostolus perire in carne, ut alij sal-
uentur in spiritu: suum sanguinem funde-

Iean. 10.

Matth. 10.

Psal. 34.

Liber secundus,

re ut multorum anima conseruetur. Quod autem anathema interdum occisionem sonet, multis veteris instrumenti testimonij probari potest. Hæc Hieronymus. Et in hoc sentu prædicto multi sancti exponunt locum superius citatum ex exodo, 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si nō facis dele me de libro quem scripsisti. Id est, de libro in quo viuentestantūm scribuntur, & cùm moriuntur delentur: ita diuus Hieronymus loco proximè citato. Et epistola ad Gaudētium, & epistola ad Ediuiam quæst.

Hier. ad Al-
gasiam.

Et epist. ad
Gaudētium.

Et epist. ad
Eduiam.

Gregor. 10.
mor. c. 7.

Euthim. in
Psal. 68. &
139.

Chris. hom.
de amore er-
gæ perseque-
tes.

Arbor. lib.
14. theosop.
c. 14.

10. Gregor. lib. 10. moralium cap. 7. Euthimius psalmo, 68. & 139. Chrisostomus homilia de amore erga persequentes, licet alibi hoc retractet. Arboreus libro decimoquarto theosophiæ capite decimo septimo.

Et quamvis expositio præcedens loci Pauli, Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis. Scilicet quod intelligatur de occisione, & morte tempora- ria vera sit, non tamen satisfacit diuino Chrisostomo, imo eam reiicit, & vehe menter impugnat homilia decimasexta

Chris. hom.
16, in cap. q.
Epist. P. ad
Rom. tom. 1.

in caput nouenum epistolæ Pauli ad Romanos, his verbis. *Sic enim quidam Pauli appellationem ne digni quidem sunt qui audiant: suntque ab illius vehementia tam longe, & tam procul distantes, ut illum sentiant, hæc de temporaria morte dicere: quos equidem tantundem Paulum ignorare dixerim, quantum cacos radium solarem (seu verius dicam) multò etiam plus.* *Qui enim per singulos dies moreretur, ac periculorum veluti grandinibus suppositis, dixisset, Quis nos separabit à dilectione Christi? num afflictio? num angustia? num fames? num persecutio? nec contentus faculi huius rebus, sed supergressus cœlum, & cœlum cœli, & Angelos, & Archangelos, & omnia superiora circuncurrens, tūm comprehendens simul præsentia, futura, ea, quæ videri, ea, quæ cogitari possunt, itemque & molesta, & suavia, & quæ in utrisq[ue] nihilque prorsus omittens, ac ne sic quidem satiatus, sed & aliam talem, ac tantam creaturam non existentem supponens, is obsecro, quo tandem modo, tanquam*

225 *Liber secundus,*
magnum quiddā post illa omnia proferens,
mortis temporariae mentionem faceret? Nō
est ita, non est ita, quin potius lumbricorū
in similitudinem eiusmodi opinio fue-
rit. Nam si id diceret, quomodo anathema-
se ipsum à Christo esse precaretur? mors e-
nim eiusmodi illum magis choro ei coniun-
gebat, cooptabatq; , qui Christum circun-
dat, tum efficiebat, ut gloria illa perfruere-
tur. Hæc Chrisostomus.

Vnde tempus est iam vt ad alterā, & ul-
timā expositionem huius loci Pauli deue-
niamus, oblectati (vt ait Chrisostomus) pe-
lago dilectionis illius, ac liberè ybiq; na-
tantes, tūm amoris eiusdem flamam im-
mēsam animo versantes, seu potius quod-
cunq; quis dixerit, nihil, quod idoneum
quidem fuerit dixerit. Etenim omni pela-
go latior, omni flamma vehementior erat
hæc dilectio, ac nulla illā prodignitate di-
ctabit oratio, sed ille solus cā nouerit, quis
quis eadem exactè prædictus fuerit.

7. Exposit. Est igitur hæc secunda expositio e-
tiam literalis iuxta secundam significa-
tio-

tionem, qua tam secundum Græcos, quā
Hebræos, anathema significat hominem
qui detestationis causa à Deo, & homini-
bus erat separatus. Vnde sensus Pauli est,
optabam pro hominum salute esse sepa-
ratus perpetuo à Christo, & beatorum
consortio, si id esset necessarium, ne gens
mea periret. Certum ergo est quod opta-
bat parentiam diuinę visionissime culpa, &
conditionaliter. Ita Chrisostomus homi-
lia, 16. in epistolam ad Romanos cap. 9. &
lib. 1. de compunctione cordis. Er lib,
4. de prouidentia Dei, dicens, *Quid enim*
ille ait? optabam anathema esse à Christo
pro fratribus meis secundum carnem. Quod
autem dicit, huiusmodi est, optabilius mihi
erat in gehennam incidere, quā Israelitas
infideles, & incredulos videre, hoc enim est,
optabam anathema esse à Christo. Is au-
tem qui eligebat gehenna cruciatum, ut Iu-
daos omnes posset ad fidem inducere, liquet
profectò, quod non potitus voti sui, grauius
afficiebatur, quam hi, qui in gehenna
cruciantur, quandoquidem, hoc potius
quam illud cupiebat. In tantum enim

Chris. hom.
16. in Epist.

ad Rom. c. 9.

Et lib. 1. de
cōpunctione
cordis.

Et lib. 4. de
prouidentia
Dei.

Liber secundus,

In lib. de cō
pūt cordis.

(inquit Chrisostomus) erat succensus igne Christi, ut ei etiam si flamas mortales ad hibetas, nesciat, non sentiat, non uratur. Multo namque vehementior est ignis Christi quo uritur per amorem. Ita enim totam eius mentem deuinxit amor Christi, ut etiā hoc, quod ei praecateris omnibus amabilius erat, esse cū Christo, rursum id ipsum, quia ita placeret Christo, contemneret. Et ab ipso etiam Christo anathema effici pro Christo optabile haberet. Hac ille. Hoc etiam confirmat lib. 4. de sacerdotio.

Idem, lib. 4.
de sacerdo-
tio.

Bernard, ser.
12. in cantico.
& epist. 78.

ad fugeriu:

Theodore.

Theophila:

Eudumen.

Claudius.

Guillaldus.

Domin. de

Soto.

Casian. col-
lat. 9.

Titelman.

Theodolus

celerifensis

in epist. ad

Rom. c. 9, in

bliuio, pa-

tr. to. 1.

S. Tho. ibi.

Bernardus sermone, 12. in cantica, & epistola, 78. ad Suggerium Abbatē sancti Dionysij, Theodore, Theophilactus, Echumenius ad Romanos. Claudius Guillaldus ibidem, & frater Dominicus à Soto Dominicanus. Casianus collatione, 9. c. 18. Titelman, & alij moderni ibidē. Theodolus Celerifensis in commentarijs epistolæ Pauli ad Romanos cap. 9. sanctus Thomas super hunc locum Pauli.

Et eandem expositionem accommodant verbis Moysis exodi trigesimo secundo. Ut scilicet petat deleri de libro
vitæ,

vitę, in quo scripti sunt hi, qui beatitudinem sunt adepturi, qui liber vitę vocatur, ut si non deberet Deus placari nisi eum puniendo carentia vitę ęternę, deleret eum de tali libro. Ita explicant, vltra prædictos auctores, Ambrosius libro tertio de Spiritu Sancto capite vndecimo.

Ambr.lib.3.
despus.c.11.

Bernardus, & Casianus supra, & collatione decimaseptima capite vigesimo septimo, Batablus ibidem, Basilius in regulis suis explicatis quæstione tertia. Et hanc esse veram expositionem patet: quia statim subdit scriptura: *Cui respondit Dominus: Qui peccauerit mihi delebo eum de libro vita.* Ac si diceret, te nollo delere, sed eum qui peccauerit. Certum ergo est in presenti loqui Dominum de libro in quo scribuntur hi, qui gloriam sunt adepturi, à quo delentur, ut sit Dominus, qui mortaliter peccant. *Quia de libro prædestinationum nunquam quis deletur.* Quàmuis Caietanus dicat quod nec loquitur de libro prædestinationis, neque de libro gloriæ, sed de libro gubernationis Israel: vnde secundum ipsius opinionem

Bernard:
Casian.Bata
blus:
Basilius.

Caietan.

Greg, lib.
20, mor. c. 3.

August.

nem petebat ut afferretur ab eo munus
ducis populi Isracl. Gregorius vero lib. 20.
moralium cap. 3. & alij supra citati in sex-
ta expositione Pauli exponunt de libro vi-
tæ corporalis, id est, interfice me. Augusti-
nus tamen loco supra citato ait, Moysen
loquutum fuisse confidenter, ut fidelis Dei
amicus, ad eum modum, quo communi-
ter dicimus amico, vel hoc facturus es, vel
amici non erimus: proponitur enim disso-
lutio amicitiae ut res impossibilis, & expli-
catur ingens desiderium rei petitæ. Et om-
nes istæ expositiones verborum Moysis
possunt esse literales. Sed expositio Caieta-
ni, & Augustini magis videtur quadrare.

Vnde ex omnibus dictis circa huius
loci Pauli explanationem, quæ meo qui-
dem iudicio verissima est secundum doc-
trinam sanctorum, est Apostolum mini-
mè optasse dispendium aliquod, detri-
mentum ve gratiae, & charitatis suæ.
Cupere enim minus à Deo diligi, id esset
omnino cupere minus diligere, quod
nullam præferre honestatis speciem po-
test. Sed homo charitate flagrans,
&

Vera expo-
sit. loci Pau-
li, optabam
anathema
esse à Chrif-
to, &c.

& diuinæ gloriæ, salutisq; hominum appetentissimus optabat (siquidem sine peccato, sineq; in commodo charitatis fieri posset ac necessarium esset) perpetuo Christi sui aspectu, atq; illa admirabili beatitudine priuari, modò illi eò peruenirent, ita exponunt Chrysostomus, Origines, Theophilactus, & alij multi, quos citauimus, & hos auctores sequuntur. Quo pacto docet & illud Moysis exodi trigesimo secundo, accipi debere, *Aut dimitte eis hanc noxā, aut si non facis dele me de libro quem scripsisti.* Sed quoniam actiones, & incrementa virtutum inter spiritualia bona retulimus, nec est extra controversiam, an eorum periculum subire liceat propter gloriā, hoc est, num officium sit virtutis actionem omittere, ne periculum gloriæ procreetur? de quo sit tertia conclusio.

3. Concl.

Actus virtutis recte omitti potest pro conseruatione gloriæ, nisi quo tempore lege præceptus est, aut cum ita est virtus ipsa languens, ac debilitata, ut omissione illa extingui posse videatur. Hæc tertia conclusio ex duabus antecedentibus cōficitur, &

quasi

quasi cōflatur. Nam cūm actus omittitur qui lege p̄ceptus est, quae unq; causa sit, peccatur, & consequitur ē vestigio disperditio gratiæ, & charitatis. Similiter cūm virtus paulatim cessatione languescens in extremum est penē adducta discrimen, ut probabile sit hoc actu p̄termissō (quāuis vix vñquā eueniet) eam perditum iri, iam id tēporis certum periculum bonorū spiritualium adiret, quod minime licet, estq; grauius periculum, quām primo aspectu videri possit. Etenim si virtus hæc interit, omnes simul cum prudentia interibunt: habent enim cōmune vinculum, & arctissimam quandam connexionem. At cūm neutrum horum v̄suuenit, nec veniunt bona spiritualia in periculum, nec peccatum timetur, est quidem præstans actus ille, sed consilij est, non p̄cepti. Ideòque etiam nulla causa omitti potest, (ea enim est natura consiliorum) multò igitur melius omitti poterit, vt gloriam nostram quam ex virtute habemus retinēamus.

Sed negabit fortasse quispiam id fieri sine

sine aliqua iactura charitatis , quæ illo ac-
tu augesceret , ac robur assumeret . Hæc
oratio hominis est vim , atque naturam
verborum suorum ignorantis . Nunquam
enim rei iacturam facimus , nisi cum aut
omnino perditur , aut minuitur . Talisque
esse desinit , qualis paulò ante fuit , quod
charitati accidere posse negauimus . Cres-
ceret illo actu , non infior . Sed si eam iac-
turam vocamus , dum comedimus , dum
bibimus , dum dormimus , dum familiariter
loquimur , dum aut in otio , aut in ne-
gotiis saceruli sumus iacturam faceremus
charitatis . Imò tunc etiam cum in eximijs
rebus , operibusque versamur , possumus
enim tunc aliud facere , aut ita illud ipsius
facere , ut charitas magis , magisque adau-
gescat .

Sed est memoria repetendum , non tem-
tere dixisse nos , recte omitti posse actum
virtutis lege non præceptum , non enim
confirmauimus necessitate quadam omit-
ti debere . Nam interdum officium erit , &
quidem magnum , atque præclarum , nulla
habita ratione glorie opus illud virtutis ar-
de n-

denter persequi, interdum gloriæ anteponetur, quo vero tempore hoc quoq; illud maximè curandum sit, partim prudentia ipsa, partim ex ijs quæ in consequentibus capitibus dicemus intelligetur.

Ergo (ut quæstionibus satisfaciamus quas exépli causa protulimus) qui tyranorum crudelitatem pertimescit, si quidē verisimillimum putet, se minis, tormentisque cessurum, domi se contineat, gloriā alia ratione tueatur, ne periculo charitatem exponat: videat tamen etiam, atque etiam, ne nimio vitæ desiderio, tūm diaconi insidijs, qui optima quæq; impedire, & auertere nititur, probabile periculū putet, quod nullam, aut àmodum exiguum probabilitatem habet. Ac vt imbecillitatem suam ante oculos ponere debet, ita etiā cogitare oportet quæ ipse timet vehementissimè, non dico viros, sed infinitas prope virgunculas pertulisse. Nec timendum est cum vires ad fatendum minime suggesturum, qui dixit, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Facile enim hunc

hunc metum adimit Paulus, 1. Corinthiorum, 10. his verbis. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouenientem, ut possitis sustinere.*

At qui dedecoris, & infamiae metu peccantem corrigerem audet, si id in commodius, aptiusq; tempus differri nequeat, diligenter secum reputet, an eo tempore, eo loco, tanta gloriae suae iactura obligetur? Nam si tunc præcepto obligatur, non dubium est, quin contempta gloria ad correptionem veniendum sit: sin minus tacere etiam licebit. Quæris an eo tempore obligetur? Ego verò existimo, si scandalum absit, & illius fama, qui læditur, non sit Ecclesiæ maximè necessaria. Nam fratri salus externis bonis anteponenda est, cum sit illis natura præstantior, aperteque id mihi videtur docere sanctus Thomas secunda secundæ quæstione trigesimatercia articulo secundo in responsione tertij argumenti. Et glossa in illis verbis proverbiorum noueno. *Noli arguere de-*

S. Tho. 2.2.
q.33 ar.2.ad
3.

Glossa.

Rr riso-

risorem. Illud autem ex quo initio dubitationem existere dicebamus, bonum utile alterius boni utilis causa exponi periculis posse, de bonis externis, atque naturalibus, quia eiusdem ordinis sunt, accipiendum est. Quæverò propriè spiritualia sunt, multò maiorem dignitatem habent, atq; præstantiā, & cùm eis nihil esse possit optabilius, atq; præstantius, & excellentius, summo studio, seruanda sunt, nullaq; de causa in aleam, atq; in periculum vocanda. Et quamvis non sit in eis sita beatitudo nostra, tamen hoc à gloria differunt, quod hæc per se, & proximè ad beatitudinem referuntur, ciùsque causa sunt, gloria non per se, sed aliquantò remotius, & quasi per medium quoddam. Nihil enim gloria haberet unde amari, quærique posset, nisi ad spiritualia bona gignenda, & conseruanda oratione dinaretur.

CAPITULUM

XXVII

CAPVT. XV.

An præcepta obligent nos cum iactura gloria?



VONIAM De actibus virtutum diximus recte interdū pretermitti posse causa gloriae, nō omnino rei obscure, atq; ambiguæ satisfacere nobis videbimur, nisi, quantum licebit, explicatum reliquerimus num tanti facienda sit gloria, vt si ad eius conservacionem utile sit, ea aliquando omittamus, quæ lege diuina, aut humana præcepta sunt? Non querimus sic ne aliquo loco legis præscriptionibus obserendum, (est enim ea indigna theologo quæstio) sed an eo tempore nos obliget, quo obtemperare non possumus sine perditione gloriae? Thomas quidem Caietanus prima secundæ quæstione nonagesima sexta articulo quarto in ea est sententia, vt existimet mortem prius fore perpetiendam quam lex humana, quemadmodum habet obligandi, descratur. Atque idem opinor de gloria

Caiet. 11. q.

96, art. 4.

et resp. ad

questionem 11. v.

.

diceret, ut eius indicat oratio, est enim
hæc: *Homo non solum in eo quod habet,
sed etiam in eo quod est, multitudinis est,
sicut pars id quod est, totius est.* Lex
ergo humana, cui commune bonum pro-
positum est, potestatem habet in homi-
nis bona, iuberèque potest ut ea pro com-
muni bono periculis inferantur. Quile-
gem perfringit humanam, is in peccatum
mortale incidit, præstat autem mille mor-
tes oppetere, quam vel in minimum cade-
re peccatum. Non est igitur metu ceden-
dum, nec in quo quis discriminæ à legum
obseruatione declinandum. Quemadmo-
dum mori potius velle debet adolescens,
quam vxorem ducat consobrinam suam:
sacerdos quā sine calice, altari, vestibus sa-
cris faciat sacrificiū: filius Ecclesiae, quam
commercium habeat cum excōmunica-
to: quod sanctum est ab Innocentio, 3.
in cap. sacris, de ijs, quæ vi, metus ve causa
fiunt, *Quoniam potius (inquit) debet mo-
ri quā peccare mortaliter.* Nā Eustatius
in c. 1. 3. lib. Ethicorum.

Innoe. 3. in
c. sacris de
his que vi
vel metus
causa fiunt.

Eustatius
in c. 1. 3. lib.
Ethicorum.

*Nā Eustatius
in cap. 1. tertij libri. Ethicorum Aristote-
lis opinatus est, licere homini constanti
con-*

consentire in aliquod peccatum ut adulterium, vel mendacium propter metum principis tyranni, qui alias vel ipsum vel filios suos interficeret, putauit enim Eustratius id voluisse asserere Aristotelē per illa verba. *Huiuscmodi non nunquam homines laudantur cum pro magnis, & honestis rebus aliquid turpe ferunt, aut molestum.*

&c. Vbi per (turpe) illicitum, aut peccatum exponit Eustratius. Similem doctrinam habet glossa in l. penultima ff. si familia furtum fecisse dicatur, quam dicitur comprobare Iasson de actionibus, §. si minus, num. 17. Cinus, & Bartolus, ut refert Ioannes Azorius, lib. 1. institutionum moralium capite decimo quæstione duodecima. *Qui tamen (ait) certe ut tradit Panormitanus, huiusmodi ciuilis iuris doctorum sententia aperte pugnat cum sacris canonibus, cum Aristotele, cum Augustino, & cum recta ratione.*

Sed non aduerit Caietanus, nec cogitauit non versari in eo controuersiam, an aliqua causa quamvis magna, atque vehementi peccandum sit? non enim ferremus

3 Ethic.c.1.

Gloss. in l.
penult. ff.
si familia
turpe feci-
dicatur.

Iasson. de
actionibus.
§. si minus
n. 17.

Cinus, &
Bart.

Ioan. Azor,
lib. instituc.
moral. c. 10.
q. 12.

talem quæstionem. Sed (ut dixi) an eo tempore summo imminente discrimine, aut fortunarum, aut capitis, aut glorie, legge deuinctissimus, eiq; tum obtemperari legislator ipse voluerit. Nam leges, quæ quidem aientes sunt, non quo quis temporis articulo obligant. Non dubium est nemini licere contra legem ieiunij facere, at ægrotos, & senes aliquando ieiunare non sinimus. Nec verteremus vitio sanis, atq; robustis, si gladio ceruicibus impendente, aut peste aliqua vrgente, comederent. Nō quod sit aliquo loco legi aduersandum; sed quod recte interpretamur nunquam animum induisse Ecclesiam ut præcipere ret eo tempore ieiunium obseruari. Quoniam igitur non àdmodum nobis adiumento est Caietanus, alia aggrediendum est via.

Præcepta omnia, aut aientia sunt, aut negantia. Aientia sunt quæ iubent quod faciendum est, negantia quæ prohibent contraria. Ea verò quæ prohibentur, aut quia natura sunt mali prohibentur, vi stuprum, adulterium, cædes, contumelias, rapine:

piæ: aut ideo mala sunt, quia lege aliqua
vetantur, ut abstinere à carnibus statim die-
bus, ut ieiunium soluere, ut in calice ligno-
neo sanguinem Christi consecrare. Simi-
liter quædam iubentur, & sanctiuntur, quia
bona sunt, & si nulla lex præciperet, ut cul-
tus Dei, honoratio parentum, liberalis fi-
liorum educatio. Alia cum prius quasi am-
bigua, & indifferentia essent, bona tamen
sunt, quia lege imperantur. Hoc genus co-
tinet omnia quæ propriè sunt iuris huma-
ni, id est, quæ à naturæ lege non pendent,
de quibus Aristoteles lib. 5. ad Nicoma-
chum, cap. 7. sic inquit, *Civile autem ius*
aliud naturale est, aliud legitimum, natu-
rale, quod ubi cunque eamdem vim habet. &
non, quia vel ita videtur, vel minimè. Le-
gitimum quod a principio utrum hoc an il-
lo modo fiat nihil refert, ubi vero fuit insti-
tutum, refert. Ut minac captiuos redimi, ut
capram sacrificare, non duas oves.

In his etiam quæ iubentur, quædam
sunt per se bona, ut charitas, religio, iusti-
tia, nā & si nihil aliud cogitemus, aut quæ-
ramus, sponte sua laudabile est Deum ama-

re, ac colore, neminem lādere, reddere
vnicuiq; iuslūum. Quædam non per se bo-
na sunt, sed (vt Aristoteles loquitur) secun-
dū accidens, hoc est ratione alterius, quod
ex eis effici solet. Huius dormire, corpus
vigilijs, inediaq; conficere, non est per se,
idest, sine alterius consideratione bonum,
sed secundum accidens, quia his corpus
ferociens, ac lasciuens coeretur, & do-
matur, vt spiritui pareat, nec optimis ope-
ribus obsistat. Etenim (vt Hieronymus,
scribit in epistola ad Eustochium, de custo-
dia virginitatis) Deus vniuersitatis crea-
tor, & Dominus, intestinorum nostrorum
rugitu, & inanitate ventris, pulmonisq; ar-
dore non delectatur, sed quod aliter pudici-
tia tuta esse non posset.

Item quædam sunt omni tempore ne-
cessaria, vt iustitia, sine qua nullus esset ho-
minum cōuictus, nullum commercium.
Quædam non semper, vt fortitudo, cùm
hostes ingruunt. Quæ diuisio ex Aristotele
accepta est lib. 3. Topicorum, cap. 2.

His ita expositis omni assueratione
confirmo, idq; sit prima conclusio. Nul-

Hier. in E.
pist ad Eustoch.
de custodia
virginitatis.

Arist. lib. 3.
Topic. c. 2.
2. conclusio.

lo metu , nullo periculo , nulla vtilitate proposita facienda esse quæ prohibentur quia mala sunt. Huius generis sunt, quæ præceptis decalogi vetantur exodo , 20.

Exod. 20.

Sunt enim eiusmodi præcepta illa , vt in ea permissio cadere nullomodo possit, vt auctore est Sanctus Thomas, 1.2. q. 100. artic.

S. Thom. 1.2.
q. 100. a. 8.

8. Cuius sententiam aduersus Durandum & Scotum pugnacissime tuetur doctissimus Dominicus de Soto lib. 2. de iustitia, quæst. 3. artic. 8. Itaq; non est tanti facienda vita, aut gloria, aut honos, vt eius causa fures, raptores, scortatores, adulteri simus. Quare præclarum est illud Aristoteleum in tertio ad Nicomachum capite primo , esse quædam ad quæ non licet quenquam esse compulsum , sed potius oportet summa perpessum tormenta mortem obire, ridicula enim esse, quæ ad necem matris Alcmæonem compulerunt.

Soto de ius
titia, & iure
lib. 2. q. a. 8.

Verba Aristotelis sic se habent: *Quædam autem sunt, ad quæ perpetranda nemō cogi, compelli ne potest, sed potius extrema quaque pati, ac mori conuenit, etenim ridicula ea sunt quæ Euripideum*

Arist. in 3.
ad Nico. 1.

Alemaonem ad matrem interficiendam
compulerunt.

Suppeditant nobis exempla cum uniuersi martyres tum etiam Azarias , & eius
socij , quorum haec extat ad Regem Baby-
loniorum responsio , Non oportet nos de
hac re respondere tibi . Interrogabantur au-
tem num auream statuam adorare , an in
ardensem fornacem conijci mallen ? Ecce
enim Deus noster quem colimus potest eri-
pere nos de camino ignis ardantis , Et de ma-
nibus tuis , o Rex liberare , quod si noluerit ,
notum sit tibi Rex , quia Deos tuos non co-
limus , Et statuam auream quam erexisti ,
non adoramus : Videlicet mente illud pre-
ceptum tenebant , Non adorabis Deos
alienos .

In hoc rerum genere non solum ista
grauia , verum etiam leuissima reprehen-
duntur , & quamuis pro maximorum bo-
norum consecutione fiant , vitiosa iudicā-
tur , vt de ioco , & officioso mendacio
copiose confirmat Augustinus in libellis
de mendacio , & contra mendacium .

Secunda conclusio . Nullius boni asse-
quen-

quēdi, aut mali vitandi causa fieri possunt contraria eorum, quae per se bona sunt, & quia talia sunt iubentur, aut eorum quae omni tempore necessaria sunt. Contraria voco oppositi actus negationem, quam omnia præcepta aientia complectuntur, ut præcepto charitatis latet hæc negatio: ne oderis Deum, aut fratrem tuum, in oratione parentum hæc, ne vñquam con-tumelijs parentes prosequare, aut ne dese-ras, cum opera tua indigebunt.

He duæ conclusiones, vna eademq; ra-tione corroborantur, in hunc modum. Quod natura tale est, semper est tale, vt ignis, quia natura calidus est, semper est ca-lidus, actus igitur qui natura mali sunt, semper sunt mali.

Ac si quis obijciat aquam natura frigi-dam esse, sed non semper actu frigere. In aëtibus certè obtinebo semper eum malū esse, qui est natura malus. Natura enim ma-lus actus dicitur, qui vitiosum habet obie-ctum, atq; id quidem mutari non potest, nam si mutetur, & speciem ipsam actus mutati necesse est, quæ ex obiecto, tanquā

Liber secundus,

ex forma sumitur. At actus qui quadam ex parte vitium habet, quamvis honestissimus finis adhibetur, & omnia vnde cunq;

Dionys. A-
reopagita,
lib. 4. de di-
uinis nomi-
nibus.

ornamenta querantur, semper vitiosus est, *Quia bonum* (ut est apud Dionysium cap. 4. dediuinis nominibus) constat ex inte-

gra causa, malum nute ex singularibus de-
fectibus. Quod autem semper est malum,
nullo tempore, nullaq; causalitum esse

potest, nullius ergo boni spe faciendum est.

Ad Rom. 3.
Requie enim inquit Paulus ad Romanos, 3.
pestilentem esse hanc quorundam senten-
tiam, *Faciamus mala, ut veniant bona.*

Quæ vetantur quia mala sunt, aut contra-
ria sunt eorum quæ per se bona sunt, & ob
id ipsum sanciuntur, sunt natura mala, idq;
ex eo maximè cernitur, quod vitiosum ha-
bent obiectum, quod ijs, quæ natura bo-
na sunt opponuntur, quod & si nulla lata
esset lex censerentur mala, nulla igitur
causa facienda sunt.

Ad hæc, nemo est tam hebes, & igna-
rus, vt non videat vniuersa hæc aduersa es-
se per uulgatis principijs iuris naturalis, vt
odium Dei, aut fratrum, periurium, blas-
phe-

phæmiæ, furtum, homicidium, & his similia. Præferunt enim insignem quandam turpitudinem, quam natura ita detestamur, atq; perhorrescimus, ut nullam in ijs excusationem accipiendam putemus. Itaq; illud Euripidis in Phœnisis, Euripid. (quod sæpè numero in ore fuisse C. Cæsariferunt.)

Si violandum est ius, imperij gratia

Violandum est.

Plenum est sceleris, atq; stultitie, nam qui ignorat ius non esse violandum, hic nec hominem se quidem esse profitetur.

Tertia conclusio. In ijs quæ per se atque natura bona sunt, quæq; vel prohibitione mala, vel iussione bona fiunt, nulla potest certa, atque explorata regula adhiberi. Sed est ubique rei præceptæ grauitas, & auctoritas cum præsentis periculi magnitudine conferenda, ac singula diligenter intuenda, ita enim fiet, ut homo cordatus, atque prudens intelligat, an eo temporis articulo pareri sibi ipsa lex vehit? Exempli causa. Præceptum fidei est, ut eam cum à Barbaris interrogamur

intre-

Liber secundus,

intrepide confitcamur. Subeunda sunt omnia pericula, parvq; pendenda, quoniam si minis victi filemus, fidem ipsam prodimus, Christum negamus. Vnde illud Matth. 10.
Matthei, 10. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor ēgo eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo ēgo eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Eadem est ratio in charitate. Nā cui commissa est fratribus salus, ut Episcopus, is ab ea curanda, ac tuenda nullo periculo deterreti debet. In fortitudine etiā si locum dux seruare iubeat, idq; maximē expeditat reipublicæ, vitam potius, ac gloriam, cum ita visuenerit, milies perder, quam locum deserat.

Contra, alia eiusmodi sunt, vt si recte omnia pendantur, nō obscurum sit magno imminentे discrimine omitti posse. Rem furto ablatam cum magno capitio, aut existimationis periculo negant theologi restitui debere. Nefarium est aliquid in confessione prætermittere, sed recte aliquando fit, cum sine insigni alterius in com-

commodo quicquam dici nom potest.
Festis diebus diuinis interesse sanctissime
præceptum est: sed domi te contineas li-
cet, si præsens periculum times.

Simile est illud, i. regum, 21. *Quando*
David edit panes propositionis, quos nulli,
nisi sacerdoti, edere licebat. *Quod quidē*
factum Christus ipse Matthæi, 12. probat,
vbi Euangelista refert, quod cum discipuli
cuius Sabbatho per sata abirent esurientes
cæperunt vellere spicas, & manducare.
Pharisei autem videntes dixerunt ei, Ecce
discipuli tui faciunt quod non licet eis face-
re Sabbathis. At ille dixit eis, *Non legistis*
quid fecerit David quando esuriuit, & qui
cum eo erant, quomodo intravit in domum
Dei, & panes propositionis comedit, quos
nō licebat ei edere, neq; his qui cum eo erāt,
nisi solis sacerdotibus? aut non legistis in le-
ge, quia Sabbathi sacerdotes in templo Sab-
bathæ violant, & sine crimine sunt? si autē
sciretis quid est. Misericordiam volo & nō
sacrificium nunquam condemnareris in-
nocentes.

Item Mathatię, amicorumq; consiliū

i. Ma-

1. Reg. 20.

Matth. 12.

Leuit. 24.

Num. 20.

Offr. 6.

1. Machab. 3.

1. Machabæorum, 2. Omnis homo quicunq;
 venerit ad nos in bello in die Sabbatho-
 rum, pugnemus aduersus eum. Nam quā-
 uis præceptum erat à Deo nihil Sabbathis
 fieri, fuit illa iusta, & prudens præcepti in-
 terpretatio, vt auctor est sanctus Thomas
 S. Tho. 1.2. q. 100. ar. 8.
 1.2. quæst. 100. artic. 8. non intelligi viola-
 re Sabbathum, quod est necessarium ad sa-
 lutem humanā. Sicuti ipse Christus decla-
 rauit in cap. 12. Matthæi iam citato quod
 sic habetur. *Et cum inde transisset venit*
in Sinagogam eorum, Ecce homo manū
habens aridam, Et interrogabant eum di-
centes. Silicet Sabbathis curare: ut accusa-
rent eum, ipse autem dixit, quis erit ex vo-
bis homo qui habeat ouem unam, Et si ceci-
derit hac Sabbatho in soueam, nonne tene-
bit, Et leuabit eam? quāto magis melior est
homo oue? itaq; licet Sabbathis benefacere.
tunc ait homini, extende manū tuā, Et exte-
dit, Et restituta est sanitati, sicut altera.

Dèniq; ex hac prudenti præcepti, peri-
 culiq; animaduersione, nascitur illa prouida,
 & benigna legum interpretatio, quam
 æquitatē vocant Græci, & latissimè patet:

-SM. I.

Vn

ut est apud Aristotelem in quinto ad Nicomachum cap. 10. apud sanctum Thomam, 1. 2. quæst. 96. articulo, 6. Sed hæc ita accipienda sunt, quando ex omissione præcepti minime in contrarium eius, quod natura bonum est, inciditur, uti superioribus ostendimus exemplis. Etenim interdum longè aliter euenit, ut in iudicijs, emptionibus, & venditionibus, si metu iustitiae actum omiseris, in iniustitiā necessitate quadam laberis. Itaq; iudicandi munus subterfugere fortasse aliquando licebit. Sed si iudices, etiam summis periculis imminentibus, iuste iudicandum est. Siquidem satīs in secunda conclusione confirmatum reliquimus, nullo metu cogi homines posse ad ea, quæ natura bonis contraria sunt. Hoc etiam addamus, nisi illa præcepti omissione sit cum religionis contemplatione cōiuncta. Nihil enim nobis antiquius esse debet, quam religio, quam eius cultus, & incrementū, pro qua omnia sunt homini forti, atq; constanti perferenda. Vt si tyrannus intento iugulo gladio ieunium soluere iubeat, quo ea in contemptum

Liber secundus,

1. Machab.
cap. 1.

veniat', non est ieunium soluendum, sed optanda mors. Quemadmodum Antiocho Rege seuiente, & Iudaicos ritus abolerere cupiente, multi de populo Israel (ut est in, 1. Machabæorum cap. 1.) Definierunt apud se, ut non manducarent immunda, & elegerunt magis mori, quam cibis coquinari immūdis, & noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt.

2. Machab.
cap. 6.

Similiter Eleazarus, 2. Machabæorum cap. 6. maluit necem crudelissimam perpeti, quam amicis obsequi multum diuq; orantibus, ut legitimos saltem cibos clam degustaret, quo regi aliud iubenti paruisse crederetur. Videbat sanè publicam religionem, quam sanctissimè tuendam arbitrabatur, simulatione illa infringi. Hoc ipsum in cōsequenti capite in matre, ac septem fratribus videmus.

2. Machab.
c. 7.

Sed iam argumenta Caietani, quorum initio meminimus, singulatim diluamus.

Primo quidem libenter damus lege humana caueri posse ut vita periculo inferratur. Sed cū id illa aperte nō iubet, ex rei

præ-

præceptæ, periculiq; ipsius magnitudine iudicium faciendum est.

Secundum quoniam iam est à nobis eneruatum, ad exempla veniamus.

Moriendum est potius adolescenti, quam vxorem ducat consobrinam suam. Rectè quidem: quoniam tale matrimoniu[m] iure pontificio irritum est, quo fieri, ut ad non suam accedit, quod est natura malum. Nec sacrificium nisi in vestibus sacris, in calice consecrato, faciendum est: quoniam id suapte sponte ad religionis iniuriam pertinet, nec præcipiteretur, nisi ab eo qui male de religione sentiret. Verba illa Innocentij in capite sacrissimis non ad quodvis cum excommunicato commercium spectant: sed aut cum sit in contemptum Ecclesiasticæ potestatis, ut recte in isto ipso loco interpretatur Hostiensis: aut cum est communicatio in criminis, quod Innocentio quarto visum est. Denique cum affirmat Pontifex moriendum esse potius, quam peccandum mortaliter, non obscure significat, de ea se communicatione loqui, quæ sine peccato mortali esse

Hostiens. in
c. Sacris, de
his que vi,
vel metu
causa sunt

non potest. Quod quidem fit, cùm illa cō-
municatio sine religionis contemptione
non consistit: aut cum se quispiam partici-
pem criminis facit, alijsq; quatuor modis
similibus, quos Panormitanus Abbas Ioā-
nem Andræam fecutus ibidem enumerat.
Ea re meritò eiusmodi communicationis
fuga præcepta est. Nihil enim mani-
festius, quam nullo vñquam metu esse
peccandum. Ergo si quando vñueniet,
vt necesse sit, aut certum gloriæ pericu-
lum subiri, aut præceptum omitti, quid
maximè fieri debeat, ex ijs quæ diximus,
dijudicabitur.

CAPVT. XVI.

*An lege præcepta sit conseruatio
glorie?*



V P E R I O R E Disputatione cō-
fecimus licitum esse conser-
uare gloriam, pro eaq; fortu-
nas, atq; vitam in periculum
vocare superest ut in alteram
quasi consectariam ingrediamur: Num id
lege

lege præceptum sit? tum etiam an obstrin gamur, ut tanta pro ea pericula sube amus?

Et quidem præceptum aliquod esse de conseruanda gloria, his potissimum confirmari videtur.

Primo Ecclesiastici, 41. (quod sœpè ad duximus) aperte id præcipi videtur, *Cu ram habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pre tiosi, & magni.* Et ad Romanos duodeci mo, *Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* AdRom:12;

Secundo cum quis temere prodit cri men suum peccat, negligit enim gloriam, quæ bonum quoddam est. Peccat etiam, qui bonus cum sit, haberi cupit malus, ita enim ait Augustinus in libro de bono vi duitatis cap. 22. *Nec audiendi sunt, siue vi ri sancti siue fœminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longè abesse sciunt: dicunt sibi coram Deo sufficere con scientiam, existimationem hominum*

Aug. in lib.
de bono vi
duitatis, ca
22.

200 Liber secundus,

non imprudenter solum, verum etiam crudeliores contemnentes. Si autem peccat, contra praeceptum aliquod diuinum peccat & facit: siquidem peccatum est transgressio legis diuinæ, aut (ut definit diuus Augustinus, lib. 22. contra Faustum Manichæum, cap. 27.) factum, vel dictum, vel concupitum aliquod cōtralegem eterñā.

Præterea præceptum est de vita non perdenda, cum enim præcipimur, *Non occides*, nobis etiam metipsis morte consciente prohibemur, ut confirmat Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 20. Multò ergo melius de gloria esse arbitrandum est, quam vitæ præferri posse diximus.

Verum ego ita statuo non esse peculiare de gloria præceptum: nam quāmuis in genere bonorum sit, tamen si eam per se contemplemur, res est infirma, instabilis, caduca, & quæ (nisi cūm ad aliorum salutem utilis videtur) ab optimo quoque constantissimè contemnitur, vnde illud Pauli, 1. Corinthiorum, cap. 4. *Michi autem pro minimo est ut indicerem vobis, aut ab humano die. Et, 1. ad Thesalonicenses, cap. 2.*

Non

Aug. lib. 22.
contra Faustum Manic.
c. 27.

Aug. lib. de
ciui. Dei c.
20.
Conclus.

25 Corin. 4.

Non quasi hominibus placentes, sed Deo,
qui probat corda nostra. Neq; enim aliquā
do fuimus in sermone adulatioñis, sicut sci-
tis, neq; in occasione auaritia Deus testis
est, neq; quarentes ab hominibus gloriam,
neq; à vobis, neq; ab alijs.

r. ad Thesal.
c. 2.

In Euangelijs etiam səpē videmus Do-
minum gloriam auersantem, & facta sua
taceri iubentem. Cuius exemplum secuti
multi eximia quadam virtute, & sanctita-
te florentes, ciuitates & oppida, omnemq;
hominum conuictum reliquerunt, & se-
cretissima loca petierunt, ut sine laude &
gloria viuerent.

Matth. 8.
Ioan. 6.

Si quando ergo famani, & gloriam no-
stram nulla iusta causa lædimus, non pe-
culiari cuiquam præcepto, sed charitati ad-
uersamur, qua nos, & nostra, tum etiam
fratres nostros diligere iubemur. Verum
id peccatum non est suo genere mortale;
quemādmodum nec pecuniam tenere
effundimus, quāmuis intra fines venialis,
non dubium est illud esse grauius, quod est
cōtra gloriam. Adieci, genere suo, quoniam
consideratis alijs, aliquando mortale esse

potest. Ut si laesio sit vehemens in primis, & grauis, nec consistere queat sine dedecore multorum eiusdem loci, atque ordinis, ut in theologis, in sacerdotibus, in monachis, si sit homo cui publicum munus demandatum sit, ut paulo post dicimus.

Atq; hoc ipsum in effusione pecuniae cernimus, cum accidit in homine oppræsso ære alieno, aut cui ampla familia aliena est. Hoc autem confirmo. Non respondere detractoribus falso flagitia obijcientibus, cum facilè id possis, nihil videtur minus, quam si tu te tibi infamiā vltro quæras, quemadmodum idem est non obfistere latroni, cum sine incômodo tuo queas, atq; dissipare patrimonium. At possum omnino non respondere detractori, cum inde alijs periculum non creatur, ut ait sanctus Thomas 2.2. quæst.73. arti. 4. ad 1. argumentum. Non est igitur per se malum, aut genere suo graue, negligere gloriam, immo verò ita Christus fecit, & ita discipulos suos instituit, *Qui* (ut prima Petri capite secundo legimus) *cum male dicere-*
tur,

tur, non maledicebat, cum pateretur non
comminabatur. Et Matthæi.27. Cum ac-
cusaretur à principibus sacerdotum, & se-
nioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi
Pilatus, Non audis quanta aduersum te
dicunt testimonia? Et non respondite i ad
ullum verbum, ita ut miraretur præses ve-
bementer. Et psalmo, 37. Ego autem tan-
quam surdus non audiebam, & sicut mus-
tus nō aperiens os suum, & factus sum sicut
homo non audiens, & non habens in ore suo
redargitiones, Et psalmo, 38. Obmutui,
& non aperui os meum, quoniam tu fe-
cisti. Et Iсаіæ quinquagesimotertio, O-
blatus est quia ipse voluit, & non aperuit
os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur,
& quasi agnus coram tondente se obmu-
tescat, non aperiet os suum. Et Matthæi
capite quinto, cum ait, Beati estis cum
male dixerint vobis homines, & persecu-
ti vos fuerint, & dixerint omne malum
aduersum vos mentientes propter me,
minime addit ut prole responderent, &
inficiarentur, sed Gaudete ex exulta-
te quia merces vestra copiosa est in celis.

Matth. 27.

Psal. 37.

Psal. 38.

Esa. 53.

Matth. 5.

Liber secundus, anno 93.

Huiusmodi exemplis pleni sunt libri prophetarum, & Apostolorū, plenæ sunt quæcunq; scriptæ extant sanctorum historiæ.

Periculum aliorum vocavit sanctus Thomas, cùm alijs scandalosumus, vt aut in vitia illa labantur, aut vt religionem, ordinemq; contemnāt, cùm nostra infamia cum aliquorum dedecore coniuncta est. Nam gloria nostra multorum commoda augeri, charitatem iuuari non adeò ad priuatum hominem spectat, vt eius negligentiam, & contemptionem in peccati mortalis genere collocet. Etenim (& si id præstantissimum est) nullo tamen ego præcepto astringor omnibus aut locis, aut modis spiritualem frattrum quærere salutem. Atq; vt alijs necessaria fama nostra sit, eo tempore necessaria erit, quo ea maximè indigebunt: & vt nulla lex præcipit mili diuitias meas vt seruem, quòd postea indigentibus vñsi esse possim: sed vt si suppetent, aliquid egenti fratri largiar: ita gloria, cùm habuero & necessariam esse cognouero, iuuare homines iubeor, & con-

conseruare eam in hunc usum non iubeor.
Præterea, sive per numerò fiet, ut officium
sit ea facere, quæ gloriam vehementer in-
fringant: non est igitur eius præcepta con-
seruatio. Verbi causa. Non vetat ius, nec
ratio flagitium meum amicis detegere, ad
capiendum consilium, vel ad leuandum
mærorem, testari in media luce, atque in
conspectu omnium id fecisse me, quod
fratri vitio vertitur, falso à me in aliquem
maledicta congesta esse. Habemus igitur
præter præceptum charitatis, conseruatio-
nē gloriæ nulla lege sancti, neq; esse pec-
catum genere suo mortale, aliquid nos
gloriæ, existimationiq; nostrę detrahere.
Atq; hæc quidē omnia ex uno quasi fonte
dimanant, esse nos, ut pecunię, ita etiā fa-
mæ nostræ Dominos, liberumq; in eam
ius habere, ut in alia quæ labore nostro co-
parata sunt. Quod quoniam copiosissimè
& elegantissimè confirmatū est à graui-
simo, & doctissimo Dominico Soto lib.
4. de iustitia & iure, quæst. 2. articu. 3. Erin
relectione de ratione regendi & detegen-
di secretum membro, 1. quæst. 3. (vnde
ego

Soto lib. 4.
de iust. & iu-
ro, q. 2. ar. 3.
Et in Rele-
gio. de rat.
egendi, &
de regendi
secreto mem-
bro. 1. q. 3.

Liber secundus.

ego nonnulla mutuatus sum) non est à
me hoc quidem loco disputandum , ta-
Caiet. 2.2. q.
73. ap. 2.
met si aliter visum esse sciam Caietano , 2.
2. quæst. 73. artic. 2. & in summa verbo, de-
tractio. Etsi enim gloria natura sua pretio-
sior diutijs sit , tamen opinione homi-
num, & confuetudine ciuali, magnus auri
aceruus exiguę gloriæ anteponitur. Non
est ergo dubium ut aurum, ita gloriam in
potestate nostra esse. Ad quod non leui
argumento esse debet , quod nec ipsius
quidem fœlicitatis cauſa vitā nobis met-
ipſis eripere possumus. Ut videtur Augu-
Aug. lib. 2.
de ciui. c. 20
ſtino lib. 1. de ciuitate, cap. 20. Gloriam, si
animo pestilentem, & noxiam esse sentie-
mus, negligere, & perdere licet. Vnde coſ-
tat eam nō pertinere ad illa genera bono-
rū, quorū nō est nobis potestas, ut vita, sed
ad illa potius, quibus libere, proq; arbitrio
utimur, qualia sunt externa omnia.

Ex quo etiam sequitur , qui gloriæ suæ
nocet, iustitiam nulla ratione violare, resti-
tutione se non obligare , nemini facere
iniuriam , quāmuis hæc quoq; inficiatus
est Caietanus. Verùm hæc omnia de ho-
mīne

mine priuato accipienda sunt, ut paulò
ante monuimus, non de magistratibus, pu-
blicisq; personis. De quibus an idem sit iu-
diciudi, existit nec leuis, nec contemnēda
difficultas, quæ ita videtur commode
posse explicari.

Duplex est genus magistratum, alterū
temporarium, & externum, vt prætor, Se-
nator, Imperator, Rex. Alterum spirituale
& quasi internum, vt parochus, vt Præfec-
tus monachus, vt Episcopus. Sunt etiam
publicæ personæ quæ nulos magistratus
gerant, vt concionatores, vt theologiæ, &
ingenuarum artium magistri.

Vt ergo in re necessaria illa quidem,
& cognitione digna, sed obscura, & à ne-
mine (quod satis ego sciam) enuclea-
ta, sententiam meam proferam: opini-
nor eisdem eos demum gloriam, ac fa-
mam suam in potestate nō habere, quibus
spiritualis magistratus cōmisi sunt, neq;
vulnerent iustitiæ lege obligari. Cæteri
& si maiorem curam hac in re adhibere
debeant quam priuati, omnino eius do-
mini sunt, vt si temere omisserint, aut
per

Liber secundus,

perdiderint, non in iustitiam, sed in charitatem peccent. Non erit hoc aut obscurum ad intelligendum, aut difficile ad probandum, si perspexerimus quid inter hæc duo magistratum genera intersit, quidq; maximè efficere velit quisque. Omnis enim eorum curatio, quos externos nominavi, non in salute animi, sed in tranquillo, atq; sedato reipublicæ versatur statu. Itaque eos animi morbos, & ea peccata quæ rem publicam non perturbant, nec publicam iustitiam violent pertinere ad se nequaquam putant. Nec enim bona spiritus per se intuentur, sed quatenus spectant ad quietem, pacemq; ciuitatis. Ad hanc ipsam pacem, tranquillitatemque reipublicæ, etsi multum gloria, & fama conducunt (exemplo enim principum, atque maiorum facile populus mouetur) ut se habet illud Claudiani.

Componitur orbis

Regis ad exemplar, nec sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Claud. poet.
de quarto
Honori j cō-
fusatū

Et refert Diodorus Siculus de Æthyopi
bus, ut si aliquando aliqua corporis parte
Rex debilitetur, domestici omnes sponte
sua eandē partem debilitant, turpe existi-
mantes Rege clando, aut monoculo, non
amicos omnes claudos, & monoculos.
Tamen non sunt ita natura sua, perseque
ordinatæ, vt sine ijs constare illa non pos-
sit. Nam fieri potest (& sàpè vsu venisse
cernimus) vt tyrannus in pace, atq; iustitia
contineat ciuitatem, & vbi adulteria, cæ-
des, exactiones principum audiuntur, vix
quisquam alterius rem, vxorem, corpus,
attингat. Atque id ratio ipsa gubernandi
imperandiq; efficit, habet enim regis pre-
ceptio (vt Aristoteles inquit in decimo ad
Nicomachum capite vltimo) vim quan-
dam cogentem, & necessitatem afferen-
tem, vt quos verbis sanare non potest, cū
ijs acerbitate suppliciorum agat. Imò ve-
rò multos iudices videmus qui cupidita-
te laudis incensi, ac immanitate quadam
belluina saeuētes, & crudelissimi (vt sunt)
atq; iniquissimi, iudicantur, & rem publi-
cam terrore illo mitificē sine perturbatio-
ne conseruant.

Diodor. Si-
cul. de fabu-
lis antiquo-
rum, c. 4.

Hi

Liber secundus,

Hi ergo quoniam opinione iustitiae
iuare alios queunt, grauius in charitate
peccabunt quam priuati, si gloriam suam,
atque hominum de se sermones temere co-
tempserint. Sed cum ad eum minus glo-
ria per se non referatur, nec sit simpliciter
necessaria, non est cur ipsis eius potestate,
atque dominatum auferamus. Nihil enim
minus potestatis habent, quam ceteri ho-
mines, nisi in ijs sine quibus nullo modo fi-
nem assequuntur suam. Etenim pecunia
Principi suppetat necesse est, ut ministros
rum magnum alat agmen, quo nocentes
puniat, patriam tueatur. Sed nunquam
cum dominum esse rerum suarum inficia-
bimur.

Contra parrocho, atque Episcopo pro-
posita est salus, & probitas ciuium, suntque
eorum magistri, & quasi pedagogi, ut pu-
ros, atque incorruptos ad celum regna eueniant,
(hunc enim finem intuentur ipsi,) ac id ef-
ficiant, quod Christus, & Apostoli, si hic
viuerent, effecissent. Quare vix unquam
vi, aut minis agunt, nisi cum sunt euulga-
ta crimina, omnis animaduersio, atque pu-

nitio anathemate, cum grauissima est, continetur. Sed sanare hac ratione latentia non possunt, quae sacer vel grauiora sunt, & maiori indigent curatione. Ac ne ipsa quidem quae sentiuntur, & videntur pœnis semper sanantur, ut enim externa opera tollas, voluntatem, vnde exeunt periuria, cædes, & adulteria collere non potes. Gladius igitur quo Episcopus pugnat, & quo omnia peccata quasi ulceratam, ac putridam carnem resecat, est verbum Dei: vt ad Hebreos quarto Paulus docet dicens, *Vinus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diuisionem anima, & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentiuncordis.* Ut quemadmodum ad Titum cap. i. scribit idem Apostolus, *Potens sit exortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Vnde etiam est illud secunda Timothei tertio, *Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ve-*
 Tt per-

Ad Tit. i.

2. Timoth.

3.

Liber secundus,

a Timot. 4.

perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonū
instructus. Et capite sequenti, Testificor
coram Deo, & Iesu Christo qui iudicatu-
rus est viuos, & mortuos, per aduentum
ipsius, & regnum eius, prædica verbum, in-
sta opportune, importune, argue, obsecra,
increpa in omni patientia, & doctrina.

Vita, & fa-
ma in p[re]la-
eis, & magis-
ter atibus
quantum
opporteat,
ad correc-
tione inferio-
rum.

Ex quo necessariò efficitur ad finem
spiritualium magistratum, & ad propriū
eorum officium per se omnino referri fa-
mam, & gloriam, quia nihil verbis profi-
citur quamvis suauibus, & eruditis, cùm
illa discrepare à dicentis vita putantur, vt
in tractatu de perfecto concionatore co-
piose explicamus capite.

Evidem nō video quo modo populus
indignationē, aut etiam risum tenere pos-
sit, cùm Episcopus de sobrietate, de casti-
tate, de contemnēda pecunia dicit, qui vi-
nosus, impudicus, auarus exultimatur. Ille
igitur vñus peccatis ciuium medebitur,
eosq[ue] ad virtutem, & ad supremā beatitu-
dinis consecrationem vehementer incita-
bit, quem ipsi virtute, & gloria præstan-
tem iudicabunt. Hac de causa Augustinus

in

inquarto de doctrina Christiana cap. 28. doctorem, ut obediēter audiatur, cum esse vult, qui ita bonam vitam eligat, ut etiā bonam non negligat famam, sed prouideat bona coram Deo, & hominibus quantum potest, illum timendo, his consulendo, verba Augustini sunt. *Talis doctor ut obedienter audiatur non impudenter, non solum submisè ac temperate, verum etiam granditer dicit, quia non contemptibiliter vivit. Sic namque elitit bonam vitam, ut etiam bonam non negligat famam, sed prouideat bona coram Deo, & hominibus quantum potest illum timendo, his consulendo:* In ipso etiā sermone, Malit rebus placere, quam verbis, nec existimet dici melius nisi quod dicitur verius, nec doctor verbis seruiat, sed verba doctori. *Hoc est enim quod Apostolus ait. Non in sapientia verbi, ne euacuetur Crux Christi. Ad hoc enim valet etiam quod ait ad Timotheum. Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Verbis enim contendere, est non curare quomodo error ve-*

^{2. Cor. 8.}^{1. Cor. 10.}^{2. Timot. 2.}

Liber secundus,

ritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Et ita conuer- setur ut non solum premium sibi comparet, sed etiam prebeat alijs exemplum, & sit eius quasi copia dicendi, forma viuendi. Et rursus in eodem libro capite vigesimo no- no de talibus Episcopis, magistris, & con- cionatoribus inquit idem Augustinus, *Eos* itaq^{ue}, dixit Deus surari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo qua Dei sunt, cum mali sint, faciendo quæ sua sunt, nec sa- nè ipsi dicunt bona, qua dicunt, si dili- genter attendas.

*Quomodo ergo dicunt verbis, quod negant factis, non enim frus- tra de talibus ait Apostolus: Confidentur se nosse Deum, factis autem negant. Mo- do ergo quodam ipsi dicunt, & rursus alio modo ipsi non dicunt, quoniam utrumque verum est quod ait veritas: de talibus enim loquens, *Quæ dicunt, inquit, facite* quæ autem faciunt, facere nolite. *Hoc* est, quod ex ore illorum auditis facite, quod in opere videtis facere nolite. Di- cunt enim, inquit, & non faciunt. Sed alio loco tales arguens ait: *Hypocrita quomodo* potef-*

*Aug. lib. 4.
doctr. Chri-
stian. c. 29.*

Ad Tit. 11:

Matth. 13:

Matth. 13:

potes̄is bona loqui, cūm sitis mali. Ac per hoc & ea quae dicunt, quando bona dicunt, non ipsi dicunt, voluntate scilicet, atq; ope-
re negando, quod dicunt.

Paulus verò nihil aut s̄p̄ius, aut accura-
tiūs Episcopis præcipit. Vt prima Thimo-
thei tertio, Oportet enim Episcopum irre-
prehensibilem esse. Et, Oportet autem illum
& testimonium habere bonum ab his qui fo-
ris sunt, ut non in opprobrium incidat, &
laqueum diaboli. Et cap. 4. Exemplum
est oī fidelium in verbo, in conuersatione, in
charitate, in fide, in castitate. Nec multo
post. Hac meditare, in his esto, ut profectus
tuus manifestus sit omnibus. Hoc enim fa-
ciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui
te audiunt,

Non satis putat Episcopo proficere, nisi
profectus ille manifestus fuerit omnibus:
alioqui nihil eos mouebit, quibus vitā nō
probarit suam. Iam si gloriæ, & existimati-
onis Dominus non est, restituat eam ne-
cessē est, quoties prodigè disperdiderit,
& dissipauerit: sed non tam sibi restituet,
quam magistratui, muneriq; quod gerit.

Liber secundus,

Atque hæc quidem ita intelligo dum magistratum retinet, nam eo si abierit, curam que cum munere reliquerit, priuatorum ius, ut cæteri, obtinebit.

Ex his quæ de magistratibus diximus, intelligitur bonarum artium præceptores, & concionatores habere glorię potestatem. Nam theologia, disciplinæq; omnes recte possunt sine gloria doceri. Satis que, quod muneris sui erat, præstítit, qui res difficiles, & arduas explicauit. At concionatores nemini illi quidem proderunt, si omni gloria careant, sed quoniam liberè id faciunt (nisi parochi sint, aut Episcopi) nulli ut profint obligantur.

His, ut nostri ingenio li tenuitas tulit, explicatis ad initio obiecta argumenta veniamus.

Ad primum respondemus, nūnquam sacras literas cohortari homines solere, ut querant gloriam, opinionemq; populatem. Tantum monent ut summa contentionē in ijs se se exerceant, quæ sint omni gloria, & laude dignissima, quæq; bonum nomen conciliare soleant, ut & ipsi virtute

te præstare, & alijs adiumento esse possint.
Quem àdmodum Matthœi, 5. videmus. Sic Matth. 5.
luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem vestrum, qui in cœlis est. Lucere coram hominibus lucem nostram nihil est aliud, quam sanctissimè & religiosissimè viuere, eos exemplo nostro commouere.
Atque id Paulus dixit ad Romanos, 12. *Prudentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Hoc est, in bonis vos operibus exercete erga Deum, & erga homines, ut eos magis, magisque ad virtutem incendatis. Præclarè verò explicat ad Philippenses, 4. dicens, *De cetero fratres,* Ad Philip.
quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplina, hac cogitate. Nō dixit, bonam famam, sed quæcunque bonæ famæ id est, quæ sunt gloriæ, & famæ efficientia, & ciuitati, ut bonis omnibus probentur, qualia sunt, quæ vocavit vera, & pudica, & iusta.

Secundo quidem argumento libenter

Tt 4 damus

damus quod assumit, peccare eum qui temere crimen suum prodit. Nam aut eo tempore ita facit quasi sibi ipse placens, & ceu egregium quoddam facinus praedicans, quod est intolerantissimum, & ini-
Efai.3. quissimum, vnde grauis illa, & in primis acerba reprehensio Efaię, cap.3. *Pecca-*
Psalm.51. *tum suum quasi Sòdoma predicauerunt,*
& non absconderunt. Et psalmo, 51. *Quid*
gloriaris in malitia, qui potens es in ini-
quitate? Aut sine gloriatione effutit,
quod multò quidem minus, sed tamen iu-
re reprehēditur, cùm sine casu sit, & quòd
alijs impingendi ansam affert, & quòd
peccata eius naturæ sunt, vt nequaquam
in lucem proferri, sed silentio tegi, & qua-
si obliuione sepeliri debeant. *Vitio-*
sa est etiam sceleris inconsulta detectio,
quia gloriam lædit, minuit, eripit. Sed
non est peccatum genere suo mortale,
nisi cùm est vehemens, & grauis om-
nino læsio, in aliorūmque dedecus, aut
offensionem manans, vt ante dixi. Et
quidem eo tantùm tempore quo spi-
ritualem ad finem necessaria est, nam
admodum pri-

priuatus in aliud tempus conseruare non iubetur. Tunc autem charitas, non iustitia, aut præceptum peculiare vio-
latur. Augustini verba satis constat ad eos pertinere qui cum scandalo alio-
rum, quos ad imitationem sui alliciunt, existimationem, famamque cōtemnunt,
vt cum homo virtute excellens turpia
quædam fecisse videri vult, multos auc-
toritate, & opinione præiudicata ad paria
facienda non tam alicere quam compel-
lere videtur. Quemadmodum de Petro
Apostolo accepimus ad Galatas secun-
do. Qui cùm ethnicorum mensas vita-
re cæpisset, simulationi eius consense-
runt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas
ethnicorum magister, & quasi parens
duceretur ab eis in simulationem illam.
Ac Petrum ita increpat Paulus. *Si tu
cùm Iudeus sis, gentiliter vivis, & non
Iudaice, quomodo cogis gentes Iuda-
zare?*

Iure sanè, tāta enim erat Petri auctoritas,
& amplitudo, vt homines exēplo suo non
moueret, sed cogeret. Pertinent etiam ad

Ad Galat. c.
2.

Liber secundus,

Rom. 2.

eos quorum infamia insignem turpitudinis notam religioni inurit, de quibus Paulus ad Romanos, 2, ait, *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes*, sicut scriptum est. Quæ duo facile verba ipsa indicant. Ita enim inquit continuò, *Cum occidunt animas aliorum*. Siue blasphemantiam viam Dei, quibus secundum suam suspicionem, quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum: siue etiam cum excusatione imitantiū, non quod vident, sed quod putant.

Sap. 16.

Tertium argumentum versatur in dispari causa. Nam cum Deus vite nostrę Dominus sit, non nos, ut sapientiæ, 16. doce-
mur, *Tu es Domine qui vita & mortis ha-
bes potestatem, & deducis ad portas mor-
tis, & reducis. Iure id perdere, & dissipare
prohibemur, quod alienum est. At gloria
tota nostra est, quia virtute nostra, & dili-
gentia comparatur, ideoque non
est eius præcepta conser-
uatio.*

CAP.

*An conseruatio gloriae obliget nos cum
magno discrimine vita, aut rei
familiaris?*

VOD Ad pericula pro gloria
subeunda attinet, si recte
quæ paulò antediximus per-
cepta sunt, nō erit nimis dif-
ficile explicatu. Etenim sive
res familiaris, ita gloria in potestate nos-
tra est, nec de ea quicquam nobis lege præ-
criptum est, nemini dubium esse debet,
vix ullum unquam tempus incidere posse,
quo priuatus pro ea tuenda periculis se,
aut res suas inferre cogatur. Nam & si
gloria multis opitulari, salutemq; afferre
possim, non ideo mihi lex ut seruem præ-
cipit, aut eius dominatum, & potestatem
aufert, sed ut si pecunia suppetet, largum
me esse in eum iubet, quem egestate afflic-
tum, atque oppressum videro. Ita eo tem-
poris articulo quo gloria mea fratribus
magnopere necessaria est, ut ea iuuem
quos potero, præcipit lex, & ratio charita-
tis.

tis? Atq; vt in hunc articulum settiare minime subebar, ita nec post eum retinere iubetur. Ergo glorię tuenda haec est optima & expedita rasio, vt omnem curam, atq; industriam in virtute ponamus, societatem hominum, quantum licebit, iuuenimus. Deum optimum maximum sanctissime colamus, & tales omnino simus, quales videri volumus. Quemadmodū enim quis se in solem veritatis, umbram habet comitem, & asseclam etiam si nolit, sit erga conuertat, ipse umbram sequitur, nec attingit inquam: ita gloria assequitur eos, qui se se totos Deo dediderunt, nec vota concupita, manetq; semper, recedentes vero ab studio pietatis, & ardentissime quarentes dessorit, & fugit. Ut refertur de Catone Marco Portio, de quo Laertius Diogenes ita ait. Cato Marcus Portius vir tantæ constantiae fuit, vt gloriæ eius nullus inquam laudando profuerit, nec vituperando nocuerit. Hic licet gentilis, humana tamē gloriā fugiebat. Sed vt de illo scribit Salustius, quod minus appetebat gloriā, cōmagis cum gloria sequebatur.

Quod

Dominicus
Nanus, &
Bartholomeus Amā-
tius, in Po-
lyanthea.

Quod si aliquando his artibus retineri,
 & ab improbissimorum hominum iniu-
 ria cōmodē vindicari nequeat, mihi qui-
 dem salubre illud Christi consilium sequē-
 dum, atq; amplectendum videtur, *Ego*
autem dico vobis non resistere malo, sed si
quis te percusserit in dexteram maxillam
tuam, prabo illi & alteram: & ei qui vult
*tecum in iudicio contendere, & tuni-
 cam tuam tollere, dimitte ei & pal-
 lium.*

Matth. 5.

Sed duo sunt omnino tempora quibus
 (ut ego arbitror) priuatus iure ipso astrin-
 gitur, ut ob conseruandam gloriam nu-
 llum pecuniæ, capitis ve periculum re-
 cuset. Cūm magnum, atque certum
 fratribus scandalum timet: cūm insigne
 aliquid dedecus, & probrum susceptu-
 ra apud infideles religio videtur. Lo-
 quor de certo, & constanti, & verè
 probabili metu. Et quidem tam sanc-
 té tuendam esse religionem ut omnes a-
 cerbitates sint perferendæ, ne eam in
 contemptum adduci sinamus, capi-
 te decimo quinto satis confirmauimus.

Si

Liber secundus,

Sur la vita
eorum.

Sie enim Xistus secundus, & Laurentius martyres, tum etiam Thomas Cantuariensis pestē oppetere maluerunt, quam vnius Ecclesiæ thesauros prodere tyrannis, quo tandem animo in Ecclesiæ Catholicæ, totiusq; religionis gloriam nos debere esse arbitramur?

De scandalo autem quod actuum theologi vocant (de eo enim loquimur) omni tempore, atq; omni ratione vitando, non obscurum, aut dubium præceptū habemus, ita enim inquit Christus Matthæi, 18. *Qui autem scandalizauerit unū de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

Est autem facilis & perspicua in primis ratio. Scandalum est dictum, vel factum, quo alijs occasio ruinæ datur, auctore Hieronymo in commentarijs Matthæi cap. 15. Quod accidit vel cum quispiam alterius ruinam, atq; offenditionem querit, vel factum ipsum eiusmodi est, ut natura sua inducat, & moueat ad ruinam. At hoc sine peccato fieri nequit. Imò verò quod

Hieron. in
cōm super
Matt. c. 15

per

per se nihil deformitatis, aut turpitudinis, habere videbatur, si minoribus offensioni esse incipiat, vitiosum efficitur, ut in etiis idolis immolatis copiose Apostolus docet, 1. Corinthiorum, cap. 8. & 10. & ad Romanos, 14. Bonum est non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Et paulo ante, Omnia autem sunt munda, sed malum est ei qui per officium manducat.

Ex quo efficitur scandalum actuum semper esse peccatum in eo qui offert, ut scire ratiocinatur sanctus Thomas, 2. 2. q. 43. artic. 2. cuius verba sunt. *Scandalum actuum semper est peccatum in eo qui scandalizat, quia vel ipsum opus quod facit est peccatum, vel etiam si habeat speciem peccati dimittendum est semper propter proximi charitatem, ex qua unusquisque teneatur saluti proximi prouidere, & sic qui non dimittit contra charitatem agit.* Et Paulus apertissime ad Romanos, 14. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo

1. Corint. 8.
& 10.
Ad Romanos,
cap. 14.

S. Thom. 2.
2. q. 43. art. 2.

Ad Rom. 14

Liber secundus,

cibo tuo illū perdere , pro quo Christus mor-
tuius est. Et prima Corinthiorum cap. 8. Sic
autem peccantes in fratres , & percutien-
tes conscientiam eorum infirmam , in Chris-
tum peccatis. Quapropter si esca scanda-
lizat fratrem meum , non manducabo car-
nem in aeternum , ne fratrem meum scan-
dalizem. Quod si nullum est sine peccato
scandalum , per se atq; natura malum est.
quod autem per se malum est , & si in acer-
bissima discrimina incidamus fugiendum
est. Ut abunde cap. 15. confirmatum reli-
quimus. Nullo ergo metu contemnenda
est gloria , cum inde probabile alijis offen-
sionis periculum creatur.

Verum hæc quidem de priuatis. Nunc
de spiritualibus illis magistratibus loqua-
mur , quos esse famæ , & gloriæ dominos
negauimus.

Ac de ijs ego ita sentio , iure teneri , (mo-
do in magna gloria viuant) vt omnia pe-
ricula suscipiant , omnes dolores crucia-
tusq; perferant , ne existimatione sua deci-
dant. Cum quia eorum ignominia in uni-
uersum sacerdotum ordinem , & in religio-
nem

nem ipsam, si Ecclesiæ hostes rescrierint,
maxime manat, tum quia vix sine incre-
dibili cæterorum scandalô fieri potest.
Et ut hæc missa faceremus, non dubium
est Episcopum (vt de eo exempli cau-
lalor-
quar) pecuniae, vitaque periculum adire
debere iure diuino pro spirituali populi
sui salute tuenda, atq; seruanda. Ita enim
ait dominus Ioannis, 10. *Bonus pastor ani-*
Ioan. 10.
mam suam dat pro ouibus suis. Et Gre-
gorius homilia, 14. in Euangelia. *Primum*
(inquit) *nobis est exteriora nostra miseri-*
corditer ouibus nostris impendere, postre-
mum vero, si necesse sit, etiam mortem nos-
tram pro eisdem ouibus ministrare. Hanc
autem ipsam salutem, amissa gloria quam
habebat, efficere, & tueri non potest, vt
fusiùs ante diximus. Omnia ergo illi pro
gloriæ conseruatione perferenda sunt.

CAPVT. XVIII.

Quomodo nos gerere debeamus in ijs qua
gloriam infringunt.

VT VIRTUTE gloria paratur, ita vir-
tute retinetur, vitijs, extinguitur.

Vu Sed

Greg hom.
14 in Euag.

Liber secundus.

Sed quoniam fundementum modo est
virtus, gloriaque tota in hominum de
nobis iudicio, & sermone versatur, fieri
potest, ut nulla culpa nostra ea excida-
mus, & quasi iam diu possessa laude spo-
liemur.

Gloria aut dictis, aut factis nobis eri-
pitur. Factis, ut cum ita nobiscum agunt
ciues, atq; cum improbis, & perditis ho-
minibus, si nos honoribus abdicent, si par-
uipendant, si domo, aut etiam urbe exi-
gant, si turpibus & in honestis supplicijs
afficiant.

Dicta tribus potissimum capitibus con-
tinentur, irrisione, contumelia, detrac-
tione. Irrisio quiddam habet iocosum,
& eo intendit, ut alter rubore suffunda-
tur. Cæteræ duæ seriò agunt, & hono-
rem ac gloriam extinguere nituntur. Sed
est in præsentes contumelia, in absentes
detractio. Atque hæc quidem omnia
eam ob causam gloriam eripere dicun-
tur, quod & si ab improbis hominibus in-
ferantur, tamen id interdum perficiunt,
ut viri boni è quorum iudicio gloria nos-
tra

tra pendebat, secus de nobis existimare incipient, nosque alios esse censeant, quam ante putauerant. Quæ quoniam gloriæ vehementer obstant, non erit abre querendum, quomodo se in illis gerere quisque debeat?

Facta quidem certè sine iniuria esse vix possunt. Nam qui fieri potest ut iure contemnatur honestus homo, & gloriosus damnetur, ejiciatur, puniatur?

Dicta & si cum summa iniuria coniuncta sint, tamen vera esse possunt, ut si homini gloria florenti ea vitia obijciantur, quibus aliquando laborauerit, aut generis obscuritas, & humilitas, aut magnarum rerum, ac ingenuo homine dignarum ignoratio. Siquidem aliquid mali nobis merito nostro acciderit, quo gloria minuatur, ut si magistratu abire iubeamur, ad quem gerendum idonei non eramus. Ut quod ibi gloriæ amissum videri potest, alia ratione recuperemus.

Ac ut dicta & facta complectar, in omni iniuriarum genere, quibus gloria labet

Liber secundus.

factari solet, possumus nos quidē, ac nostra defendere, sed honestissimum est, & Christiano homine dignissimum cedere insanorum, & perditorum furori, cohíbere animum, linguam, manum, nisi id eius ipsius qui iniuriam facit, aut aliorum satuti incommodum, & inutile videatur. Rei summam proposuimus, explicemus singula.

Tueris quenquā posse non est profectō dubium, est enim à natura ipsa insitum, atque informatum in animis nostris ut iniurias propulsemus, vim repellamus, expediamus salutem. Nam illis Matthæi verbis. *Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percūserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi ē alteram: ē ei qui vult tecum in iudicio contendere, ē tunicam tuam tollere, dimitte ei ē pallium,* Augustinus libro primo de sermone Domini in monte capitulo trigesimo tertio, & consequentibus aperit, atque prudenter exponit, id nobis tantum præcipi, ut animo simus ad omnia, cum expedierit, ferenda præparati

Math. 5.

*Aug. lib. II.
de serm. do-
mini in mo-
te c. 33. &c co-
seq.*

non

non ut feramus semper, Etenim Dominus ipse qui praecepta (inquit) qua docuit primus impleuit, percutienti se in maxillam ministrosacerdotis non prabuit alterā, sed insuper dixit: Si male locutus sum testimoniūm perhibe de malo, si autem bene quid me cadiſ?

Ioan: 18.

Sed est maxima cautio adhibenda ne indignatione victi de potestate (ut dici solet) exeamus: ne gloriæ studio in respondendo insolentius efferamur: ne denique vltionem quærentes, iniuriam non tam propellere, quam inferre videamur. Quo præclarè vti solet semper Apostolus ut docet ad Romanos duodecimo cum ait, *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Non defensionem, sed vindictam tollit, eamque Deo relinqu iubet, addit enim, sicut scriptum est, *Mibi vindictam, & egoretribuam,* dicit Dominus.

Ad Roman.
c. 12.
Et ad Hebr.
10.

Defendi autem verbo ita interdum vtitur interpres, ut idem sit atque vlcisci, ut Iudith primo, *Tunc indignatus Nabuchodonosor rex ad omnem terram illam*

Iudith. 1.

Vu3 iura-

253
Liber secundus,

*jurauit per thronum, & regnum suum quod
defenderet se de omnibus regionibus his.
Idque hoc loco esset fortasse paulò obscu-
rius, nisi indicaret aperte Græca vox qua
hic Paulus vtitur, quaque Lucæ, 18. euangeli-
cæ vfa est anicula, vbi ipse idem inter-
pres vertit, *Vindica me ab aduersario meo.**

Lucæ 18.

*Cypria. in
calce libri
de duplice
martirio.*

Ioan. 8.

*Quare Cyprianus in calce libri de dupli-
martyrio ita legit, *Nos vos vindicatæ cha-
risimi.* Ita ergo nos defendemus, vt quan-
tum fieri poterit, neminem offendamus,
sed eam mansuetudinem, & facilitatem
retineamus, quam in Christo, atque in
Apostolis sæpiissimè cernimus. Nam quid
care response manuetius, aut lenius? *Si*
male locutus sum, testimonium perhibe de
malo, si autem bene, quid me cadi? Quid,
cum ei Iudæi dicunt, *Nonne bene dicimus*
nos quia Samaritanus es tu, & demoniū
habes? Quid tandem respondet? *Ego dæ-*
monium non habeo, sed honorifico Patrem
meum, & vos in honorastis me. Hoc ip-
sum de Apostolis in eorum actis sæpè le-
gimus, adeò vt Paulus cum quidem co-
laphum accepisset, maximèque iracundia*

efer-

eferuescere videretur, *Nesciebam* (inquit) Ador. 23.
fratres quia princeps est sacerdotum, scrip-
tum est enim, Principem populi non maledi- Exod. 22.
cis. Ergo si vera nobis peccata obijciun-
 tur, non dolo malo, sed ignoratione, aut
 perturbationum magnitudine superatos
 nos fecisse dicemus: aut certè quidem ca-
 lone feruentis ætatis, quo tempore vel maio-
 ra condonari solent. Grauiora illis, aut
 paria non obijciemus, est enim id vlcisci,
 non defendere, quod Apostolus ve-
 tatt cum ait, *Non vos defendantes charissi- Ad Romani*
mi, sed date locum iræ. Si vero falsa sunt, &
 à quibus semper abhorruimus, palam in-
 ficiabimur, testes proferamus, aut etiam,
 si opus fuerit, inficiationem nostram iure
 iurando confirmabimus. Quæ si satis
 non erunt, hæc erit summa defensionis
 acerbitas, ut quoniam vim vi repellere
 licet, conuictatorem leuem, & menda-
 cem esse dicamus, similia in multos di-
 cere solere, malo animo esse in nos: de-
 niique aliquid, quod verum sit, afferamus:
 non tam quod illum mordeat, quam
 quod ei fidem, & auctoritatem minuat,

vt & existimationem nostram tueamur,
& ipsum à maledicendo deterreamus. Si
nobis nō creditur, exemplis (si quæ habe-
bimus) vtemur ad faciendam fidem, hoc
est aliqua eius mendacia, aut in innocen-
tes homines maledicta in medium addu-
cemus, modo occulta non sint.

Iniuriam quæ versatur in factis, aut
fugiendo vitabimus, quemadmodum

Matth. 10. Matthæi, 10. admonet Dominus, *Cum*
persequentur vos in ciuitate ista, fugite
in aliam, Aut beneficijs placando eos
qui nobis pestem machinantur, de quo
grauiter, & eruditè Salomon prouer-
biorum vigesimoquinto ait, *Si esuri-
rit inimicus tuus, ciba illum, si sisierit,*
*da ei aquam bibere, & prunas congre-
gabis super caput eius.* Hoc est vrentesi
poenitentiæ gemitus, quibus superbia
sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse
hominis, à quo eius miseriæ subuenitur,

ut exponit diuus Augustinus libro tertio
de doctrina Christiana capite decimo sex-
to, & sermone centesimo sexagesimo octa-
uo de tempore. Sed in omnibus est dili-

*Aug. lib. 3.
doctr. Chis-
tiana, c. 16.
Et in serm.
de tempore,
168.*

gen-

gentissimè videndum nequid contra charitatem, aut iustitiam fiat: satis enim ostendimus non tanti debere esse gloriam, ut eius causa spiritualia bona amittamus.

Quàm verò cum Christiani hominis professione, vitaque congruat non resistere malo, sed aduersa omnia, & omnes contumelias æquissimo animo ferre, quàmuis gloriæ appetens sit, copiosè & præclarè sacri libri docent. Etenim de Christo ad hunc modum scripsit Esaias capite quinquagesimo tertio. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram condente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Petrus in prima canonica capite secundo ita ait, *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste.*

Esa. 53.

1. Petr. 2.

De Apostolis autem hæc Paulus prima Corinthiorum quarto. *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obscramus.* Deniq; hæc est christiane summa pietatis,

1. Cor. 4.

Matth. 5.

Liber secundus,

diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos. Et, Orate pro persequenti- bus, & calumniantibus vos, ut sitis filij Pa- tris vestri, qui in cœlis est.

Quod si hæc (ut Christianos, & veræ gloriæ participes decet) non meritis nos- tris, sed virtutis, & religionis, hoc est Chris- ti causa perpetramur: quid gloriosius? aut beneficentius? quid optabilius? Qué- àdmodum in prima epistola capite quar- to scribit Petrus, dicens, *Communican- tes Christi passionibus gaudete, ut & in reuelatione gloria eius gaudeatis exultan- tes, si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, glo- ria & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescat. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut ma- ledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.*

Ad Rom. 8.

Hæc Petrus. Facilè tacebit, ac feret omnia, qui considerauerit, Non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam qua reuelabitur in no- bis.

bis. Quamque apud Matthæum capi-
te quinto his verbis Dominus pollicet-
tur, *Beati estis cum male dixerint vo-
bis homines, & persecuti vos fuerint, &
dixerint omne malum aduersum vos men-
tientes propter me. Gaudete & exulta-
te quoniam merces vestra copiosa est in
cœlis.*

Matth. 5.

Atq; ut leuius, & alacrius omnia igno-
miniæ genera perferamus, inspiciendum
est complura videri minuere gloriā, quæ
usu, atq; iudicio prudentium, & ornatorū
virorum, vel nunquam minuunt, vel non
hoc tempore, nec hoc loco, nec vero ijs
aduersarijs.

Pati conuitia, & turpissima quæq; pro
Christo, (id est pro eius fide afferenda, pro
religione, pro charitate, pro pietate, pro
omni actione virtutis) honestissimum, &
gloriosissimum est, atq; ita prudentes iudi-
cabūt. Quòd si animales homines (qui nō
sapiūt quæ Dei sunt) aliter existimauerint,
eorum ut vita, ita etiam sententia contem-
nenda est. Quantò Apostoli præstantius,
de quibus actorum, 5. legimus. Et illi qui-
dem

Acto. 5.

Liber secundus,

gaudentes à conspectu concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati? Contumeliam autem vocat summam gloriam, quam stulti & plebeij homines ignominiam putabant veluti cum Euangelicam sapientiam stultitiam Paulus appellat, 1. Corinthior. 1. Vnde idem

1. Cor. 1.

2. Cor. 12:

2. Ad Timo.

Apostolus, 2. Corinthior. 12. ait, Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Explicat infirmitates quae sint, Propter quod placebo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Iure igitur ad Timotheum in posteriorie epistola, cap. 1. scribit. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, nec me vincatum eius.

Ea enim res non ignominiosa, sed gloriæ, & claritatis plenissima habenda est. Si nos homo turpis, & dicax male dictis incessat, cuiboni fidem non habent, aut si minimè ille quidem malus sit, sed apud eos loquatur, qui nos probè norunt, quibusque fidem, ac innocentiam nostram satis probatam confidimus, nullatum

tum ignominia afficimur. Atque ita de alijs iudicium facere licebit, dummodò filiorum huius seculi spiritum non habentium opiniones aspernemur. De quibus egregiè propheta psalmo nonagesimo tertio ait, *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanas sunt.* Ac id dēmum gloriosum, aut ignominiosum existimemus, quod viri boni, atque prudentes, & diuinæ legis periti tale esse pronuntiauerint. Quemādmodum scribit Apostolus prima Corinthiorum secundo. *Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.*

Psalm. 93.

1. Cor. 2.

Verūm enim priuatus, quia gloriā in potestate habet, tacere ubiq; potest, & iuri suo cedere, ut sancto Thomæ visum est secunda secundæ, quæstione septuagesima secunda, articulo tertio. Et quæstione septuagesima tertia, articulo quarto ad primum argumentum, nisi cùm aliud aduersarij ipsius saluti expedit, quo effrenata tumentis animi audacia coeretur. Ne, si qua vieti silemus, dexterior fiat licentia. Sed hoc ita intelligen-
dum.

S.Tho. 2.2.
q.71. art. 3. &
q.73. art. 4.
ad 1.

Liber secundus

dum est , cùm sermonem nostrum non
inutilem futurum speramus , qui non erit
insolens , & iracundus , vindictamque ap-
petens , sed mansuetus , & lenis , & frater-
Aator.c.26. nam ipsam præferens charitatem . Qua-
le est illud Pauli actorum vigesimo sexto :
cui cùm Festus magna voce dixisset . *In-
sanis Paule , multa te litera ad insaniam
conuertunt . Non insanio (inquit) optime
Feste , sed veritatis , & sobrietatis verba
loquar .*

Prover. 26: Quæ duo proverbiorum vigesimo sex-
to quasi contrarijs , & repugnantibus ver-
bis mirifice explicat Salomon , dicens ,
*Ne respondeas stulto iuxta stultitiam
suam , ne efficiaris ei similis . Responde
stulto iuxta stultitiam suam , ne sibi sapiens
esse videatur .* Ac si dicat , cùm in te ho-
mo stultus , & impudens contumeliosus
est , noli cum paribus contumelijs vexa-
re , ne illius improbitatis , & stultitiae imi-
tator existas , ac in idem vitium procaci-
tatis incidas , quod in illo reprehendis .
Nec tamen ideò respondendum non est ,
ne licentia efferatur , sibique placeat , &
effre-

effrenatiū in dies in conuicia rapiatur.
Sed talia verba in responsione adhibe qua-
lia eius stultitia desiderat, non quæ mor-
bum augeant, sed quæ sanent. Illudque
memineris, *Responsio mollis frangit iram:*
sermo durus suscitat furorem.

Prover. 15:1

Est etiam habenda responsionis, & de-
fensionis ratio, cùm infamia nostra cum
aliorum periculo coniuncta est, aut ob-
scandalum, & ruinam, in quam eos quo-
dammodo exemplo nostro trahimus,
aut quia religionis despicientia conse-
quetur. Rectè igitur Gregorius homi-
lia nona in Ezechielem. *Linguas (in-*
Greg. hom.
9. in Eze-
chielem.
quit) detrahentium, sicut nostro studio
non debemus excitare ne ipsi pereant,
ita per suam malitiam excitatas debe-
mus aquanimitter tolerare, ut nobis me-
ritum crescat: aliquando autem etiam
compescere, ne dum de nobis mala disse-
minant, eorum qui audire nos ad bona
poterant, corda innocentium corrumpant.
Et paulò post, *Hi quorum vita in e-*
xempli imitationis est posita, debent si
possunt, detrahentium sibi verba compes-
cere:

cere: ne eorum predicationē non audiant,
qui audire poterant, & ita in prauis mori-
bus remanentes bene vivere contemnant.

At Episcopus, quoniam gloriæ domi-
nus non est, cùm aliqua ei iniuria imponi-
tur, cui bonorum sententia verē dedecus
hæreat, semper ferè se tueri debet, eo quo
diximus modo, vix enim vñquam accidet
vt eius macula, & probrum noceat nemi-
ni. Ac ob eam causam videmus Paulum
magna copia, & grauitate verborum au-
toritatem, & dignitatem suam aduersus
pseudo Apostolos afferentem, cùm in a-
lijs epistolis, tūm in posteriori ad Corin-
thios, & in ea quæ est ad Galatas. Illud etiā
quod de coercenda conuictantis licentia,
& procacitate diximus, magnopere con-
iunctum est cum Episcopimunere, doc-
toris ciuium, & parentis, vt nullus penè
relictus taciturnitati locus videatur. In
quo si necessarium erit, (modo retineat
paternam charitatem, & spiritum man-
suetudininis) adhibebit aliquando tristi-
tiam, seueritatemque verborum, sed ita
vt summa seueritas cum summa tandem
huma-

humanitate iungatur. Vnde illud Matthæi, 17. Matthæ. 17. *O generatio incredula, & peruersa, quousque ero vobis cum, usque quo patiar vos?* Et ad Galatas tertio, *O insensa Galata, quis vos fascinavit?* Atq; ita ego dictum intelligo, quod Ananiæ Pontifici respondit Paulus actorum, 23. Ad Gala. 3. *Per-
cutiet te Deus paries dealbate.* Cur enim nō liberè, & grauiter Episcopus, & doctor omnium hominem durum, & perditū reprehenderet, cùm præsertim verè ille Pōtifex nō esset? Cùm hæc igitur impedi-
mēto non erunt, optimū erit vbiq; & Epis-
copo cum primis decorum Christi, &
Apostolorum simplicitatem, & toleran-
tiam imitari, req; patientiam, & despicien-
tiam honoris ostendere, ad quam alios ver-
bis cohortari solet: vt cùm illi aliquid vt
turpe, & ignominię plenū obijcitur, quod
re vera gloriosum, & honestū est, cū inse-
creto atq; abscōdito loco, ex quo ad alios
manare nō potest, aut certè apud eos, qui
vel constantiam, atq; virtutem nostram,
vel conuiicatorum leuitatem, & arrogan-
tiā, & maledicentiam cognitam, &

Actor. 23.

exploratam habent) cum irrita, atque inanis futura videtur responsio. Et sancte saepè hæc postrema ratio effecit ut excellentes sanctitate viri in falsis criminibus, & grauibus nihil sibi pro se loquendum putarent. Videbant enim sceleratissimorum hominum impudentiam, crudelitatem, sententiaē obstinationem, malebantq; honestè pati, quām inaniter loqui. Extat huius rei perspicuum & illustre exemplum apud Matthæum capite vigesimo septimo ubi ita de Domino scribit. *Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus, non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur præses vehementer.* Et Lucas capite vigesimo tertio de Herode Rege sic ait, *Interrogabat autem eum multis sermonibus, at ipse nihil respondebat. Stabant autem principes sacerdotum, & scribae constanter accusantes eum.* *Habemus ergo veram & expeditam rationem tunc gloriari, & ab aduersario-*

Matth. 27.

Lucas 23.

sariorum iniurijs vindicandi, quam si re-
licta, atque spreta vulgi vanitate, & leui-
tate, sequemur, non erit verendum, (vt
cunque res cuenerint) ne bonorum iudi-
cio dedecus admisissæ, aut gloria excidis-
se videamur. Quòd si ea, quam diximus,
moderatione, & mansuetudine, studioq;
virtutis retineri gloria non potest: dimit-
tatur sanè, abeat, excedat, pereat, non
est enim seruituti subiectus frater, aut
soror huiusmodi. Nam si quis Dei le-
ges, charitatem, iustitiam, gloriæ causa
violari putat posse: nos talem consuetu-
dinem non habemus: neque Ecclesia
Dei, qui iure damnari eos arbitramur,
qui dicunt, *Faciamus mala, ut veniant
bona.*

Multò aliter nos Christi discipuli insti-
tuunt. Paulus hanc vnam rationem do-
çet vitandi contumelias, & maledicen-
tiam, ne orientur, vñtruis cultum atsi-
duum, studiumque pietatis Ita enim ait,
ad Titum secundo, *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in do-ctrina, in integritate, in grauitate, ver-* Ad Tit. ii.
cristi

Liber secundus,

lum sanum , irreprehensibile , ut is qui ex aduerso est vereatur , nihil habens malum dicere de nobis . At postquam coortæ sunt , eisdem prorsus rebus extingui docet alterum Ecclesiae lumen

1. Petr. 3. Petrus in prima canonica capite tertio.

Cum modestia (inquit) & timore , conscientiam habentes bonam , ut in eo quod detrahunt vobis confundantur , qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem . Si quis autem aliter docet , & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi , & ei , quæ secundum pietatem est , doctrina , superbus est , nihil sciens .

Ex quo cernitur error hominum mente corruptorū , & qui veritate priuati sunt , qui reuem quandam gloriæ vmbram assecuti , eaque intolerantissimè tumentes , nihil ei anteponunt , nihil non audent , quo ea scruari posse videatur . Maxima certè hominum partem videmus , atque eos præcipue qui diuitijs , aut nobilitate excellunt , & quasi quædam reipublicæ lumina videri volunt ,

charitatis , virtutumque iacturam facile contemnere , ac ne in malis quidem habere , tenuis , & inanis gloriola detimentū in summis calamitatibus numerare , & omni consilio , omnique arte vitare . Itaque quasi nati sint ad popularem auram , & inanes imperitæ multitudinis applausus , Dei leges , atque hominum paruipendentes , hanc sibi apud se ipsi sanxere , vt à quo existimationem lædi senserint suam , hunc crudelissimis inimicitijs , & acerbissimis odijs insectentur , huius salutem afflictam , & extinctam cupiant . Hinc incredibiles similitates suscepτæ , nec in morte sæpè depositæ , contentiones , bella , cædes , incendia , euersiones vrbium , interitus non illustrium modò familiarum , sed rerum etiam publicarum . Hinc ille humani generis pernicioſiſſimus hostis , serpens antiquus , qui vocatur diabolus , & satanas summum imperium , atque dominatum occupauit in filijs huius ſeculi , quibus , vt abieciſſimis mancipijs , leges imposuit , vt quāuis leuc conuitū colaphi , hunc cæde

Liber secundus,

Ad Tit. r.

vindicandum putent, *Et quia confitentur*
se nosse Deum, factis autem negant, tradi-
diteos Deus in reprobum sensum, ut con-
ferta manu aduersariuni in iudicium tra-
here, iureq; se vlcisci turpissimum habeat-
ur: eum demum virum fortem, & gene-
rosum existiment, qui protinus arripiat
arma, fremat, irruat, fraterno sanguine
polluat temerarias, & sceleratas manus.
Affueuerunt nefaria turpitudine animi,
atq; oculi hominum, idq; omni laude, &
prædicatione efferunt: nec nullum acerbius
probrum, aut dedecus arbitrantur, quam
Christi (quem se impensiū colere profi-
tentur) patientiam, & mansuetudinem se-
qui. Quid auditu tristius, quam quod in
Italia, & in omnibus penè castris identidē
fieri audio, fortissimos iuuenes, & magno
reipublicæ subsidio, ac ornamento futu-
ros singulari certamine de gloria dimica-
re? Atq; hoc illi ipsi vident, quos iustitiæ
custodes, & ministros Deus hominum
societati præposuit, & permittrunt sèpè, ac
victores ipsos plus quam sicarios, plus
quam homicidas magnis laudibus, mag-
nitq;

nisque honoribus excipiunt. Et qui ci-
uem in bello seruaret querna olim co-
rona decreta erat, nunc propèmodum
aurea perdenti datur. O flebilem victoriā,
turpem celebritatem, ignominiosum ho-
norem. Conseruetur sanè gloria, retineat-
ur, augeatur: sed ita ut eam bonum quod-
dam externum esse memineris, natura fra-
gile, caducum, inconstans, cum charitate,
& cæteris virtutibus nullis partibus con-
ferendum. Quæ si ex virtute nascitur, eaq;
augescit, quî conuenit, aut cui potest sano
videri, sine virtute posse seruari. Atq; hoc
siverum est, quæ potest esse maior amen-
tia, quam gloriam ut cōserues recedere ab
officio, deserere virtutem, diuina iura, &
humanam violare? Quòd si ratione mini-
mè ducimur, & ijs tantam fidem habendā
iudicamus, qui cum malis artibus viam ad
celebritatem munijssent, nec assequi po-
tuere vñquam, & illam ipsam vñbram, si-
mulationemq; gloriæ, quam fraude quasi
vi occuparunt, breuissimè deposuerunt, &
amiserunt. Aut enim penitus eorum no-
men extinctum, atq; deletum est, aut si in

Liber secundus,

hominum memoria , cum summo dedecore,& execratione quadam manet.

Contra qui se à libidine, & ab omnivitiositate incontaminatos , integrosq; seruarunt , & viui præstantissimi habitu sunt, & mortuorum gloria nullis finibus terminatur . Est enim tantus splendor, tantaque dignitas virtutis, ut vel inuitos in sui admirationem, atq. amorem concitet: & veritatis tam mirabilis vis , ut nulla calliditate, aut arte latere diu possit. Non est igitur quòd inquirenda , tutandaq; gloria magnis nos laboribus exerceamus , per se ipsa teneri non potest, & cùm maxime quæsieris, euadit, elabitur, effugit. Ab ijciamus libidines , coerceamus immoderatas animi appetitiones, mortalia contemnamus, intueamur immensam illam æternitatem, & in corporibus humanis vitam imitemur cœlestium, aderit è vestigio inuocata gloria , individua comes, & assecla virtutis, & quò magis ab ea declinabimus , tanto nos velocius , & contentius consequetur.

Quòd si inuidorum calumnijs aliquan-

do suppressa, & occultata nō extiterit, ponamus angorem, & solicitudinem animi, omnis cura & industria in virtute collocebatur, breui ipsa obtinebit, & recuperabit splendorem suum. Ita enim Deus animos nostros finxit, ut & sivalde à virtute abhorruerimus, tamen ipsa nullis externis illecebris adiuta, pulchritudine, & venustate sua conciliet sibi incredibilem quandam admirabilitatem, & amabilitatem. Quæ cum ita se habeant, facile intelligitur, quā stulta sit eorum ratio, & oratio, qui gloriæ desiderio flagrantes longissimè à virtute discedunt, eamq; insanis quibusdam largitionibus, iniurijs, cædibus contineri arbitrantur. Hæc igitur cogitantes, ne fugiamus malè affligi, sed malè agere, superemus diaboli machinationes, & vitam nostram ita virtutibus instituamus, ut possimus in præsenti (si licuerit) gloria, magna fiducia frui, gratia, & misericordia Domini nostri Iesu Christi cui cū Patre, & Sancto Spiritu sit gloria nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Et apud animulem tuorum obitum ibidem Q



LIBER TERTIVS DE VERA. ET FALSA GLORIA.

Ad Christianum lectorem præfatio.

VM Primum in hanc disputatiōnē ingressus sum (charissime lector) quæ latius patet, ut vides, quām putatur à multis, de vera, & falsa gloria predictorum promissi: eaq; allaturum quæ in aliorum ipse libris desiderassem.

Ac de vera quidem, quæ mibi in mentem venerunt, & quæ dici à me poterant, duobus libris complexus sum. In quibus si aliquid etiam quispiam desiderat, à praestantioris ingenij, maiorisq; eruditionis viris petat, meque lector meus vicissim insti-

Prefatio ad lectorem,

instituat, & doceat: agam equidem gratias, & discam perlibenter. Nunc autem consequens videbatur, ut de falsa dicemus (communi malo, & per omne genus hominum peruidente) nisi de altera vera, germanaq; gloria prius esset differendum. Etsi enim haec à nemine pertractata, à paucis nominata est: tamen habet eius cognitio mirabiles fructus, & utilitates, estq; tota Christianorum, & profecto dignissima. Nam ea de qua disputavi hactenus, quamuis vere illa quidem in ethnicis non fuit, cognita est ab eis, & amata: de hac nec suspicati quidem vñquam sunt.

Et quoniam est propinqua priori, atq; cognata, multaq; habent communia, quæ à nobis iam exposita sunt, breuior erit de hac, & expeditior oratio. Itaq; ea cuiusmodi sit explicabimus, quantumq; supererit, & antecusat alteram: deinde ad eam veniemus quæ falsa, atq; inanis vocatur. Quāuis autem primi philosophi negent verū aliquid addere ei quod est, sed idem esse aurū atq; aurum verum tamen ut omnis ambiguitas propellatur, illam priorem, gloriam, hanc

hanc veram, siue Christianam gloriam non
minemus.

Ac ut præstantes poëtæ solent in me-
dio opere, cum magnum aliquod molun-
tur, ita ego hic, Dei optimi maximæ numē,
& præsidium, & beatissimæ Virginis Ma-
riæ Dominæ, ac patronæ nostræ auxilium
inuocabo: quo quidem fatus rem tātam,
& tam dificilem aggressus sum.

Adsis igitur illuminator mentium, mo-
derator verborum, bonorumq; omnium
auctor Spiritus, aperi os meum, qui lin-
guas mutorum facis esse disertas, dona mi
hi veram sapientiam, salutarem eloquen-
tiā, ut ea dicā quæ maximè populo tuo
prosint, & in dicendo non huma-

nam mercedem, sed tevnum
intuear, summum, æter-
nū, & immensum
bonum.

C A P.

CAPVT. I.

De vera gloria, quid sit?



MNES HOMINES IMMESA DEI
BENIGNITATE, & LARGITATE CO-
DITI SUNT VT AUCTORE, & CREA-
TOREM SUUM COGNOSCERENT,
EDQ; FRUERETUR, CUM IN MAXI-
MIS, TUM ETERNIS VOLUPTATIBUS: SED AD HAS,
VT GRATIA A DEO ACCEPTA, & MERITIS SUIS VE-
NIRENT, IN TERRIS VIUERE VOLUIT, NO QUIDEM
VT CIUES, SED VT EXULES, SEMPER FUTURAM CI-
UITATEM, & BEATAILLA COELI DOMICILIA QUÆ-
RENTES. EX QUO EFFICITUR, VT & AD EOS RESPI-
CIAT, AC PERTINEAT QUISQUE QUIBUS CUM VI-
UIT, & AD EOS ETIAM IN QUORUM CIUITATE,
SE SE VICTURUM SPERAT, AD DEUM, AD ANGE-
LOS, AD HOMINES BEATOS. ET QUONIAM HÆC,
QUÆ DICITUR VITA, ANGUSTIS FINIBUS CLAUDI-
TUR,ILLA CUM ÆTERNITATE ÆQUATUR:HANC EXI-
LIUM,ILLAM PLENO ORE PATRIAM VOCAMUS;
NON SUNT VALDE CURANDA QUÆ HIC CERNI-
MUS, AUT HABEMUS, TOTA NOSTRA COGITATIO,
& INTENTIO IN COELESTIA CONFERENDA EST. VN-
DÈ ILLUD APOSTOLI AD PHILIPPENSES TERTIO,

Nostra

Nostra autem cōuersatio in cœlis est. Quod si est gloria quædam in homine de aliquius virtute iudicantium collocata, & non est (ut apud Homerum Apollo inquit) Idem genus Deorum immortalium, & humi serpentium hominum : necesse est alteram esse gloriam, quæ tota Dei, & beatorum spirituum iudicijs, & approbatione continetur. Ac Dei quidem præcipue, beatorum autem spirituum, ut summè veritati penitus adhærescunt, à qua nequeunt ylla ratione dimoueri.

Quam eleganter Homerus describit dicens.

*Vbi diuorum immortalia tecta
Esse ferunt, qua nec ventis pulsantur, &
imbre*

*Non madeant, nec nox venit huc, sed
cuncta serena*

Lux sine nube ambit, splendor circumnitet ingens:

Hic se se oblectant divi sine fine beati.

*Qui ergo de gloria disputationi, de terrena, & caduca locuti sunt. Cœlestem, & multò veriorem, ac firmiorem, & tantò
pres-*

præstantiorem quantò diuinum iudicium
præstat humano, omnino reliquerunt.
Nos quoniam in hanc potissimum quæ
cœlestis est, cogitationes nostras referre
debemus, de ea potius, quam de altera di-
cendum putamus.

Gloria du-
plex.

Ioan. 5.

Ioan. 12.

2. Pet. cap. 1

Duplicem autem gloriam Dei, atque
hominum iudicijs constitui negare non
possumus, legimus enim Ioannis, 5. *Clari-
tatem ab hominibus non accipio.* Quibus
verbis docemur claritatem quandam, &
gloriam esse, quæ accipiatur ab homini-
bus, & claritatem, quæ non ab homine ac-
cipiatur, sed à Deo. Et paulò post, *Quomo-
do vos potestis credere, qui gloriam ab in-
uicem accipitis, & gloriam, qua à solo Deo
est, non quaritis?* Et cap. 12. *Dilexerunt
enim gloriam hominum, magis quam glo-
riam Dei.* De cœlesti & Christiana, ita Pe-
trus, 2. epistola, cap. 1. *Accipiens enim à
Deo patre honorem, & gloriam voce delap-
sa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria,
Hic est Filius meus dilectus in quo mihi co-
placui, ipsum audite.* Paulus quidem ta-
met si alijs verbis utriusque meminit per-
sæpe,

sæpè, vt ad Romanos, 2. *Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Et, I. Corinthiorum, cap. 4. *Mihia autem pro minimo est, ut iudicer à vobis, aut ab humano die, qui autem indicat me Dominus est.* Et, I. ad Thessalonicenses, 2. *Non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra.* Est igitur vera gloria iudicium Dei, & beatorum de alicuius virtute, atque pietate: addidi autem (& beatorum) quoniam hī nunquam à Dei sententia & iudicio discrepant. Non quòd non cohærere possit gloria sola Dei approbatione, vt lib. I. cap. 3. diximus. Adde quòd multum quoque ornamenti, atque splendoris affert gloriæ prædicatio, & notitia multorum. Itaque, cùm ita se aliquis gerit in vita, vt Deum castè amet, & colat, eique placeat, et si homines ignorent, et si ipse nesciat, glorus est, quoniam à Deo, & à beatis optimus iudicatur. Nihil enim referre ad gloriam, sciat ne, an ignoret ille ipse cui tribuitur, & datur lib. I. ostendimus. At enim vt sanum non solum animal dicitur, sed etiam id ipsum quod efficit sanitatem, ita nomē

Ad Rom. 2.

ad T̄ba. 1.
1. Cor. 4. 2.

ad Thes. 1. 12.

Definitio
veræ glo-
riæ

Yy glo;

gloriæ habet interdum , quod gloriam
 conciliat & parit, vt i. ad Thessalonicensis,
 cap. 2. Paulus ait, *Quæ est enim nostra
 spes, aut gaudium, aut corona gloria? Non
 ne, vos ante Dominum nostrum Iesum Christum
 estis in aduentu eius. Vos enim estis
 gloria nostra, & gaudium? Cursum suum
 in dicendo Euagelium, & illos ipsos quos
 docuit, gloriam suam vocat, quoniam mag-
 num inde nomen, magnam celebritatem
 apud Deum consecutus est. Et quamuis
 haec gloria, & illa prior eisdem rebus effi-
 ciantur, hoc est sola virtute , vt fusi in se-
 cundo disputatione: tamen huius omni-
 no proprium est, quod proprius quam alia
 accedit ad affectionem , & cōciliationem
 charitatis Dei erga homines, vt quod à Deo
 sumus per Christum adoptati, quod nomi-
 nati cœlestium bonorum heredes , quod
 magnis præsidijs adiuti, quod ea pro Chri-
 sto perferaimus, quæ ipse pro salute nostra
 perpessus est. Nihil Paulus præclarus veræ
 gloriæ appetendæ magister, ubique glo-
 riatur, vt ad Romanos, 5. *Per quem habe-
 mus accessum per fidem in gratiam istam,*
 in*

in qua stamus, & gloriamur in spe filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Nec multo post, Sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum per quem nunc reconciliacionem accepimus. Psalms. 2. Cuicunque simile est illud sapientiae secundo, Gloriatur se Patrem habere Deum. In his ut quidquam est præclarius, & Deo acceptius, eò est ad gloriam efficacius. Non quod est hominibus gratius, aut admirabilius, ut in gloria humana usuuenire diximus, nam hæc testimonijs Dei contenta humana contemnit, & respuit. Ex quibus omnibus perspicue intelligitur, propriam eam esse omnino

Christianorum : meritòque à

nobis, & veram, & Christianam

gloriam nun-

cupari.

Yy 2 CAP.

CAPVT. II.

An vera gloria sit per se appetenda?

EXPLANAVIMVS Quid sit ve-
ra gloria , quibus maxime
rebus efficiatur, quorum sen-
tentias & iudicia desideret.

Proximum erat ut an bonū
aliquod esset videremus . Sed est id quidē
apertius & manifestius quām vt in contro-
uersiam afferri debeat. Si enim gloriam
quæ à mortalibus , & ijsdē exulibus datur,
in bonis esse confitemur, quid de illa dice-
mus quæ Dei iudicio , & approbatione
constat? Quod si bonum quoddam est,
non est dubium esse quoq; appetendam.
Sed quoniam humanam per se optari pos-
se negauimus, rectè quæritur sit ne ita, an
secus de hac ipsa iudicandum? Et quidem
si Dei erga homines amicitiam gloriā esse
diceremus, quoniam possideri à nullo po-
test, quem non diligit Deus , perspicua
esset quæstio. Nihil enim notius, aut ex-
ploratius quām diuinam amicitiam esse
per se optandam, rebusque omnibus ante-
ponen-

ponendam. Verum gloria non est amicitia, sed aperta Deisententia vitam, & actiones amicorum suorum approbantis, quam aliquando in conspectu hominum exponit. Ut numerorum capite duodecimo. *At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquer ei, palam, & non per anigma-
ta, & figur as Dominum videt.* Aut Ioan-
nis primo, *Ecce vere Israelita in quo do-
lus non est.* Aliquando autem reticet, &
occultat.

Num. c. 12.

Ioan. 1.

Sed respondeo sanè per se appetendam conclus.
esse, non quòd ad finem alterum referri
nequeat (optamus enim Deo probari, ut
cofruamur) sed ita dico per se, vt de virtu-
te dixi nullis adhibitis externis illecebris,
etiam si inde nulla alia utilitas caperetur,
nullo alio fine considerato, est enim penitus
impressum in animis nostris, vt nihil præ-
clarius ; aut appetibilius existimemus, quā
Deo placere, eique omni virtute cumula-
ti videri. Rationes facile afferri queunt
multæ, & est prima.

Quòd ita est cum charitate coniun-

ad

Yy 3

ctum,

Etum, atque connexum ut alterum consistere nequeat sine altero, non dubium est per se esse appetibile: nulla est charitas sine gloria, nulla gloria sine charitate: per se ergo appetibilis est.

Secunda, quia præstantior est finis appetitio, & excellentior quam eorum quæ finis causa comparamus, virtutes amamus & colimus, ut Deo placeamus, bonique ab eo censeamur: si igitur virtutes appetuntur per se, per se gloriam appetine necesse est. Nec id tantum hac ratione concluditur, sed esse can non omnibus rebus humanis appetibiliorem, & quasi finem quemdam ultimum, summumque bonum, si cum ijs conferatur quæ quidem in hac vita conse- qui possumus.

Sed alijs rationibus omissis, hæc est vna omnium, ut mihi quidem videtur, optima & validissima.

Velle in vita, & in moribus eius iudicio stare, atque ab eo approbari, cuius munus est folius iudicare, nec labi, aut decipi in iudicando potest; honestissimum est, & per se bonis viris appetendum: gloria est

hæ

hæc iudicatio: rectè ergo per se appetitur.
 Nam hominum quidem de vita nostra iudicium, & existimationem ideo per se nō
 appetimus, quia eorum non est iudicare,
 sed Dei. Ita enim ait Apostolus, 1. Corinthiorum. 4. *Itaq; nolite ante tempus iudi-
 care, quo ad usq; veniat Dominus, qui &
 illuminabit abscondita tenebrarum, & ma-
 nifestabit cōsilia cordium, & tunclaus erit
 unicuiq; à Deo.* Tùm etiam quia homines
 səpissime falluntur, Deus, hoc est sapientia
 ipsa, non potest falli. Vnde Dominus, 1. regum, 16 sic ait, *Nec iuxta intuitum homi-
 nis ego iudico, homo enim videt ea qua pa-
 rent, Dominus autē intuetur cor.* Et Ioan-
 nis, 8. *Vos secundum carnem iudicatis, ego
 non iudico quenquam, & si iudico ego, iudi-
 cium meum verum est.* Præclarum est
 etiam illud Pauli, 2. Corinthiorum, 10.
*Non enim qui se ipsum cōmendat, ille pro-
 batus est, sed quem Deus cōmendat.* Quam
 obrem cupere optimum existimari ab eo
 cuius sententia nullo modo potest à veri-
 tate dispare, nihil est aliud quam velle
 optimum esse.

r. Reg. 16.

Ioan. 8.

16.10.0.11

x. Cor. 10.

.11. Præcidamus autem mente, & cogitatione bona omnia, quæ hanc Dei existimationem consequuntur, ecquis dubitet per se bonum esse, atque honestum Deo probari, & si nihil eis promissiser, quos probasset? Si bonum appetibile est, & id erit necessarium per se appetibile quod est per se bonum. Huic formæ suapte spōte p̄spicueq; veritati magnum fidei pondus adiungit sanctissimorum hominum desiderium, & oratio, qui hominum de se iudicia, laudesq; contēnunt, nisi cūm aliorum emolumentis prospiciunt, & cauent, vix quidquam ardentiū se optare dicunt, quam à Deo approbari. Docet hoc (qui multa alia) Paulus, 1. Corinthiorum, 4. (nec enim pigebit præstantissimi hominis, atq; sapientissimi verba s̄p̄re repetere) *Mibi autem prominimus est, ut iudicer à vobis, aut ab humano die. Sed neq; me ipsum iudico. Quid ita Paule? an non tu te ipsum nosti?* noui, inquit, sed errare possum. *Nihil enim mihi conscient sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me Dominus est, ab hoc ego iustus haberi cupio.*

cupio Et 2. Corinth. cap. 5. Ideo contendimus sine absentibus, siue præsentes placere illi. Et, i. ad Thesalon. 2. Non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Itaq; nulla illis vox optatior, aut iucundior, nulla gloriose, quæm, *Probus t' cor meū,* Psal. 16.
& visitasti nocte, igne me examinasti, omittit br. 1.
& nō est inuēta in me iniquitas. Ex hac enim oritur spes illa filiorum Dei, spes quæ non confundit, eam ob causam cū prauè homines de virtute iudicant, & uti necesse est, se pè falluntur, facile aspernātur, & se diuinæ approbationis spe consolantur, vt Iob 16. omittit br. 2.
Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius Iob. 16.
meus in excelsis, verbosum amici mei, ad Deū
stillat oculus mens. Et diuinus propheta psalmo decimo sexto, *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant aquitatem.* Ni mirūm, *Iusti* (vt est apud Gregorium homilia, 9. in Ezechielem) non humana iudicia, sed aeterni iudicis examen aspicunt, atque ideo derogantium verba contemnunt. Atque id quidem prudentissime, nam, *Deus iudex iustus, fortis, & patiens.* Homines autem necesse

1. Ad Thesla.
c. 2.

Psal. 16.

Psal. 16.

Greg. hom.
9. in Ezech.

Psal. 7.

Liber tertius,

Psal. 57.

habent idem tidem ut admoneantur, *Si
vere utiqꝫ iustitiam loquimini recte iudi-
cate filij hominum.* Eoſdem etiā videmus
cum aliquid alijs iustis viris mādant, quod
magnopere curatum velint, Deum pone-
re ante oculos incorrupte de omnibus
ſtatuentem, bona laudantem, vituperan-
tem mala, ut, i. ad Timotheum, cap. 5.

*Testificor coram Deo, & Christo Iesu, &
electis angelis eius, ut hæc custodias.* Et, 2.

2. Ad Timo.
c. 4.

ad Timotheum, cap. 4. *Testificor coram
Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est
vivos & mortuos.* Vndē boni vehementer
appetunt approbationem Dei, eamq; in-
credibilem vim habere ad persuadendum
intelligunt.

Verūm hæc omnia quadam maximè
ratione eneruari videntur, qua confeci-
mus gloriam humanam non esse per ſe
amandam. Gloria etiam hæc vera, atque
Christianæ bonum externum eſt, bona ex-
terna non ſunt per ſe bona, imo nullam
bonitatem habent, niſi ut adiumento ſunt
ad virtutem, ad eamq; referuntur, non
ſunt ergo per ſe appetenda.

Huic



Huic quidem rationi ita responderi posse arbitror. Veram gloriam esse quadam ex parte bonum externum: quoniam eam ut habeamus in alijs potius situm est, quam in nobis, est enim tota in potestate dantis. Sed non est prorsus externum, ut ab omniis, quae animum perficiunt secernuntur externa. Nam quamvis nemo existat melior, atque perfectior quod recte de eo homines existimant, tamen Dei iudicium & approbatio vehementer hominem perfectum, praestantemque reddit. Atque ut externum dicatur, non est ex eorum genere, quae in primo numerauimus, quae quidem non sunt bona, nisi quia sunt quaedam instrumenta virtutis. Haec enim, nisi honestus finis praestituatur, amari non possunt, idque hac de causa quod in se ipsis considerata nihil habent aut bonitatis, aut appetibilitatis. At vera gloria nullo fine cogitato ad quem referenda sit, honesta natura, & per se bona intelligitur. Nemo est enim tam hebes, tamque rudis omnium, ut non intelligat natura esse honestissimum cupere me vitae meae rationes ei placere, qui est

vñus vniuersorum iudex , nec potest vlo
pacto errare in iudicando . Vt tigitur videa
mus num aliquid sit per se appetibile? non
sunt tām respicienda nomina , quām re-
rum vis , atque natura , an eiusmodi sit , vt
nullo alio adhibito sine amari , quærique
possit ? Enim verò scientia bonum animi
est , sed veram gloriam , quāmuis sit de ex-
ternis , omnibus disciplinis , & scientijs sine
dubitacione præponimus . Itaque non
sum èquidem de nomine sollicitus : voce-
tur sanè vera gloria bonum externum ,
modò confiteamur hoc bonum quale-
cunque est , non solùm multis animi bo-
nis antecellere , verùm etiam omnia illa
rectissimè in veram gloriam vt in finem
dirigi . Cupimus quidem optimi Deo vi-
deri , vt nos participes efficiat admirabi-
lis gloriæ suæ , sed non est hoc quidem
inficiandum , omnem operam nos in vir-
tute ponere , vt ei optimi videamur , &
probemur . Quæ si rectè constituta sunt ,
liquet profectò hanc gloriam non esse
leuiter querendam , & appetendam vt illā
priorem , sed ardentissime , & cōtentissime

quemadmodum Paulus hortatur, 2. ad Timotheum, 2. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu, nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Et statim, *Solicite autem curate ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.*

CAPVT. III.

An vera gloria possit consistere cum humilitate?



VONIAM ea iam videntur exposita, quæ ad appetitionē veræ gloriæ pertinent: hoc fortasse aliquis desiderabit ut indagemus, num isthæc appetitio cū vera humilitate aliqua ratione pugnet? Sed si ea memoria repetamus, quæ de gloria humana diximus in, 1. lib. cap. 17. & si tatis eo loco confirmauimus optimè illi cum humilitate conuenire, ab eaque vehementer iuuari, non est quod hæc quæstio in medium profertur, etenim vera gloria semper est in meliori

liori causa, quoniam suapte natura est præstantior, & eam ob causam cum omni virtute congruentior, idq; vel illud abunde confirmat quod Christus Dominus noster humilitatis magister, qui ut à se discamus hortatur, *Quoniam mittis est, & humilis corde,* negauit se claritatem ab hominibus accipere velle, & gloriam à Patre vehementissimè semper optauit. Quod etiam animaduertimus in Apostolis, atq; in omnibus qui maximè humilitate præstiterūt, ut paulo ante diximus.

Ita igitur statuo, paucissimas esse in virtutibus humilitate aptiores, & præstantiores ad constituendam veram gloriam: tantum abest ut illi quodammodo aduersa esse videatur. Nec potest id quidem esse dubium. Testatur enim Deus ipse gloriae auctor, & effector, mirificè se humilitate deleteri: atque eorum potissimum habere rationem, qui vere humiles sunt, ut Lucae, cap. 14. *Omnis qui se exaltat humiliabitur,* & qui se humiliat exaltabitur. Et Esaiæ, cap. 66. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pau-*

pauperculum, & contritum spiritu, & tre-
mentem sermones meos?

CAPVT. IIII.

*Ad quam virtutem referatur appe-
titio veræ gloria?*

NEXTREMΟ FERÈ PRIMI DI-
XIMUS NECESSE ESSE RECTUM,
& MODERATUM GLORIÆ APPETI-
TUM EX VIRTUTE ALQUA ORIRI,
EAMQUE ESSE MODESTIAM, &
MAGNANIMITATEM. ET VIDERI QUIDEM POS-
SET EX EISDEM MANARE APPETITUM VERÆ GLO-
RIÆ, QUONIAM HÆ VIRTUTES, MODÒ GLORIA RE-
CTÈ APPETATUR, NON VIDENTUR ESSE VALDE SO-
LICITÆ, à DEO NE CAPIATUR, AN AB HOMINI-
BUS SED OMNINO VIDETUR ALIA QUÆDAM VIR-
TUS PONENDA, TANTÒ MAGNANIMITATE PRÆ-
TANTIOR, QUANTÒ VERA GLORIA PRÆSTAT HUMA-
NÆ? ETENIM HONORIBUS APPETENDIS DUÆ VIR-
TUTES, EÆQUE SPECIE DIFFERENTES, VERSANTUR, IN
PARUIS MODESTIA, MAGNANIMITAS IN MAG-
NIS. NEGARI AUTĒ NEQUIT, MULTÒ PLUS INTER
ESSE INTER GLORIAM HUMANAM, & HANC QUĀ
veram

verā dicimus, quām inter paruos, & magnos honores. Nec negari igitur debet virtutem, quæ veræ gloriæ appetitum parit, plus à magnanimitate differre, quām eam ipsam à modestia. Pertinet etiam magnanimitas ad usum, conuictumq; ciuilem, & ab hominibus honorem querit, estque in ratione ipsa obiecti, & modus gloriæ, & à quibus expectari, capiqt; debeat, quomodo vera gloria, prætermodum quo appetenda est Deuni respiciat auctorem, & datorem. Potest præterea fieri ut recte se aliquis gerat in optanda vera gloria, qui humanam penitus respuat, & tanquam humilem & abiectam nullo tempore querendam, aut recipiendam sapienti patet. Constituenda est igitur præter magnanimitatem alia virtus. Accedit, quod modestia, & magnanimitas non sunt nudis hominum iudicijs contentæ, cupiunt ea late manere, & in lucem, atq; in conspectum prodire multorum. Nec mirum id quidem: non est enim gloria, si occulta, & quasi obscura delitescit: at vera gloria tota est in Dei iudicio sita, quod ybi adepta est beatorum spiritu.

spirituum notitiam , & existimationem
 non horrescit quidem, nec aspernatur, sed
 nec ita desiderat, vt ea si desint, aut nullam,
 aut valde debilem se futuram putaret , pa-
 tefieri verò apud homines, & indicari nū-
 quam appetit, nisi cùm Dei gloriæ, & fra-
 trum saluti perutile videtur , & tunc qui-
 dem ea moderatione adhibita , vt indica-
 tionis causam sæpè non ipse, sed in rem ip-
 sam de qua agitur, trāsferat , aut in eos qui
 adsunt, quemadmodum Christus Ioannis
 12. cùm vocem cœlitus accepisset testem
 immensæ claritatis quam apud Patrem ha-
 bebat, *Non propter me, inquit, hac vox ve-*
nit, sed propter vos. Rectè sanè, nec enim
 illam sui causa, sed aliorū optauit. Et Pau-
 lus ad Romanos, 15. *Non enim audeo ali-*
quid loqui eorū quæ per me non effecit Chris-
tus, in obedientiam gentium, verbo, & fac-
tis, in virtute signorum, & prodigiorum, &
in virtute Spiritus sancti. Ac si dicat, mul-
 ta & magna signa per me Christus opera-
 tur, verùm id non effecit, quò amore erga
 me suum declareret, sed quò gentes fidem
 mihi habeant docenti , & salutem conse-

IOAN:12:1

Ad Roman.

15.

Liber tertius,

Acto. 3.

quantur. Non tām ergo mea, quām eorū
causa factum existimate. Petrus & Ioan-
nes actorum, 3. redditam à te claudio sani-
tatem, cum omnem populum stupore &
extasi impletum vidissent, in eo quod illi
contigerat, & ad eos ad portam, quæ Sa-
lomonis appellatur, accedere stupentes: in
Christi gloriam eam interpretantur: Pe-
trus enim ita ad populum respondit: *Viri*
Israelitæ quid admiramini in hoc, aut nos:
quid intuemini, quasi nostra virtute, aut:
potestate fecerimus hunc ambulare? *Deus*:
Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob,
Deus Patrum nostrorum, glorificauit Fi-
lius suum Iesum quem vos quidem tradi-
distis, & negastis ante faciem Pilati. Ergo
hanc virtutem (& si nomen ad illam qui-
dem suppetit nullum) diuersam esse ab
alijs conuenit, eandemq; præstantissimā,
& coniunctissimam cum charitate, pla-
neq; diuinam. Eius hæc est mediocritas, vt
nec deteriores, nec meliores Deo viderii
velimus, quam simus, à qua nemo sanus
recedere potest: videt enim fieri nullo mo-
do posse, vt Deus in existimando de rebus:

Ilabatur, id autem quod fieri nequit, nemo, qui quidem sapiat, optabit. In hoc autem est sine mediocritate, quod nullo præscripto modo, nullo termino quærendum est Deo in omnibus placere, & eiusmodi esse, ut nos præclaros homines, & omni genere virtutis excellentes iudicet.

Quòd si percunctetur quispiam, num due hæ virtutes necessariæ sint, ut in honoribus, & gloria, modestia, & magnanimitas? mihi vna satís videtur. Etenim qui ita animum instituit, & assuefecit suum, ut Deo qualis est talis videri velit, si cum bonus est, bonus ab eo iudicari cupit, facile sine alio adiecto habitus efficiet, ut optimus cū fuerit, optimus cupiat haberi. At in honoribus longè aliter se res habet, & in gloria humana. Nā qui magnis dignus est, modestia indiget, ut certo loco, & tēpore minoribus contentus sit, & in his qui se gerit recte magnanimitate etiā necesse habet, ne maiores interdū, cùm quidē mereatur, quasi nimios, aut insolitos perhorrefacat, & respuat. Itaq; prudenter Aristoteles modestiam à magnanimitate seiunxit.

*CAPVT. V.**An vera gloria amitti posset?*

VONIAM quæ, & qualis sit
vera gloria, & quibus maxi-
mè rationibus comparan-
da satis videmur explicasse:
nunc an amitti, corrumpiq;
possit, dispute mus. Quàmuis si ea quæ di-
ximus tenemus, vix equidem hoc disputa-
tione dignum existimo: nam ut bonis
operibus quæritur, ita malis amittitur. Igi-
tur quoniam qui in mortale peccatum la-
bitur, Deo placere, probariq; desinit, ac ab
eo impurus habetur, & est: non est dubiū
quocunq; peccato mortali veram gloriā
extingui, peccari autem quiuis, quamuis
magnus, & præstans, potest, dum est in vi-
ta mortali, itaq; & ingloriosus effici po-
test. Nec refert hic sanè, ut in altera gloria,
occultum ne peccatum sit, an manifestū:
nihil enim Deo esse absconditum potest,
*Qui fixit sigillatim corda eorum, & intel-
git omnia opera eorum.*

Dupliciter ergo intelligi, & considerari
potest:

potest: & vt nostra opera ad incrementum
conseruationēq; desiderat, & vt in Deo est,
à quo efficitur, & datur. Ut est in nobis in-
firma est, & instabilis, & caduca: vt in Deo
est, immortalis est & æterna: cum quia nō
est falsis rumoribus collecta, sed certa, &
evidenti cognitione percepta, & veritas
natura est stabilis firma, diurna: tūm
etiam, *Quia triumphator in Israel, apud
quem non est mutatio, nec viciſſitudinis
obumbratio, panitidine non flectitur, nec
enim homo est vt agat poenitentiam.* Ita-
que gloria humana vtraq; ex parte corrū
pitur, & quia detetior is effici potest cui
datur, & quia mutare sententiam queunt
qui dabant. Vera gloria nullū subire pe-
riculum potest, nisi, in eo qui habet, muta-
tio repente existat.

Ex quo sequitur qui gloriam ab homi-
nibus capit, amittere eam posse inui-
tum & immeritum, altera vt non amit-
tatur in illo ipso esse qui possidet. Atque
id quidem in hac vita mortali. Nam post
mortem, multorum, eorumq; preclaris-
simorum hominum famā, & memoriam

x. Reg. 15.
Iacob. 1.

vetustate abolitam , atq; consumptam vi-
demus , aliorum si non est extincta ext in-
gui certe potest . Quae autem Dei iudicio
continetur , quia nullus est iam peccato lo-
cus mutationes hominum , locorumque
contemnit , adeoq; tempora nō reformi-
dat , vt cum ipsa etiam certet æternitate .

CAPVT. VI.

*An vita & bona externa sint obijcien-
da periculis pro conseruatione
vera gloria?*

 EC Hæc quidem quæstio de
conseruanda gloria difficultis
est . Nam si non solum pecu-
niæ , sed etiam capitis pericu-
lum adire debemus , atq; om-
nes acerbitates ferre , ne vel in minimum
peccatum incidamus : & vera gloria sine
peccato , eoq; mortali non perditur : liqueat
profecto iure diuino astrictos esse omnes ,
vt quoduis potius amittere , quam ipsam ,
velint .

Verum aliquis fortasse qui rerum na-
turæ

turas acutè intueatur, subtiliterq; inuicē
sciungat, ita contra differet.

asb Probas tu quidem omnia pericula sub-
eunda esse pro vera gloria retinenda, sed
ad eam pertinet hæc ratio secundum acci-
dens tantum, non est, nō, causa ipsius glo-
riæ, sed quia sine peccato non disperditur.
Quid autem si mente & cogitatione fin-
gamus, nullum adesse in amissione pecca-
tum, erit ne tanti, vt pro ea nos in certa pe-
ricula coniucere debeamus? Subtilis sanè
magis, quam vtilis ratio, quid enim atti-
net concipere id cogitatione, quod fieri
omnino nequit? Hæc est veræ gloriæ ra-
tio, atq; natura, vt in Dei assentientis, &
probatis iudicio posita sit, nec delere eam
quidquam queat, nisi eiusmodi sit, id vt
improbet, & detestetur Deus. Deo vt nihil
probari potest nisi bonum, ita improba-
tur nihil nisi quod malum est. Mala autem
non sunt facienda, nec maximorum bo-
norum spe, nec crudelissimorum crucia-
tuum timore, Non est ergo secundum ac-
cidens nostra oratio, sed ex rei natura, atq;
vera ex causa profecta.

At tollamus saltem mente peccatum; simul etiam gloriæ ipsius naturam tollas, & in manifestam repugnantiam incidas necesse est. Si enim gloria hęc sine peccato dissipetur & pereat, dabis aliquem à Deo seiuinctum, eiique displicentem nullo suo merito, cogerisq; affirmare, Deum nullo à me patrato crimine, me prauū, aut certè non bonum censere, quem paulò ante honestum, & præstantem iudicabat. Quæ omnia cum fide pugnant, cum ratione, cum sensu, *Non enim Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur.* Quòd si aliqua ratione fieri posset, vt secreto, semotoque peccato disperderetur, tamen tanti fieri deberet diuina existimatio, & approbatio, vt ea ne decideremus, omnia pericula essent contemnenda, omnes cruciatus perferrendi, quoniam ille est vñus iudex noster, & cuius iudicium prauum aut distortum esse non potest.

De spiritualibus bonis nō est quòd quaeramus, cum ipsenim quaeritur, & amittitur vera gloria, cum ipsis in periculum currit.

currit, itaq; s̄apē etiā perditur. Cūm illa in certū ac magnum discrimen afferuntur: tā tūm abest ut eorū iactura cōseruari queat.

Ex his intelligitur, non opus fuisse vt peculiare de vera gloria præceptum ederetur. Satis enim fuit ea amplissimis præmijs propositis iubere, quæ necessario cōsequitur hæc gloria, atq; illa magnis minis, & terroribus vetare, quæ ipsam demoliuntur, & perdunt.

CAPVT. VII.

Quantum vera gloria p̄fet humana.

PERSPECTA Vtriusq; gloriæ natura facile omnes intelligent quantum vera gloria sit illi alteri anteponēda. Id omnes præcipuum in gloria putant, à quibus capiatur, nō enim quoruīis hominū prædicatio efficit gloriā, sed bonorū, atq; eorū maximè, quos pr̄ter cæteros virtute florere, & incorruptius de moribus dijudicare extimamus. Quòd si Nemo bonus nisi solus Deus, & in eius cōspectu nō

Lucæ; 18.
Psal. 141.

iustificabitur omnis viuens, Quantò erit
 præclarus à Deo , quām ab hominibus
 commendari? aut quantò erit illa gloria
 præstantior quæ tota Dei iudicio contine-
 tur? Hæc ab eo datur qui solus est iudex
 vniuersitatis hominum , cuius iudicia ve-
 ra, iustificata in se met ipsa illa ab ijs quibus
 non est potestas iudicandi, quorum cogni-
 tiones timidæ, & incertæ prouidentiæ. Est
 enim Deus verax, omnis autem homo mē-
 dax, sicut scriptū est. Hæc immortalis est,
 illa breuibus, & angustis finibus termina-
 tur. Hanc amittere nemo inuitus potest,
 illa innocentia & retinere cupiēti per sum-
 mum nefas sæpe eripitur. Hæc per se , &
 quidem ardentissimè appetenda est, proq;
 ea omnia pericula quāmuis grauia, & acer-
 ba subeunda necessario ei, qui Deo gratifi-
 cari cupit: illa, nisi aliquo fine honesto pro-
 posito, optari nequit, nec semper conten-
 tiūs: & deseri, atq; ab iijici sæpiissimè potest,
 etiam in leuiissimis periculis. Illa nec no-
 men quidem boni habet, nisi cùm ad virtu-
 tem refertur: hæc natura, & est, & vocatur
 bona, & ad eam vel virtutes referuntur ip-
 sæ.

Psal. 18.

Ad Rom. 3.
Psal. 115.

sæ. Quæ cùm ita sint, tamen hanc humana studiosissimè homines quærunt, & vt assequantur omnem diligentiam & industriam adhibent alteram, quæ nostrorum hominum, hoc est, Christianorum propria est, contemnunt, & relinquunt. Quid tandem magni est ab his laudari, qui summanni modò speciem, & quasi faciem intuentur? qui vt rectè iudicent, tamen rectè ea despiceret, & animaduertere nequeunt, de quibus iudicium faciunt? aut quid hoc nobis emolumenti, voluptatis ve afferet, si nos intus excruciat conscientia peccatorum testis, atque vltrix? Quid stultius, aut leuius, quam omnem operam dare ab his, vt absoluare, quos non sis habitus iudices? nec elaborare, vt illi vitam tuā probes, qui damnare te capit is potest, cuius iudicium velis, nolis, subeūdum est? Si esset in magna ludorum celebritate certandum, ecquibus placere, probariq; malles, vtrum imperitis hominibus, & rusticanis, an ijs qui in eisdem sæpè vicissent, esentq; in summa gloria, ac earum artium cognitione, & scientia magnopere prætarent?

Liber tertius,

tarent? In hoc ampio, & vasto vitæ theatro, in te homines spectant, illinc è cœlo virgines, martyres, Apostoli, Angeli, Deus.

Quemadmodum Chrisostomus homilia

19. in Matthæū, *Quid desideras*, (inquit) nonne esse aliquos operum spectatores tuorum? Ecce habes non Angelos tantum, atque Archangelos, sed etiam horum omnium Deum, vide istorum ne, an illorum de te sententiam, & existimationem anteferendam

arbitreris? Et sicut idē Chrisostomus scribit in sermone de inanis glorię cupiditate, *Si ad singularū artiū discriminem internoscēdum, opifices ipsos iudices in malis, quo pacto virtutem permiseris multitudini probandam potius, quam illi qui eius habeat cateris longo intervallo post habitis, notio-*

nem, præstare & opem queat, & palmam?

E quidē quæro ex te cuiatē te esse dicas, utrum terre ciuē, an cœli? Si quidem terre, & spes in ea tuas collocasti, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Terra hæc deuorat habitatores suos, & quæ est in ea gloria, in cōfusione est ipsorum

Chris. hom.
19. in Mat-
theum.

Idem Chis.
in serm. de
in anis glo-
rię cupid.
tom. 5.

Ierem. 17.

Numb. 13.
Ad Gal. 3.

sorū qui terrena sapiunt. Deniq; re ipsa experieris nullā te hic habere ciuitatē permanētū. Cūm enim omnia cōsecutus fueris, à vulgo beatā vitā efficere putant. Nec opinans audies, *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Tūm autem ubi est gloriatio tua? exclusa est, abijt, excesit, euauit, & vt poeta dixit:

Par leuibus vētis, volucrī simillima fōno.

Nec mirum, *Quoniam spes impij tanquam lanugo est, qua à vento tollitur: Et tanquam spuma gracilis, qua à procella dispergitur, Et tanquam fumus qui à vento diffusus est, Et tanquam memoria hospitis unius pratereuntis.* Quid enim illis profuit superbia, & gloria? quid diuitiarū iactantia contulit illis? Transferunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis, qua pertransit fluctuantem aquam, cuiuscum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carina illius in fluctibus, aut auis qua transvolat in aère, cuius nubilum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum verberans levē

Ad Hebr. 13.

Lucas. 12.

Virg. lib. 2:
Æneid.

Sap. 5.

Ibidem.

Liber tertius,

ventum, aut tanquam sagitta emissā in locum destinatum, diuisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: sic impij in malignitate sua consumpti sunt, & memoria eorum cum sonitu perire.

At si ad illam ciuitatem Dei pertines, de qua sunt dicta gloria, quam fluminis impetus laetificat, quid celebritatem quæris in terra? in exilio? in valle lachrymarum? ab iace leues atq; fallaces spes, tolle oculos, & mentem in cœlum, & in terram viuentium, in qua te credis videre bona domini. Audi Pauli vocem, audi cœlestem tubam, vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratū,

Si consurrexisti cum Christo, quæ sursum sunt quarite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ supra terram. Quoniam igitur expectas fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus: necesse est te peregrinum, & hospitem in terra esse fatearis: & cum Abraham, Isaac, & Iacob in casulis habites, hoc est, festinandum tibi esse intelligas, & animam à terrenis auocandâ,

Psal. 9.
Psal. 86.
Psa. 45.

Psal. 26.

2. Ad Timo.
2.

Ad colo. 3.

Psal. 86.

Ad Hebr. 11.

ut de æterna semper patria cogites, ac a-pud illos tibi gloriam conciliare studeas.

An non esset ille prorsus mentis, & rationis expers, qui in humili, atque exiguo viculo, ad quem diem vnum diuertisset, omni animi contentione gloriā ab agrestibus quæreret: ciuitatis suę iudicium, in qua omnem ætatem agere decreuisset, & prudētissimorum de se hominum sermones derideret, atq; contemneret?

Meminerimus igitur dignitatis, & amplitudinis nostræ: sumus enim hæredes Dei, cohæredes autem Christi, & qui Christiani nominamur, & sumus, eam gloriam persequamur, cuius nevmbram quidem ethnici habuere: sed est tota nostra. Non est igitur quod Christianus, forma, viribus, opibus, nobilitate intuniescat, non est in his gloriandum; quæ abiecta sunt, & cū pessimis etiam hominibus communicata, vera Christiani hominis gloriatio est, se per Christi sacramenta in Dei familiam, & amicitiam receptum esse, eius filium, & Christi fratrem vocari, expectare beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, ab

Ad Rom. 8. 1.

*Ad Hebr. 2.
Ad Tit. 2.*

Liber tertius,

eo pro immensa sua bonitate innumera-
bilia beneficia accepisse. Quod si ad hæc
quæ communia sunt accedant alia priua-
ta, ut quòd incredibili sacerdotij honore
donatus, quòd rectè & fideliter res Eccle-
siasticas administras, quòd Euangeliū
sincerè purèq; doceas, quòd probra & ig-
nominias pro Christo perferas, ô veram,
atq; ingentem gloriationis causam, ô te
foelicem, ô te vere clarum, & glriosum:
x. Cor. 2.
agnoscis enim prætiosa Dei dona cum
volūtate, & humilitate, ijsq; solis te ornari
profiteris, tibi nihil attribuis, sed lætaris, &
x. Cor. 10:
gloriaris in Christo Iesu, *Qui factus est no-*
bis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, &
redemptio: ut quemadmodum scriptum
est, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

CAPVT. VIII.

De falsa gloria, quid sit?

PRIMAM, Atq; adeò longè maiorem
promissionis nostræ partem Deo du-
ce, atq; autore videmur præstisse: de du-
plici enim gloria, quantum licuit, disputa-
uimus:

uimus: nunc ad alteram, hoc est ad falsæ gloriæ tractationem transeamus: quæ nec longa erit, nec impedita, explicatis ijs quæ ad veram attinebant.

Ac gloriæ quidem nomen (quàmuis falsæ etiam tribui soleat, ut initio diximus) illis duabus, quæ veræ, & laudabiles sunt reseruemus: Tertiam, falsam, siue inanem vocemus. Augustinus vir summo ingeni o, & præstanti eruditione tractatu, 100. in Ioannem, falsam gloriam esse inquit, quando laudantes errore falluntur, siue in rebus, sine in hominibus, siue in vtrisque. Singula autem ita explicat, *In rebus falluntur, quando putant id bonum esse, quod malum est, in hominibus autem, quando putant eum bonū esse, qui malus est, in vtrisq[ue] vero, quando, & id quod est vitium, virtus putatur, & ipse qui propter hoc laudatur, non habet quod putatur, siue sit bonus, siue sit malus.*

Duo sunt quæ gloriam falsam, atq[ue] inanem efficere possunt, error iudicantium, & modus, ac ratio ipsa appetēdi. Ut enim falsa gloria est, cùm homines id laudandū

Augu. tract.
100. in Io. 2.
tom. 9.

putant, quod re ipsa non est laudabile, aut ei gloriam tribuunt, qui est indignus gloria, aut hominem simul, & factum laudat, in quibus nihil est quod ea laude affici debet. Ita etiam est falsa gloria cum aliquid horum appetitur.

Sed quoniam inanis quidem gloriae appetitio nulla est sine errore iudicantium, ad eamq; suapte natura refferrri videtur: sat is se facere Augustinus putauit, si eam tantum partem explicaret. Verum quia in ratione appetendi dilucidior, & apertior futura est oratio, in ea potissimum versabimur.

Est igitur inanis gloria, cum bonus haberi cupitis, qui est libidinibus deditus, & se virtutis, atque honestatis experte videt.

^{1. Reg. 15.} Quale est illud Sauli Regis, 1. Regum, 15.
Peccauit sed nunc honora me coram senioribus populi, & coram Israel. Retinere cuperbat pristinam gloriam, quam tamen iam peccato amisserat. Atque illi etiam de quibus Matthaei, 7. Dominus ait, Attendi te a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis onium, intrinsecus autem sunt lu-

pirapaces. Et omnino illud pestilentissimum hominum genus, quos auctores nostri accommodatissime hypocritas nominant. Aut cum ex ea re queritur gloria, cui nulla debetur: vel quia vitiosa est, vnde illud psalmi, 9. *Quoniam laudatur peccator in desiderijs anima sua.* Et psalmo 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniuitate?* Vel quia, & si minimè quidem illa sit mala, tamen non est eiusmodi, ut gloriam per se, laudemque efficiat, ut Judith, 1. *Gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.* Et cap. 9. *In scutis suis, & in sagittis, & in lanceis gloriantur.* Et psalmo, 48. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.* Liquet igitur inanem gloriam esse, si quis ex forma, ex labore, ex diuitijs, ex potentia, ex nobilitate, & doctrina, ex gratijs laudari velit, & hominum opinione celebrari, quia haec non ea sunt, ut per se pariant gloriam ut in secundo diximus.

Tertius modus est in quo illi duo priores copulantur, cum laudem quispiam ex-

Psal. 9.

Iob. 51.

Judith. 1.

Judith. 9.

Psal. 48.

ea re petit, quæ nec est gloriæ effectrix, nec si esset, in eo qui petit inuenitur, vt si infirmus robustus existimari appetat, deformis pulcher, rufus, & ignarus eruditus.

S.Thom 2.2.
q.132. art.1.

Sanctus Thomas, 2.2. quæst. 132. arti. 1. tres alios modos constituit, quos ita ut inuenit in suos Matthæi cōmentarios transcripsit doctissimus ad modum noster Hispanus Alphonsus Episcopus Abulensis cognomento, Tostatus, cap. 6. quæst. 4.

Alphonsus
episcop. A-
bulensi. ca. 6.
in cominēt.
super Mat-
th q.4.

Primus est in ea re in qua quæritur gloria, cùm aut nulla est, aut gloria certe indigna. Alter est in his à quorum iudicijs expectatur, ut in homine, inquit, cuius iudicium non est certum. Postremus in eo ipso qui appetit, si appetitionem suam non referat in debitum finem, ut in honorem Dei, vel salutem proximi, & primo quidem tres illos breuiter complectitur, quos ex Augustino retulimus. Tertius per facilis est. Nam ut copiosè in primo libro confirmauimus, gloria per se appeti nullo modo potest, ex quo fit ut cùm honestus finis non adhibetur, inanis efficiatur. At secundus plurimum habet & dubitationis, &

obscu-

obscuritatis. Loquitur enim , ut perspicue ipse ostendit , de gloria humana , in qua si iudicium hominis respuit , & damnat nullam gloriam probet necesse est , quæ quidem ab homine capiatur , quamuis virtuti detur , quamuis Dei causa , aut publicæ utilitatis appetatur . Quod cum est per se absurdum , & ab scriptura sanctorumque patrum dictis cum primis abhorrens : tum etiam ipse per exiguo spatio à se ipso prorsus dispareat : ita enim ait in responsione primi argumenti . *Et similiter etiam homo laudabiliter potest ad aliorum utilitatem gloriam suam appetere , secundum illud Matthai quinto , ut videant (videlicet homines) opera vestra bona , & glorificant Patrem vestrum , qui in cælis est .*

Caietanus ita censet commode explicari posse , cum gloria ultra humanos limites queritur , vel quia hominis iudicio , tanquam à certo , aut magno , aut etiam ultimo testimonio exigitur . Quæ quidem responsio non admodum videtur cohærere . Etenim bonorum virorum testimonium certum , & magnum , & ultimum putari

Aaa 3 potest,

Liber tertius,

potest, non quidem simpliciter, sed in genere gloriæ humanæ, de qua disputamus. Id est enim in vnoquoq; genere summū, quo non est aliquid maius, aut potentius, in eo autem testimoniorum, & iudiciorū genere, quæ ab hominibus accipiuntur, illud habendum est certum, magnum, ultimum, quod complurium bonorum virorum consensione firmatur. Atque hoc quidem non inficiatur. Caietanus, sed tunc esse inanem gloriam interpretatur, cum humanam existimationem querimus quasi certam omnino, & quænullo modo errare, aut falli queat, idque ipse ultra humanos limites vocat, quia non est hoc humanitatis, sed cuiusdam plane diuinitatis.

Verum hæc ratio efficiendi inanem gloriam prætermissa est, ut equidem opinor, à sancto Thoma. Nemo est enim tam hebes, & ignarus, vt in eam sententiam aliquando ingressus fuerit, ita certam & ratam esse hominum de hominis virtutibus opinionem, vt falsa esse non possit. Quare neque erit qui id in hominisiudicio appetat,

itat, quod videt longe altius esse humanana
tura. Nemo enim expetit ea quae fieri non
putat posse. Ut ait Aristoteles in, 2. rhetorico-
rum ad Theodecten, cap. 2. cum præ-
fertim cernat scep- peruersis iudicijs hono-
rare, & laude affici improbos, vexari con-
tumelijs bonos. Quando igitur ait sanctus
Thomas (alio modo ex parte eius, à quo
quis gloriam querit, puta hominis, cuius
iudicium est incertum) significat ut ego
interpretor inanem gloriam esse, cum ab
his laudationes querimus, quorum non
est certum iudicium, hoc est quorum iu-
dicijs non est fides habenda, quorum con-
temnenda est existimatio, quia peruersi de
moribus iudicant, & aut multa vitia pro-
bant, aut facile simulata virtutis specie, &
propinquitate falluntur, quales sunt ple-
beij homines, & rudes, præcipue qui sunt
præter cæteros flagitosi: ut si quis in mag-
na imperitorum, & rusticorum, & anicu-
larum concione acutus in physicis, aut
in theologicis videri concupiscat, aut ab
sceleratissimo quoq; laudari. Hæc est ina-
nis gloria, quia horum hominum iudicij

Arist. 2. lib.
Rhet. c. 2.S. Thom. 2. 20
q. 132. art.

ron est certum, tutum, ratum, indubitatum. Certum enim vocamus, cui sine temeritate, & sine dubitatione assentimur: his autem non est assentiendum, quia de rebus ijs iudicant, quas nesciunt. At iudicium peritorum est, ac eam ob causam nō omnium sed bonorum sententijs, & confessione gloriam definiuimus, quod solus spiritualis iudicet omnia, animalis autem homo non percipiat quae Dei sunt.

Itaq; cum inquit, (puta hominis) non est ibi quiescendum, ut generaliter loquatur, ut Caietanus intellectus, sed est hoc verbum cum sequentibus copulandum, ut ad certum hominum genus pertineat, quoniam iudicium non est certum.

Vexatur hoc loco sanctus Thomas à quibusdam quod alios duos modos inanis gloriæ præterierit, cum nimis studio gloriæ incitamus, aut eam cum alieno detrimento quærimus. Sed hi nō satī animaduertisse videntur, quod reprehēdunt. Nam nimium gloriæ studium dici potest, cum ea re collocatū, ex qua quæritur gloria, pertinetq; ad primum modum quoniā

etsi gloria petitur ex re laude digna, tamē
 maior gradus gloriæ appetitur, quam quo-
 res illa digna est, & ideo iam quodam mo-
 do quæritur, ex eo quod non est, aut quod
 non est gloria dignum. Dicitur etiam ni-
 mium, cum ab omnibus sine delectu quæ-
 ritur, & tunc cadit in secundum: aut etiā
 collatum cum fine cuius causa appetitur,
 contingitq; omnino tertium. Si enim glo-
 rìa nō est inquirenda nisi adhibito fine, &
 maior appetitur, quā quę fini ipsi satīs sit, iā
 gradus ille exuperans non refertur ad finē
 aliquē, ex quo vanagloria existit. Cūm au-
 tem gloriam nobis cū alienæ existimatio-
 nis iactura conciliare, aut augere nitimur,
 non labimur cōtinuo in vanam gloriam:
 səpè enim id virtutis & charitatis ratio
 postulat: veluti cum Paulus pseusoApos-
 tolorum dignitatem infringit, vt con-
 tituat suam: cūm accusatus Episco-
 pus, & magno dedecore notatus, docet
 eum, qui accusauit, hominem esse leuem,
 mendacem, & cui credi non deceat. Cum
 magnus concionator aliquid populo no-
 xiūt, aut pestilens persuasit, & vt dis-

suadeat cupit eo videri doctior , aut me-
lior. Cùm autem id viciōsē fit , vt cùm ad
assecutionem gloriæ quam commeriti su-
mus,cōpetitoris, aut aduersarij gloriā ex-
tenuamus,& obterimus , in eo peccamus
quod rem bonam malè quærimus per in-
iuriam alteri illatam. Refertur verò ad re-
cum modum, in quo honestus finis requi-
ritur,vt Dei gloria, aut fratribus salus. Si
enim diuinæ gloriæ causa quæreremus
(ad quam cæteri fines in appetione gloriæ
tandem referuntur) nequaquam per ea
quæreremus , quæ Dei præceptis,aut salu-
ti fratribus aduersa essent. Nunc quoniam
ea ad assecutionem gloriæ adhibere non
veremur,(quamvis aliud nobis met videa-
tur ipsis) satis prænobis ferimus, eam non
tam alterius finis causa,quām propter se
ipsam optari. Vt ergò qui aliquod fidei
pronuntiatū diffitetur, nō assentitur cæte-
ris,& fidē infusa ut ipse putat,nō haberet,
etsi nihil faceret quod esset illi contrariū;
ita quia lœsione dignitatis alienę suā consti-
tuit,& confirmat,nō eum gloria Dei mo-
uet,nec emolumētum aliorum , aliòqui
non

non assumeret ea, quæ huic fini aduersarētur. Itaq; si eos modos tenebimus, qui allati sunt à sancto Thoma, non erit obscurū in illos cadere omnia quæ falsam, atque inanem gloriam efficiunt.

Quoniam verō simplex est ad virtutem via, multiplex ad vitium, vt lib. 2. ethicor. ad Nicomach. cap. 6. vt ad scopum attingendum vnica est via, quam si desideras, quacunque iaculum miseris aberrasti: ut merito in proverbiū abierit: simplex virtus. Verba philosophi sunt huiusmodi, *Praterea peccare multis modis possumus, malum enim est infinitum. Ut Pythagoriciconiebat, bonum autem finiti. Recete agere uno vero modo tantum licet, atq; id circa illud facile, hoc difficile est, facile si quidem est ab scopo aberrare, sicut ipsum attingere difficile ob id igitur excessus, & de fectus vitij est, virtutis mediocritas, nam simpliciter bonus est, sed malus omnimode.* Repetamus memoria ea quæ necessaria esse diximus, vt honesta esset appetitio gloriae: quidquid enim quamuis exiguum defuerit, eam in inanem cōuertet. Quam ob-

Arist. Eb. 2.
Eth. c 6. ad
Nicom.

Liber tertius,

rem ex ijs quæ ex sancto Thoma accepi-
mus. quæq; ratio ipsa, & doctissimorum ho-
minum consensio confirmat, intelligitur
vera esse omnia quæ adhibēda diximus in
1. lib. ut rectum, & sine vitio existeret des-
iderium gloriæ. Etenim si vel minimam
ex illis cautionibus auferas, è vestigio appe-
titio ipsa incidet in aliquem ex tribus mo-
dis inanis gloriæ.

Erit igitur inanis gloria, si ex vitijs, ex
bonis corporis, ex diuitijs, ex potentia, ex
nobilitate, ex honoribus, ex solis artibus,
& disciplinis petatur. Item etiam si ex im-
peritæ multitudinis iudicio pendeat, si per
se appetatur, si optimo fine præstituto
maior quam pro meritis est, queratur, si
ardentissime ametur. In quibus hic mul-
tum fuerat immorandum, nisi duabus li-
bris superioribus abundè essent à nobis
comprobata. Quod si de ipso etiam nomi-
ne queratur, falsa dicitur, quia est quedam
veræ gloriæ simulatio, & ei quodammodo
similaris, cum multum inter utramque
intersit, ut falsum aurum dicitur orichalcum,
quoniam aurum videtur, cum minimè sit.

Inanis autem appellatur quod ex eo quod vacuum, & vanum, & inane est appellatur, & quod in ea nihil est solidum: nec habet id quod habere debet gloria, quod his verbis confirmat beatus Antonius Abbas sermone, 74. de superbis, & inanis gloriæ cupidis dicens, *Verè dicta est ab antiquis inanis gloria, quod inanis sit, nihil intus habens quod utile sit.* Quam rationē, eisdem fermè verbis affert sanctus Maximus confessor & martyr in centuria tertia de virtute & vitio. Addit & aliam nominis causam beatus Bernardus sermone decimo septimo in psalmum, *Qui habitat in adiutorio Dei altissimi,* dicens, *Alioquin quomodo gloria illa replebit, qua falsa, & vana est?* Denique & inanis dicitur, *vt noueris te ex ea magis exinaniri posse, non posse repleri,*

(?)

San Anton.
Abbas serm.
74. de super
bis, & ina-
nis gloriæ
cupidis.

S. Maximus
centur. 3. de
virtute, & vi-
tio.

S. Bern. ser-
mon 17. in
psal. Qui ha-
bitat.

CAP.

An inanis gloria sit peccatum mortale?

PECCATVM ESSe inanem gloriam multis scripturæ, sancto rumque testimonij, tūm etiam rationibus confirmauimus in, i. lib. cap. 10. & 12. & sequentibus. Itaque non id modò quærimus, sed vtrum mortale, an veniale sit? Atque hoc primum statuamus, nullum esse tam præstans, atque præclarum opus quod inanis gloria non obscureret, corruptat, & perdat. Non enim illi modò aufert vim omnem merendi, sed etiam turpe, & vitiosum efficit, & est sanè perspicua ratio.

Si peccatum est inanem gloriam appere, quidquid eius causa fit vitiosum est, & ut aliunde vitium non habeat, ex fine habet, cuius potissimum habenda est in actibus ratio. Nemo autem peccando meretur, nemo, præfixo malo fine, non peccat. Nec est hoc quidem in sacris literis obscurum, etenim Paulus, quia videbat hac labefactari,

fædari , & contaminari omnia , ab ea nos quantum potest auocat. *Non efficiamur* Ad Galat. 5.
(inquit ad Galatas 5.) *inanis gloriae cupidi.*
Addit chrisostomus, *Quæ est causa omnium* Chrys. hom.
malorum. Et ad Philippenses, 2. *Nihil per* 68. in c. 12.
contentionem, neq; per inanem gloriam, sed Ioan. tom. 3.
in humanitate superiores sibi in vicem ar-
bitrantes. Sed omnium optimè & mani-
festissime Christus Dominus noster Mat-
thæi sexto, *Attendite ne iustitiam vestram* Ad Philip.
faciatis coram hominibus, ut videamini pens. 2.
ab eis, alioqui mercedem non habebitis a-
pud Patrem qui in cœlis est.

Quàmuis autem nihil de peccato dixerit, tamen maiores nostri, qui in sacrorum librorum interpretatione summa cum laude versati sunt, intellexerunt in eo non solum cœlestem mercedē amitti, sed peccari etiam semper: & rectè quidem, atque acutè. *Quid enim sit quod mercedem iustitijs nostris eripiat, nisi peccatum?*

Ioannes Chrysostomus diuinus homo
in dicendo homilia, 19. in Matthæum, Ina- Chrys. hom.
nem gloriam, imponentissimam hominū
passionem appellat, rabiem, pestem, & fu- 19. in Matt.
tom. 2.
rōrē..

Liber tertius,

rorem. De qua etiam paulo post loquens,
Clam (inquit) *ingreditur bestia, cunctaq;*
bene orientia intus maxima cum quiete,
& absq; ullo sensu per dentis asportat. Eodē
modo interpretatur homilia, 72. in cap.
22. Matthēi dicens, *o noua calamitatis ge-*
nus, o furiosam hanc turbationem, qua ti-
nea corrodere non potest, nec fur violare, ea
inanis gloria omnino dispergit, hac est tinea
cœlestis thesauri, hic est fur qui aeterna reg-
na furatur, qui immarcescibiles à nobis di-
uitias aufert, qui tanquam contagiosus

Idem hom. 72. in ca. 22. Et homilia, 28.

Matth. tom. 2.

Idem hom. 28. in cap. 3. in cap. 3. Ioannis sic ait, *Omnium malorum*

causa est gloria insania, fugiamus hunc af-
fectum, ut gehennam fugiamus, hic namq;
maxime eius ignem accendit, hic diaboli
vndiq; ditionem propagat, hic etatem &
dignitatem omnem sauiſimo premit impe-
rio, hic Ecclesias huc illuc distrahit, hic ci-
uilia opera corrumpit, domus funditus, ci-

uitates, populos, gentes euertit. Id ipsum
prosequitur homilia, 17. in cap. 10. episto-
læ ad Romanos dicens, *Sed nihil est inani*
gloria peius: hac scilicet inanis gloria cum

Idem hom.

17. in ca. 10.

epist. ad Ro-

man. tom. 4.

per-

perditione multam simul & irrisiōnem induit, & ante supplicium illud futurum, innumeris hic quoq; malis inuoluit, itaq; si placet ut hoc intelligas, relictis interea cœlis è quibus nos excludit, prateritaq; gehenna in quam nos deic̄it, rem omnem, ut hic geritur, scrutemur. Quid igitur illa turpius? quid difficultius? Neq; enim pecunias solum, sed & animas hic ignis devorat, non solum præsentem, sed & futuram mortem parans. Mater enim gehennæ est inanis gloria, ignemq; illum vehe[n]enter accendit, vermeq; pestiferum confouet, videre est illam & in mortuis vires obtinere, quare quid poterit fieri peius? alia si quidem passiones morte finiuntur, ista vero & post mortem violenter instat, naturamq; suam etiam in emortuo iam corpore, ostendere contendit. Id ipsum dicit lib. I. de prouidentia Dei. Quem sequuntur beatus Hieronymus in commentarijs epistolæ ad Galatas in cap. 5. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in mōte cap. I. & consequentibus, & lib. 5. de ciuitate Dei à cap. 13. usq; ad finem ferme libri. Atq; horum auditor Paulus Orosius

in Apolo. cōtrapelag. de Arbitrij libertate. qui in Apologetico de arbitrij libertate cōtra Pelagium prope medium vanę gloriæ concupiscentiam generalem esse inquit omnium bonorum operum caliginem. Quod eleganter confirmat Gregorius, & grauiter in lib. 14. moralium cap. 28, & lib. 31. cap. 31. Euagri. in li. de octo vitiōsiscogitationibus. Sanctus Antiochus homilia 43. de inani gloria. Sanctus Dorotheus Abbas doctrina 12. de timore & pænis inferni. Beatus Ioannes Clitemacus de discretione, gradu, 31. Sanctus Esaias Abbas in oratione, 16. de gaudio animæ, qui sic ait, *Quemadmodum hederæ vitem amplexa fructum illius destruit, sic inanis gloria hominis labores exerit, virtutum finis est charitas, & vitiorum extremum est se iustum existimare.* Quod eisdē fere verbis confirmat sanctus Nilus Abbas oratione, 7. de inani gloria, & latissime in tractatu de octo vitiōsiscogitationibus, hoc etiam sanctus Maximus centuria, 3. de virtute & vito, ubi inanem gloriam recessum

cessum à scopo diuino vocat, & ad alium scopum quam diuinum transitum, quæ quidem veluti scopulus sub aqua latitans est, ad quem si nauem illiseris periresti. Etsi cut racemus humi iacens facile putreficit, sic virtus inani glorie inhærens corrumpitur. Et late sermone trigesimo quarto de inani gloria.

Et serm. 34.
de inaniglo
ria,

Quod ad grauitatem peccati attinet ex his quæ diximus non efficitur semper esse mortale, peccatum enim et si minimum sit, vitiosum reddit opus, quod aliòqui præclarū, Deoq; gratissimum futurum erat. Qua de re Bernardus paulò scuerius statutere videtur, ita enim scribit sermone, 6. in psalmum, *Qui habitat, T me sagittam, leuiter volat, leuiter penetrat, sed dico tibi non leue infligit vulnus, citò interficit, nimis sagitta hac vana gloria est.* Et sermone, 14. in eundem psalmum sic ait, *De Basilisco quid dicimus? Monstruosius ceteris solo visu hominem inficere, & interficere prohibetur. Ni fallor vana gloria est.* Et statim, *Non videntes necat inanis gloria: cacos & negligentes.* Sed hæc, & eius-

2. Conclus.

Bern: ser. 6.
in Psal. Qui
habit,

Idem serm.
14. in eundē
Psal.

Liber tertius;

modi multa quæ passim in sanctis patri-
bus occurunt, non tam de ipsa gravitate,
& magnitudine peccati dicta sunt, quā de
propensione quæ in eo est ad maiora crimi-
na, & periculosiora. Significat summam
esse adhibendam in vana gloria vita-
diligentiam, & curam, quoniam nisi vite-
tur suo nos pondere trahit in arrogantem
quamdam confidentiam, in superbiam, in
alia eius generis multa, quæ certam ani-
mis perniciem afferunt. Quod illis ipsis se-
uerioribus verbis subindicauit Bernardus,
non enim, ait, statim interficit quod pec-
cati mortal is est, sed cito interficit. Ac si di-
ceret, nisi omni custodia custodieris cor-
tuum, sed blande in inanem gloriam irre-
percere permiseris, paulatim te in pestem, at-
que in exitium adducet. Nec aliud est quod
Chris. hom. 5. in epistola ad Philip.

Ioannes Chrisostomus homilia, 5. in epis-
tolam ad Philippenses scriptum reliquit.
Quod semper (inquit) *dico in aliorum om-*
nium istud causa est, hinc pugna, & lites,
hinc inuidia, & contentiones, hinc dilectio-
nis frigiditas, quando gloriam amaueri-
mus hominum, cum honori qui à multis ex-

bibetur seruimus, minimè etiam fas est gloriæ seruientem Dei, etiam germanum esse seruum. Non enim fieri potest, ut qui gloria seruus est, Christi quoq; sincerus sit seruus. Et rursus in sermone de inanis gloriæ cupiditate sic ait, *Quid tandem inanis gloriæ cupiditate turpius, vel toleratu difficilius fieri potest. Fortunas non solum sed animos ipsos ignis iste depascitur, neq; morte corporea hoc modo & praesenti, sed futura etiam afficit, & aeterna. Nam & gehenna procreatrix inanis hac gloria, & ignem excitat vehementius, & vermes pestiferos.* Quod eodem modo intelligendum est.

Alexander quidem grauis, & valde cruditus auctor in 2. part. summæ theologiæ quæst. 154. mēbro 2. docet interdum esse mortalem, interdum esse veniale culpā, Sed venialis (inquit) dicitur propter surreptionem, & propter maximam concupiscentiæ pronitatem. Ac ita loquitur ut non obscure significare videatur, mortalē esse cùm ex deliberatione sine magna pronitate nascitur. Est autem primum illud ita ut dicit, sine pleno perfectoque consilio,

Idem in ser.
de inanis
gloriæ cu-
piditate,

Alexand. A
lēf. 2. p. sum
mæ Theolo-
gie q. 154,
membr. 2. 2.

quasi tacitè , & furtim , in aliquem actum
se se inanis gloria insinuet , in eum præser-
tim qui maximè ad eam aptus , atq; com-
positus , & quodammodo mouens vide-
tur , ac trahens , ut concio popularis , dispu-
tatio , virtus bellica , non est dubium non
esse mortalem : sed nec hoc quidem dubiu-
fieri posse , ut venialis sit interdum adhibi-
ta deliberatione , & ablata illa pronitate , id
est quāmuis actus eiusmodi sit , ut aut pa-
rūm , aut nihil ad inanem gloriam animū
concitare videatur : ut si , cùm ad sacrificiū ,
aut ad orationem remotis arbitris sece-
dens , cuperes tamen , vel certe non esset
ingratum , videri ab aliquo , atque laudari .
Quare acutius & ad rem ipsam accommo-
datius sanctus Thomas in , 2. 2. quæst. 132.
articu. 3. docet inanem gloriam tūm de-
mum esse peccatum mortale , cùm aduer-
satur charitati , sed charitati quidem frater-
næ , si nudam eius vitij naturam spectemus
nunquam aduersari , ei autem quæ est erga
Deum aliquando esse contrariam . Itaque
nunquam erit peccatū mortale , nisi cùm
repugnat charitati quam Deo debemus .

Est

A. Annotatio
null. q. 131
-olos 1. an
et. p. 132
S. Thom. 132
q. 132 a. 3,
3. Conclus.

Est autem hæc repugnântia vel in mate-
ria, vel in ipso qui appetit: in materia, ut cū
quis de peccato mortali gloriatur, in quē
est illud psalmi, 51. *Quid gloriaris in mali-*

Psal. 51.

tia? Aut de re aliqua falsa eademq; contra
Deo debitam reverentiam, quale est illud
Ezechieli, 28. de Rege Tyri, *Eò quod ele-*

Ezech. 28.

uatum est cortuū, & dixisti Deus ego sum. Et 29.

Et cap. 29. *Ecce ego ad te Pharaō Rex*
Agypti, draco magne, qui cubas in medio
fluminis tuorū, & dicis, Mens est fluvius,
ego feci me metipsum. Repugnatur etiam
veritati, cùm id de quo quispiam gloriatur
præfert Deo, vel certè humanū ipsum
testimonium diuino anteponit. De priori
genere gloriationis loquitur scriptura, 1.

Regum, 17. cum ait Dauid, *Tu venis ad* i. Reg. 17.
me cum gladio & hasta, & clypeo: ego autē

venio ad te in nomine Domini exercituū.

Et apertiū Iudith cap. 9. *Qui confidunt in*
multitudine sua, & in curribus suis, & in
contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in
lanceis gloriantur, & nesciunt quia tu es
ipse Deus noster, qui cōteris bella ab initio.
Significat enim hos maioribus se viribus

putare, quam ut Deo adiutore indigeant,
ut ille etiam apud Virgilium.

*Dextra mihi Deus, & telum quod mis-
file libro*

Nunc adsint.

Ad posterius pertinet illud Ioannis duo
decimo, *Dixerunt enim magis gloriam*
hominum, quam gloriam Dei. In appeten-
te est repugnantia charitatis, cum sibi ipse
gloriam velut ultimum finem praestituit:
itaque eam amat, ut nihil turpe, aut flagi-
tiosum putet, quod ad eius affectionem
utile fore videatur: ex quo illud Augus-
tini in quinto de ciuitate Dei capite de-
cimoquarto, *Tam enim est hoc vitium*
inimicum fidei pia, si maior sit in corde
cupiditas gloria, quam Dei timor, vel
amor, ut Dominus diceret: Quomodo
*vos potestis credere, & gloriam abinui-
cem expectantes, & gloriam qua à so-
lo Deo est non quarentes? Quod confir-
mat beatus Antiochus Monachus homi-
lia quadragesima tertia de inani gloria,
dicens, *Quemàmodum lapis in aëra con-
tortus ad cœli usque conuexa nunquam**

Virg. vi. 10.
Æneid.
Ioan. 12.

Aug. lib. 5.
de cuius tc. 4.

S. Anthioc.
hom. 43. de
inanigloria
in bluio-
ca veterum
patr. tom. 2.

pertingit, ita nec hominis oratio humanos
fauores captantis ad aures Dei unquam
conscendit. Et huius rationem in fine ho-
miliæ assignat dicens, *Hominem enim ip-*
sa auocat à Christi seruitute: denique &
fide, qua in Deum credimus trans fugam
redit, & desertorem, vel teste Domino:
quomodo (inquit) vos potestis credere in
me, qui gloriam à vobis ipsis capitis, & glo-
riam quæ à solo Deo est non queritis?

Ioan. 5.

Sed existit hoc loco dubitatio, quā idem
Thomas minime præteriit in disputatio-
ne de malo, quæstione, 9. articulo, 2. vide-
tur enim peccari semper mortaliter in co-
genere inanis gloriæ, cui honestus finis de-
est. Nam aut illa actu, vel virtute in Deum
refertur, quo modo inanis nō est: aut si nec
actu nec virtute refertur per se, & propter
se ceu ultimus finis appetitur, quod nihil
est aliud quam bono incommutabili reli-
cto, animum ad commutabile conuertere,
& quidem ipse ita respondet. *Du-*
plici de causa fieri potest, ut actus non
referatur in Deum ut in finem: aut
quia actus ipse non habet naturam, ut

S. Thom. dif-
putat. dema-
lo, q. 9. art. 2.

referri pos̄it, quod quidem euenit cūm vi-
tiosus est: ut enim falsa enunciatio non est
apta, nec ac̄omodata, vt ea perueniatur ad
scientiam: ita actum a malo, & in ordinatore-
nirī per se ad bonum finem non potest. Al-
tera causa est cūm mens ipsius qui agit, nec
actu nec habitu in debitum finem ordina-
tur. Necesse est enim si ita affecta sit, vt eius
actus aliquid aliud tanquam ultimum fi-
nem intueatur, ex quo continuo in peccatū
mortale incurritur. Si igitur gloria dicatur
inanis ratione ipsius actus, qui est in ordi-
natus, ideoq; referri in Deum nequit, non
est semper peccatū mortale. Etenim quæ-
uis in ordinatio efficit, vt actus nequeat
in Deum referri: at non quæuis peccatum
mortale efficit: quoniam sunt multe leuis-
simæ, & imminutissimæ, quæ longè à pec-
cato mortali absunt, vt si de re leuicula
quæras gloriam, aut eam paulò maiorem,
appetas, ardentius ve quām oporteat.

Si verò gloria ideo vana dicatur, quia
cius animus, qui appetit non est in Deum
actu, habitu ve conuersus, semper est pec-
catum mortale.

Verum hinc profectò dico, ea quæ haud
exigua oriri incommoda videntur.

Primum enim efficitur nullam esse ap-
petitionem inanis gloriæ, quamuis tenuē,
& leuem, quæ non sit peccatum mortale
in eo, qui gratia caret, quoniam eius mens
nec actu, nec habitu cōuersa est in Deum.
Quod si hæc ratio in vana gloria valet, in
cæteris omnibus valebit: ut nullum sit tā
exiguum peccatum quod, in eo qui sine
gratia est mortale non sit. Deinde fit ut,
etiam iniustis, & pijs viris mortale esse vi-
deatur: idq; hac ratione. Omnis inanis glo-
ria peccatum est: nec actu igitur in Deum
referri potest, nec habitu: at quidquid al-
tero horum modorum non refertur in
Deum, propter se ipsum ut finis vltimus
appeti uidetur: Si dicas id fieri quia ea est
illius actus natura, ut non possit referri, id
non tam infrigit, quam confirmat ratio-
nem, eò enim maior erit in eo turpitudo
quod talis est.

His ego ita respondendum puto. Prin-
cipio nego gloriam, cùm non adhibito
fine appetitur, cœu vltimum finem appeti,
nisi

nisi appeteretur ita, ut omnia eius causa faciemus, nihilque esset tam præclarum, aut tam turpe, quod pro ea comparanda, aut tuenda non putaremus suscipiendum. Non enim continuo id amatur ut ultimus finis quod per se amatur, ut cum cibi, aut somni paulo plus capitur quam corpori sati sit, voluptas que est in ea exuperantia non alterius causa amatur, sed sui, nec tantum ut finis ultimus praestituitur.

Nunquam igitur huiusmodi finem in re vlla collocamus, nisi cum eius gratia Dei legem, & præcepta contemnimus: at cum appetitione gloriae finis nullus adhibetur plerunque (ut in cæteris peccatis venialibus visuens) non contra legem, sed præter legem facimus. Itaque finua aliunde turpitudo non accedat, non erit peccatum mortale, nec in iustis, neque in iniustis, et si per se ametur. Quod autem ait sanctus Thomas peccari semper mortaliter cum mens appetentis, nec actu, nec habitu conuersa est in Deum, idem est (ut ego interpretor, &

ut ex sequentibus verbis intelligi potest, ac si diceret, cum aliquis spreta lege diuina, creature per se, ut ultimo fini, ad haereditatē, & omnem, in eum finē, refert gloriā. Quod significasse mihi videtur, cum addit, *Ex hoc enim sequitur quod actus à talis mente procedens (loquitur autem de actu appetitionis gloriae) ordinetur in aliquid aliud, sicut in ultimum finem.* Loquitur igitur (ut semel dicamus) de gloria quae propter finem diuinę legi contrarium appetitur, quo tempore peccatum esse mortale nemo est qui ambigat. Atq; his & dubitatio profligata, & Thomae explicata responsio videtur.

CAPVT. X.

An inanis gloria sit vitium capitale?



CRIPTVRA diuinitus inspirata, ut vulneribus animi me detur, ita corū initia, & quasi radices aperit, & ostendit, superbiā, & cupiditatē: ita enim inquit Ecclesiastici, cap. 10. *Initium Ecclesiasti. omnis. cap. 10.*

Ad Tim. c. 6. omnis peccati est superbia. Et, i. ad Timo-
 theum, 6. Radix enim omnium malorum
 est cupiditas, ubi, ut ex originali Greco col-
 ligitur, non de quauis, sed de pecuniae cupi-
 ditate loqui constat. Et quamvis avaritiæ
 nomine generalis rerum inanum, & ca-
 ducarum cupiditas intelligi possit, ut Au-
 gustino videtur lib. 11. de Genesi ad literā,
 cap. 15. tamen est verius, & verbis Apostoli
 accommodatius peculiare avaritiæ vitiū
 significari, verba Augustini sunt. Merito
 initium omnis peccati superbiam scriptu-
 ra definiuit dicens, Initium omnis peccati
 superbia, cui testimonio non inconuenien-
 ter aptatur etiam illud, quod Apostolus ait,
 Radix omnium malorum est avaritia, si aua-
 ritiam generalem intelligamus, qua quisq;
 appetit aliquid amplius quam oportet prop-
 ter excellentiam suam, & quedam propria-
 rei amorem. Et infra: Specialis est autem aua-
 ritia qua usitatius appellatur amor pecu-
 niae, cuius nomine Apostolus per speciem
 genus significans, uniuersalem avaritiam
 solebat intelligi dicendo: Radix omnium
 malorum est avaritia. Hæc Augustinus.

Aug. lib.
 11. de Gene-
 si ad literā
 c. 15.

Quam

Chriss. in 1.
ad Timot.
hom. 16. in
c. 6.

Quā sentētiā p̄t̄ter alios Ch̄risostomus
diuinē vt̄ solet prosequitur, cuius sanctissi-
mi atq; doctissimi viri verba, & si ad lōgū,
non piget adducere, sunt enim admirabili-
lia, inquit enim: *Fugramus itaq; malorum
radicem. Radix autē ea, cupiditas est, Paulus loquitur, imo in eo loquitur Christus, vñ
deamus plane an ipsa quoq; rerum experi-
menta testentur: quid enim mali non pecu-
nia faciunt? Et paulò post, Cuius ergo mali
illa causa non sunt? nonne harum gratia
concupiscimus? non rapimus? non euulatis
perstrepimus? non inimicias subimus? non
conserimus rixas? non contentiones perpe-
tuas teximus? nonne illa ad mortuos usq;
impias extendere manus? nonne inter pare-
tes, & fratres fanierunt? nonne iura natu-
ra, ac praecepta Dei, & omnia prorsus viola-
runt, qui illarū tenentur desiderio & nonne
harum causa iudicia sunt instituta? Tolle
itaq; pecuniarum studium, & omnia ma-
la sublata sunt, conquieuit bellum, cessa-
vit pugna, inimicitia in gratiam redeunt,
sedata sunt hereses, & contentiones om-
nes. Oportebat huiusmodi velut corrupto-
res,*

Liber tertius,

res, ac lupos, communemq; perniciem orbe
toto pelli. Quem àdmodū enim aduersi qui-
dam, ac furentes venti, si in mare placidum
irruant, ipsum funditus vertunt, adeo ut
arena profundi supernis misceatur undis:
ita & pecunia cupidi omnia penitus mis-
cent, neminem qui huiusmodi est, amicum
nouit. Quid autem amicum dicimus? ne ip-
sum quidem Deum scit, ea rabie detentus
insanit, Et paulò post. Hi sunt qui peruer-
terunt, atq; perdiderunt omnia, pecuniariū
concitatirabie. Sicut enim flamma vehe-
mens ubi in syluam incidit, peruertit om-
nia, & desolatur ita & ista orbem destru-
xit uniuersum. Hæc Chrisostomus. Quem

Ambros. in
comm. epis.
1. ad Timo.
in c. 6.
Gregor lib,
mor. 20. ca.
10.

sequitur Ambrosius in eius loci commen-
tarijs. Gregor. in lib. 20. moralium cap. 10.

Eccles. 10.
S. Tho. 1. 2.
f. 84. art. 1.

Radix autem malorum omnium dicta
est auaritia, quia subsidium & quasi ins-
trumentum omnibus vitijs suppeditat. Pe-
cunia enim obediunt omnia. Quod existi-
mavit sanctus Thomas, 1. 2. quæst. 84. arti.
1, vel quia facile se in omnia vicia, quamvis
grauia, & terra præcipitat, & coniicit qui
laborat immoda cupiditate pecuniae.

Quod

Quod quidem & si quævis immoderata,
 & effrenata cupiditas efficere soleat, tamē
 pecuniæ cupiditati iure tribuitur: quæ ple-
 runq; alijs valentior est, & efficacior: quo-
 niā nihil esse tam difficile, & arduum vide-
 tur, quod homines auro non consequan-
 tur. Quare Apostolus ad Ephesios, 5. & ad
 Colossenses, 2. *Auaritiam idolorum serui-
 tatem appellat*: quòd homines hac de cau-
 sa pecunię quasi Deo cuidam seruiant, & à
 Virgilio sapienter dictum est.

Quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra fames?

Verùm ē superbia quæ (vt loco dudum
 citato auctor est Augustinus) est amor, &
 cupiditas excellentiæ, non cætera vitia
 modò, sed ipsa etiam auaritia nascitur: vt
 merito omnis peccati initium nomine-
 tur, nam vt quisque excellere immodi-
 cè cupit, diuitias optat, honorem, gloriā,
 inuidet alijs, irascitur, rebus, & verbis no-
 cet. Denique ex bonis omnibus, siue veris,
 siue apparentibus excellentiam quandam
 aucupatur, & assequitur, et si non veram,
 tamen comparatione eorum qui eis ca-

Virg. lib. 3.
 Aeneid.

rent. Itaq; quoniam Regis est prouidere
 omnia, & ad finem, quem ipse appetit, hor-
 tari, & dirigere cæteros. sic superbia Regi-
 Greg, lib. 31.
 moral. cap. 31.
 na vitiorum dicitur à Gregorio in lib. 31..
 moralium, cap. 31. Et vt charitas, qua Regi-
 na virtutum dicitur, eas in finem refert
 suum: ita superbia omnibus vitijs imperat,
 eaq; ad finem sibi propositum conuertit.
 Quod verò negant quidam finem pusilla-
 nimitatis, timoris, libidinis, & aliorum eius:
 generis referri in finem superbiæ posse: di-
 carent aliquid, nisi hæc, & omnia, vel bo-
 num aliquid assequi, ac tueri, vel malum
 vitare cutarent: quod fit gratia excellentiæ
 quærendæ. Ergo superbia dicitur initium
 omnis peccati. quoniam ex ea vbi paulu-
 lum inualuit omnia peccata gignuntur,
 vixq; aliquod vitium in homine magnopere
 dominatur, quod non sit ex ea or-
 tum. Ea enim est initij ratio, vt nihil sit eo
 prius, sed ex illo sint alia, quod plerun-
 que in superbia cernimus. At cupiditas
 radix nuntupatur, quoniam quamuis
 ex superbia sit, cauealatur, innumera
 inde vitia, quasi malleoli, & propagi-
 nes.

nes oriuntur. Atq; ex superbia quidem septem potissimum vitia propagantur, quæ capitalia dicuntur. De quibus ita eo loco quem dixi Gregorius ait, *Radix cunctimam- li superbiae est, de qua scriptura attestante dicitur, Initium omnis peccati est superbia:* Eccles. xii.

Primæ autem eius soboles, septem nimirum vitia de hac virulenta radice profertuntur, scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluvies, luxuria. Hæc eadem quæ principalia habentur, & sunt, etiam capitalia vocantur, non tantum quod ex eis multa propagantur, sed etiam quod ea regunt, (quod est proprium capitum) id est ad finem dirigunt suum, ut auctor est sanctus Thomas prima secundæ quæstione octogesima quarta articulo tertio. Ideoque Gregorius similia hæc esse dicit ducibus exercituum. Sunt ergo capitalia vita vii idem consequenti articulo exponit: quorum fines habent primarias quasdam rationes mouendi appetitum, ut auaritia, ut libido, ex eo enim fit, ut alia

Liber tertius,

ex ijs oriantur, quæ ipsa in finem suum
conuertunt, ut paulò post exemplo indi-
cabimus. Quæ cum ita sint, constat & ra-
tione ipsa & Gregorij auctoritate, capita-
le vitium esse inanem gloriam, & quidem
ut Gregorius enumerat, primum, & super-
biae maximè coniunctum, & continens.
Nam ad excellentiam, quam immodera-
tè appetit superbia, potissimum accom-
modata videtur inanis gloria, quæ est ma-
nifestatio quædam & declaratio illorum
bonorum quibus maximè excellentia ipsa
continetur: quò fit ut eam homines ardē-
tissimè persequantur, ut quæ cum primis
omnium excellentiam contingit, quæ ab
eis sine modo, & sine fine queritur, verba
Reg. lib. 31.
Mor. c. 31. Gregorij sunt, Tentātia quippe vitia, que
inuisibili contra nos prælio regnanti super-
se superbias militant, alia more ducum
præeunt, alia more exercitus subsequun-
tur. Neque enim culpa omnes pari ac-
cessu cor occupant, sed dum maiores, &
paucæ neglectam mentem præueniunt:
minores & innumera ad illam se cater-
natim fundunt. Ipsa namque vittorum
regi-

regina superbia, cum deuictum plenè cor ce
perit, mòx illud septem principalibus vitijs,
quasi quibusdam suis ducibus deuastan-
dum tradit. Quos videlicet duces exerci-
tus sequitur: quia ex eis proculdubio im-
portuna vitiorum multitudines oriuntur.
Quod melius ostendimus, si ipsos duces,
atque exercitum specialiter (ut possumus)
enumerando proferamus. Radix quippe
cuncti mali superbia est: de qua scriptura
attestante dicitur, Initium omnis peccati
est superbia. Prima autem eius soboles, sep-
tem nimirum principalia vita, de hac vi-
rulentaradice proferuntur, scilicet, inanis
gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ven-
tris ingluvies, luxuria. Quam multa verò
vitia inanem gloriam consequantur capi-
te sequenti dicemus.

CAPVT. XI.

Quæ vitia nascantur ex inani
gloria.

QVÆ sint ea, quorum caput est inanis
gloria, quæq; ab ea deriuantur di-
ligen-

ligenter recenset diuus Gregorius in dicto
 31.lib. moralium iam citato , cap.31. vbi
 sic ait,*Nam de inani gloria, inobedientia,
 iactantia, hypocrisis, contentiones, pertina-
 cie, discordia, & nouitatum præsumptiones
 oriuntur.* Quæ luculenter à diuo Thoma
 explicantur, 2.2. quæst. 132, arti. 5. & quæst.
 9. de inani gloria in disputatis articulo ter-
 tio. Eorum vitiorum caput est inanis glo-
 r ia, quæ ab ea gignuntur, & ad eius finem
 referuntur per se, qui quidem est manifes-
 atio propriæ excellentiæ. Ad hunc finem,
 quasi recta via, itur verbis, & factis: si qui-
 dem verbis, efficitur iactantia, si factis ve-
 ris, & admiratione, dignis præsumptio no-
 uitatum: (semper enim noua miramur) si
 ficta sint, hypocrisis. Declarari etiam exce-
 llentia obliquè potest, cùm ostendimus
 nos non esse alijs minores. Quod aut ad
 intellectum pertinet, estq; pertinacia, qua
 nimirum nobis constamus, & sententiam
 nostram tenacissimè amplectimur: aut ad
 voluntatem, & sic est discordia, cùm à vo-
 luntate nostra non recedimus, vt assentia-
 mur alienæ. Est etiam hæc ipsa obliquitas

S. Tho. 2.1.
 q. 132. art. 5.
 Et in dispu-
 tatis, q. 9. de
 inani gloria
 art. 3.

in

in verbis, & in factis, (hoc est) in contentione, quæ est clamosa quædam, & vocibus plena litigatio, atque inobedientia, cum præcepta maiorum contemnimus, & aspernamur. Ac iactantię quidem exemplum habemus Danielis, q. in illis verbis,
*Nonne hac est Babilon ciuitas magna quā
ego adificavi in domum Regni, in robore for
titudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Et Dan. 4,
Lucæ. 18. *Deus gratias ago tibi quia non
sum sicut cateri hominum raptores, iniusti,
adulteri, velut etiam hic publicanus, ieju-
no bis in sabbatho, decimas do omnium quæ
possideo.* De hypocrisi notum est illud Mat
thei, 6. Matth. 6, *Cum ergo facis eleemosinam noli
tuba canere ante te, sicut hypocrita faciunt
in Synagogis & in vicis, ut honorificentur
ab hominibus. Et illud, Exterminant enim
facies suas, ut videantur hominibus ieju-
nantes.* Præsumptio nouitatum fuit in Si-
mone, Actorum, 8. dicente, *Date & mihi
hanc potestatem, ut cuiuscunque imposuero
manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Volebat enim præclaris editis signis quasi par Apostolis ipsis iudicari. Extant etiā exem-Act. 8.

Liber tertius,

pla cæterorum permulta.

Nec verò dubitari potest diuersa hæc
vitia esse ab inani gloria , quoniam vnius
vitij vnuis est finis,hæc autem habent mul-
tos atq; diuersos. Et finis vnius vitij nō re-
fertur ad se ipsum, horum autem fines fine
inanis gloriæ continentur, ad eumq; refe-
runtur: hy po crita enim appetit virtutis stu-
diosissimus videri: itemq; præsumptor no-
uitatum , mirabilium operum effector,
vt excellentiam suam declarent, quod est
inani gloriæ propositum. Itaq; iactantia,
hypocrisis , præsumptio nouitatū , & eius-
modi alia,sunt illa quidem actus inani glo-
riæ, verùm non eliciti, sed imperati, vt mar-
tyrium charitatis. Vt autem quidquam est
ad declarandam excellentiam aptius , &
efficacius, eò minus secerni ab inani glo-
ria videtur, vt in iactantia appareat, & in hy-
pocrisi, sed insunt in his omnibus dubita-
tiunculæ, quæ vt dimoueantur, sunt quæ-
dam adnotanda.

Primum est, eaquæ ex inani gloria ema-
nat non inficiari nos quidem ad superbiā
quoque referri posse, ex qua gloria ipsa
ina-

inanis proficiuntur. Proxima igitur eorum causa est inanis gloria, remotior, & distantior superbia. Verum non omnino eodem modo ex utraque gignuntur. Si enim internum spectemus affectum, quo excellentia immodecum appetitur, superbia una est horum vitiorum parens: si vero externum actum, quo aliquis manifestat excellentiam suam, ad inanem gloriam pertinent, ut de iactantia docet sanctus Thomas, q. 9. de malo, artic. 3. ad tertium. Etenim superbus quia praeclarum se, & excellentem putat, talique esse optat in iactantiam incurrit, in hypocrisim. Cum vero non modo esse, sed videri etiam concupiscit, (quod est inanis gloriae) omni ratione conatur, ut bona sua in oculis ciuium, & cognitione versentur, ex quo eadem vitia existunt. Alterum est esse quoque interdum alias causas, ex quibus isthac fiunt, & quidem (ut videtur) valentiores & manifestiores, sed ita tamen, ut in eis latere inanis gloria intelligatur. Quemadmodum discordiae, contentiones, pertinaciæ saepè ex ira fiunt, sed nullo modo fierent,

S. Thom q.
9. de malo,
ar. 3. ad 3.

nisi adiuncta esset inanis gloria. Ideò enim contendimus, & pertinaces sumus, ne vici videamur, quem finem ira non tollit, sed iuuat.

Tertiū est, ab inani hæc gloria procreari, ad eiusq; finem pertinere, etiam cùm longè diuersissimos fines spectare videantur. Multi enim magna de se mentiuntur, & se se impudentissimè iactant, non gloriæ, sed lucri gratia, ut est auctor Aristoteles in quarto libro ad Nicomachum, cap. 7. Idemq; initio sophisticorum Elencorū confirmat Sophistas, id est, sapientiæ simulators, id velle potissimum efficere, ut pecunias aucupentur. Et tamètsi est hæc potius auaritia, quam iactantia, aut hypocrisis nominanda, quoniam à fine potiori nomina sumuntur, est tamen etiam iactantia. Itaq; in hac iactatione, aut simulazione sapientiæ intuemur finem inanis gloriæ, nempe manifestationem excellentiæ, qui ad alium continuò refertur, id est, ad quæstum. Quod autem dirigatur ad alium non amittit nomen, aut naturam suam: ut ille qui adulterij causa furatur, est ille

Arist. in 4. ad
Nicom. c. 7.

qui

quidem potius intemperans, quam fur appellandus, ut Aristoteles ait in quinto ethicorum cap. 2. sed tamen est etiam fur, non enim dixit, non est fur, sed intemperans est potius, quam fur. Postremo dicimus septem vitia tantum procreari, & gigni ab inani gloria, quoniam ea demum, siue in ipsis sistatur, nec habeatur ratio gloriæ, siue nullus aliis finis adhibetur, suapte natura talia sunt, ut ad manifestationem excellentiæ pertineat, atque conducant, alioquis si ea essent annumeranda in ijs quæ oriuntur ex inani gloria, quæ non per se, sed ex accidente in eius finem dirigi queunt: non vitia modo omnia, sed ipsas etiam virtutes ab inani gloria effici diceremus. Cui enim dubium est quidquid boni, aut mali sit, gloriæ causa fieri posse?

Sed quæri hic meritò potest, quid causæ sit ut cum verba vera esse, & falsa, possint, non minus quam facta, duo vitia in factis esse dixerimus, alterum in veris, in falsis alterum? in verbis autem unicum sit à Gregorio, & à Thoma constitutum? quod si respondeas hanc esse causam, quod iactantia

Aristo in 5.
Ethic. c. 2.

Liber tertius,

S.Thom. 2.2
q. 112. a. 1.

*etni offia
et. 3. cibis*

Arist. lib. 4.
ad Nico.c.7.

tia quæ ad verba spectat propriè dicitur (vt ipse idem testatur, 2.2. quæst. 112. artic. 1.) cùm aliquis se prædicatione, & laude effert supra id quod est in se, quod falsis verbis fieri necesse est, idq; ab Aristotele confirmari in, 4. ad Nicomachum, cap. 7. vbi docet, *Arrogantem siue iactantem se se, atq;
vanum, aut ea bona sibi tribuere, quæ mini
me habeat, aut maiora quam habeat.* Non videtur hæc satis firma, & constans ratio. Efficit enim inanis gloria, vt & falsa nobis arrogemus, & quæ in nobis sunt cum quadam iactatione, & insolentia efferamus. Quòd si illud prius tantummodo iactantiae esse decernitur, necesse est aliud vitium statuamus, quod in posteriore versetur. Non sunt igitur rectè enumerata vitia, quæ ex inani gloria existunt.

Huic dubitationi mihi ita respondendum videtur. Iactantiam nullomodo sine aliquo mēdacio constare, atq; consistere. Non enim est nisi cùm aut falsa de nobis prædicamus, aut si vera illa sint, alio modo nobis inesse significamus, quām revera sint, quasi à nemine acceperimus, totaque nobis

nobis debeantur, aut si accepimus nostris
meritis non donata, sed reddita, aut certe
nobis solis concessa videri volumus, ut est
apud Gregoriū pulcherrimè in lib. 23. mo-
ralium, c. 7. cuius grauissimi & sanctissimi
doctoris verba sunt, *Quatuor quippe sunt
species quibus omnis tumor arrogantium de-
monstratur, cum bonum aut à semetipsum ha-
bere se estimant: aut si sibi datum desuper
credunt, pro suis se hoc accepisse meritis pu-
tant: aut certe cù iactant se habere quod nō
habent: aut respectis ceteris, singulariter vi-
deri appetunt habere quod habent.* A semet-
ipso enim bonum se habere iactabat, cui per
Apostolū dicitur. *Quid autē habes quod nō
accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris
quasi non acceperis?* Rursumne dari nobis bo-
num gratia pro nostris praecedētibus meritis cre-
deremus, idē Apostolus admonet, dices, Gra-
tia estis saluati per fidēm. Et hoc non ex vobis,
sed Dei donum est, nō ex operibus, ut ne quis
glorietur: qui etiā de semetipso ait, qui prius
sui blasphemus, Et persecutor: Et cōtumelio-
sus, sed misericordia cōsecutus su: quibus ver-
bis aperte declarat quod gratia nō promer-
tis

Gregor. lib.
23. mor. c. 7.

1. Cor. 4.

Ad Ephes. 2.

1. Timo. 2.

Ierem. 48.

tis tribuatur, dum ex se ipso docuit, & quid de malitia meruit, & quid de benevolentia accepit. Rursum nonnulli iactant se habere quod non habent, sicut diuina voce per prophetam de Moab dicitur, Superbiam eius, & arrogantię eius ego noui & quod non sit iuxta eum virtus eius. Et sicut Angelo Ecclesi& Laodicia dicitur, Quia dicis quod diues sum, & locupletatus, & nullius ego, & nescis quia tu es miser & miserabilis, pauper, cacus, & nudus. Rursum nonnulli respectis ceteris videri appetunt singulariter bonum habere quod habent. Vnde & Phariseus idcirco de templo absq; iustificazione descendit, quia bonorum operum meritum, si quasi singulariter tribuens orati de Publicano se pratulit. Hec Gregorius.

Lucas. 18.

Et equidem verū illud ego arbitror quod Phariseus aiebat, ieuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Nec tamen sine iactantia dictum puto, vt dicit Gregorius, quoniam et si Dei dona agnoscere videbatur, quasi suis illa virtutibus debita iudicabat: sicuti est illud Danielis, 4. Nonne hac est Babylon ciuitas magna, quam

Dan. 4,

quam ego adificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Quod iactantiae plenum censetur, quia ita Rex superbus, & arrogans loquitur, ut non Deum sed temetipsum tanti sibi imperij auctorem extitisse significare videatur. Quod ei continuò cœlo delata vox aperit, cum dicitur illi, *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum transibit a te,* & ab hominibus eiciunt te, & cū bestijs feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur *Excellens in regno hominum,* & cuicunque voluntuerit det illud. Vnde patet: *Quod Apostoli quoque sancti ab hoc elationis via, & inanis gloria cupiditate renocantur a Domino,* qui de predicatione redeuntes, cūm elati dicerent: *Domine in non in etiam demonia nobis subiecta sunt: ne de hac miraculorum singularitate gauderent,* illico eis respondit Dominus dicens: *Videbam satanam, velut surgur de cœlo cadentem.* Ipse quippe singulariter dixerat relatus, *Super astra exaltabo solium meum, sed ebo in monte.*

Gregor. Ibili
dem.

Luke. 10.

Esaie. 14.

monte testamenti in lateribus Aquilonis,
similis ero Altissimo. Et mirè Dominus ut
in discipulorum cordibus elationem prame-
ret, mox iudicium ruina retulit, quod ipse
magister elationis accepit, ut in auctore su-
perbia discerent, quid de elationis vicio for-
midarent. In hac itaq; arrogantia quarta
specie crebro humanus animus labitur, ut
id quod habet, habere se singulariter glorie-
tur. In qua tamen similitudini diabolica
vicinius appropinquat: quia quisquis bo-
num se habere singulariter gaudet, quisquis
videri sublimior ceteris quarit, illum vide-
licet imitatur, qui despecto bono societatis
Angelorum, sedem suam ad Aquilonem po-
nens, & Altissimi similitudinē superbè ap-
petens, per iniquum desiderium, quasi ad
quoddam culmen conatus est singularita-
tis erumpere.

Quod si querat etiam quispiam, cùr so-
lis verbis iactantia tribuatur, cùm sàpè ea
sit quoque in factis? ut initio Esther legi-
mus, *In diebus Assueri qui regnauit ab In-*
dis usq; ad Aetiopiam super centum viginti
septem prouincias, quando sedet in solio reg-
ni

ni sui. Tertio igitur anno imperij sui fecerat grande coniuicium cunctis principibus, & pueris suis fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & praefectis prouinciarum coram se, ut ostenderet diuitias gloriae regni sui, ac magnitudinem, atq[ue] iactantiam potentia sue. Facilis est, & expedita responsio. Iactantiam propriè esse in verbis, quām uis inde, similitudine quadam ad res ipsas persæpè transferatur. Itaq[ue] in verbis tantum iactantiam Gregorius collocauit, cùm quia ea erat vera, atque germana nominis notio: tūm etiam quia quæ in rebus est propria nomina habet, & hypocrisy dicitur, aut præsumptio nouitatum, ut appellatione communi, nec ea quidem àmodū propria minime indigeat.

CAPVT. XII.

Quomodo sit inani gloria & obſtendum?

POSTEA Quām explicuimus quā latè manet inani gloria, quotq[ue] ex ea vitia nascantur, hoc mihi vnum quærendum videtur, quomodo ei malo obſtatur? quę

Ddd fint

Liber tertius,

sint ad id potiora, ac valentiora remedia?

Bernardus (cui magnæ semper curæ fuit gloriam quæ à solo Deo est quærere, & alteram, quæ est cum prauitate animi, & cum quadam inanitate coniuncta, aspernari) paucis rei summam comprehen-
Bern. serm.
in Psa. 90. dit: mouet enim sermone, 6. in psalmum 90. ut veritatem vanitati opponamus, veritatem autem solicitam nostræ naturæ considerationem, & cognitionem: facile vitari posse inanem gloriam si nos metip-
pos pénitus introspiciamus, & ad lucem veritatis discutiamus, Difficile (inquit) prorsus (ni fallor) homo verbis laudantium hominem in vita sua, adduci poterit altum sapere, si se intus ad lucem veritatis solici-
ta consideratione discutiat. Nonne enim si propriam cogitat conditionem dicturus est sibi. Quid superbis terra & cinis? Quid quæso praesentis vita incolatus est, nisi spiri-
tualis quadam domus, in qua ad commo-
randum delegati sumus à Domino? An nō quotidie & absq[ue] interualllo domus ista con-
sumitur, veterascit, casuq[ue] propinquat? Tot ut dicam subtrahuntur lapides, quot
pra-

pratereunt dies, transimus ab infantia ad adolescentiam, ab adolescentia ad iuuentutem, à iuuentute ad virilitatem, à virilitate ad senium, à senio ad etatem decrepitā, & tamen eo usque attingunt rariissimi, verum qui sic efficiuntur longaui, quot calamitatibus obuoluantur, quot atterantur languoribus nemo sufficienter edicit. Horum profectò vita sibi ipsis onerosissima est, quoniam caligat visus, eorum obturatur auditus, olfactus amittitur, gustus fuscit, palpitat tactus, fetet anhelitus, curuantur genua, gressusq; itinere baculo sustentatur, suntq; nonnunquam eorum propinquis, & notis intolerabiles ad videndū. Singuli erum nos & vita ipsorum compatuntur, & carnis sine Dei offensa precantur interitum, non odio sed compassionis permoti affectu, credentes eorum miserijs mortem finem esse daturam.

Praterea si propriam consideret corruptionem, fateatur necesse est quoniam non est in eo bonum. Sed et si forte aliquid habere videtur, non inueniet (puto) quod respondeat Apostolo dicenti, Quid habes quod nō

1. Corint. 4.

accepisti? & si accepisti quid gloriaris? Et
 alibi. Qui stat videat ne cadas. Postremo si
 fideliter computet, facile illi erit aduertere,
 quod nec cum decem millibus possit ei occur-
 rere, qui cum viginti millibus venit ad se,
 & omnes iustias suas tanquam pannum
 menstruata reputare. Hæc de natura no-
 tra deque fuga inanis gloriae Bernardus.
 Quæ si rectè percipimus, & tenemus non
 erit difficultis sanatio, non dubia victoria.
 Ut enim pauones cùm ad turpitudinem,
 & deformitatem pedum oculos referunt;
 placere sibi desinunt, ponūtq; arrogantiā
 illam, & insolentiam quam ex cauda va-
 rijs coloribus, & quasi luminibus ornata,
 atque distincta conceperant: ita in nobis
 omnis animi fastus conciderit, cùm conce-
 perimus mente, & cogitatione volucriti ex-
 limo nos fuisse genitos, pronus esse natu-
 rā in malum: nihil boni nisi ex Dei dono
 habere, atq; id quod habemus, nec sine ip-
 so qui dedit tueri, nec naturæ nostræ cor-
 ruptioni, ac inimicorum impugnatiōni
 pares esse posse.

Prudente ergo examinatione intelli-
 gere

gere oportet errorem nostrum, & inanis
gloriæ, atq; humanæ laudis, quam diligi-
mus, illecebrofam fallaciam: quæ speciosa
quidem, & tanquam impudicissima me-
retrix apparet in facie, & intus tota est de-
formis, & squalida: in promisionibus fal-
lax, & in fallendo veridica, quæ insipientiū
animos blandiendo vulnerat, arridet, &
spoliat, vt amplectatur vocat, & despicit.
Sibi inhærentes attollit ad horam, hono-
rables reddit, & post paululū à se abiiciēs
esse facit inglorios, sicuti inquit prophe-
ta psalmo, 36. *Vidi impium superexaltatū,* Psalm. 36.
& eleuatum sicut cedros Libani, transiui
*& ecce non erat, quæsui, & non est inuen-
tus locus eius.* Eòq; turpius ad ima dilapsus
est, quo immoderatiū ad mundanam &
inanem gloriam conscendit. Vbi nam
quæsio sunt potentum minæ? imperiales
insulæ? sceptræ regalia? & tyrannorum
gloria? Quò (inquam) Cræsi deuenere di-
uitiæ? magnificentia Assueri? Celeberri-
ma Salomonis fama? ac Romanæ vrbis
vndiq; profusum imperium, & gloria? Pro-
fectò veluti somnium surgentium, subli-

mitatis illorum imago ad nihilum redacta est. Defecit prorsus, ac si numquā fuisset, creuit in tempore, ad tempus enituit, atque cum tempore transeundo defecit, nullam posteris benedictionē relinquens nisi tenuissimam in membranis memoriam.
Quod egregiè noster poeta Hispanus scripsit dicens.

Don Jorge
Manrique
in carmini-
bus elegiac.
pro morte
patris.

Dexemos à los Troyanos
que sus males no los vimos,
ni sus glorias:
dexemos à los Romanos,
aunque oymos, y leymos
sus historias.

No curemos de saber
lo de aquel tiempo passado
que fue dello:
vengamos à lo de ayer,
que tambien es oluidado
como aquello.

Que se hizo el Rey don Iuan?
los Infantes de Aragon
que se fizieron?
que fue de tanto galan?
que fue de tanta inuencion

como

como truxeron?
*Las justas, y los torneos,
 paramentos, bordaduras,
 y cimeras:
 que fue sino deuaneos,
 que fueron sino verduras
 de las eras?*

Est & illud salutare Gregorij consilium lib. 22. moralium, cap. 6. & ad vitandam inaneni gloriam maximè acommodatū, vt cùm boni aliquid facimus, peccati vitæ prioris non obliuiscamur, id enim est quod inanem gloriam sæpiissimè efficit Sed à bono illo potius, de quo lætamur, ad malam quibus diuinam bonitatem offendimus oculos identidem, atquè animum cum dolore auocemus. Verba Gregorij sunt, *Sunt verò nonnulli qui cum bona aliqua faciunt, iniquitatum suarum protinus obliuiscuntur, & cordis oculum in consideratione bonorum operum, quæ exhibent, figunt, atq; eò se iam sanctos existimant, quò inter bona quæ agunt malorum suorum, in quibus & fortasse adhuc implicati sunt, memoriā declinant. Qui scilicet si districtio*

Greg: libr.
22. mor. c. 6.

nem iudicis vigilanter attenderent, plus de malis suis metuerent, quam de imperfctis bonis exultarent, plus inspicerent quod de his, quae adhuc eis agenda sunt, debitores tenentur, quam quod operantes quædam, iam debiti partem soluunt. Neque enim absolutus est debitor, qui multa reddit, sed qui omnia, nec ad brauium victoria peruenit qui in magna parte spectaculi velociter currit, si iuxta metas venies, in hoc, quod est reliquum, deficit. Nec ad qualibet destinata loca pergentibus inchoando professet longum inter capere, si non etiam totum valerent consummare. Qui ergo eternam vitam querimus, quid aliud quam quædam itinera agimus per quæ ad patriæ festinamus? Sed quid prodest quod carpi mus multa, ea quæ ad perueniendum restant negligimus reliqua? Amplius igitur debemus inspicere, quæ bona nec dum fecimus, quam ea quæ iā nos fecisse gaudemus.

Greg. li. 22.
Mor. c. 7.

Et in capite septimo eodem libro ita ait, *Habent itaq; hoc proprium sancti viri, ut bona quidem quæ agunt, videant, Et tamen cum peregerint, ab eorum memoria oculos*

oculos auterant. Hæc Gregorius.

Sed habet hoc humana infirmitas proprium, ut plus ei intueri libeat quod sibi in se placet, quam quod sibi in se displaceat. Sicq; plerique hoc vitio etiam tentantur electi, cum eorum cordi suggeritur ut bona quæque quæ fecerunt ad animum reuocent, & securitatis iam lætitia exultent. Sed si verè electi sunt, ab eo in quo sibi placent, mentis oculos diuertunt, omnem in se de peractis bonis lætitiam deprimum, & de his quæ se minus egisse intelligunt, tristitia requirunt, indignos se existimant, & penè soli, bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Sicuti est illud Pauli prima Corinthiorum decimo quinto, *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

Atque hac quidem in re illud mihi videtur habere vim quandam admirabilem, & incredibilem, quod cum innocētissimi & optimi nobis videbimus, plurima recordari possumus, quæ nefariæ, & turpiter

Ddd 5 gesta

Liber tertius,

gesta certò scimus. Quod verò ablata omni dubitatione pium , sanctumque dicere audeamus , ex tanto operum numero ne vnum quidem proferemus. Nisi frustra ab optimo , & sapientissimo viro dictū putamus , *Verebar omnia opera mea* , aut nos Deo gratos esse planè cognoscimus , sapiētiorelq; Apostolo sumus , qui dixit , *Nihil mihi conscientius sum , sed non in hoc iustificatus sum.* V aletq; maximè adinanem gloriam extinguendam ante oculos semper habere illud quod scribit Paulus , *Qui autem stat , videat ne cadat:* & quod ipse iustitię auctor , ac magister sanctissimè admetnet , *Cum feceritis omnia , quæ præcepta sunt vobis , dicite servi inutiles sumus , quod debuimus facere fecimus.*

Præterea quāmuis non leuibus interdum argumentis , & ipsa (cui sine temeritate credi posse videretur) probabilitate ducamur , ut non nulla supra ea quæ præcep ta sunt , piè & iuste nos fecisse existemus , præter quam , quòd facilè decipimur , non ea sunt consideranda , quæ fecimus , sed plura , & difficilia , quæ supersunt faciēda.

Iob. 9.

1 Cor. 4.

1 Cor. 10.

Lucæ. 17.

da. De quo eleganter Paulus ad Philippen-
ses, 3. ait, *Fratres ego me non arbitror com-
prehendisse. Vnum autem quæ quidem re-
tro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt
priora extendens me ipsum, ad destinatum
persequor, ad brauium supernae vocationis
Dei in Christo Iesu.* Est autem maximus,
idemq; cōmunis omniū error, ex quo ina-
nē gloriā procreari necesse est, quod pere-
xiguis bonis capimur, & quasi faciamur,
nosq; nō cū summis & perfectis viris (quos
imitari semper debebamus,) sed cum vul-
go & multitudine comparamus: in quo
cū vix ullū virtutis lumen eluceat, mag-
num, & excellens apparet quod in nobis
est. Itaq; perinde facimus, ac ille qui sum-
mum sibi honorem in stadio postularet,
quod claudos, & obessos homines mini-
meq; ad currendum aptos velocitate, cur-
suq; superasset. Omittamus multitudinē,
quæ voluptates omnes audiissimè cōflecta-
tur, & sāpē ne virtutis quidem vmbram
assequitur. Intueamur viros diuina virtute
prēstantes, eiusdemq; nobiscum naturæ,
infirmitatisq; participes, quos Deus mag-
nope-

Ad Philipp.
3.

483 21.7.1790 D
noperē amauit, quos mirati sūt Angeli, qui
bus dignus nō erat mūdus, hos cū e quabi-
mus, tūc nos bonos, & pios nominemus.

Quem verò non pudeat, aut etiam nō
misereat sui, si, cùm se multum virtute, &
pietate prouectum iudicauerit, ante oculos
ponat non dicam Christum Dominū
nostrum, non Mariam immaculatissimā
Virgem Patronam nostram; non Aposto-
los, sed Paulum? Antonium? Onufrem?
Hilarionem? Benedictum? Dominicum?
Franciscum; Hieronymum? Augustinū?
Bernardum? Ildephonsum? Laurentium?
Sebastianum? Vincentium? Basiliū? Eu-
laliā? Agnetem? Catharinam? Et alia
quam plurima agmina beatissima sancto-
rum, martyrum, doctorum, virginum, &
confessorum? Qui respuentes omnia, ho-
nores, voluptates, prædia, conuersatio-
nemque socialem, vitam suam duxerunt
in montibus, in speluncis, & in solitudini-
bus vastis, quātenus commodiūs illis soli
Deo vacare liceret. Nonnulli verò hu-
mano timore deposito, neglectis iussioni-
bus principum, se pro defensione fidei Ca-

tho-

tholicæ, ad perferendum rerum damna,
 exiliorum incommoda, squalores carce-
 rum, ecclœorum tormenta, carbonum in-
 cendia, adustiones lampadum, lapidum
 ictus & flagrorum, ludibria populorum,
 membrorum mutilationes, & abscissionē
 capitis magnanimitter tradiderunt. Qui di-
 uinis die noctuque occupabantur in lau-
 dibus, sacris lectionibus vacabant, ora-
 tionibus instabant, mutuisque exhortatio-
 nibus se ad virtutum profectum accende-
 bant. Qui omnes sanctarum scripturarum
 scientia imbuti, fidei gratia perfusi, chari-
 tatis ebriati dulcedine, necnon & promis-
 sionū Christi allecti magnitudine, facti sūt
 contemptores humanæ gloriæ, testes fi-
 dei, præcones immortalitatis, atque pro-
 ptemiorum adeptione celestium bonorū
 insuperabiles bellatore, Quæ ita magna cor.,
 sūt, ut, Nec oculus vidit, nec auris audivit,
 neq; in cor hominis ascendit, quæ prepara-
 uit Deus diligentibus se. Pro quibus si de-
 derit homo vniuersam mundi substantiā
 si immanissimis corpus suum tradide-
 rit cruciatibus, & exposuerit flammis, si
 spon.

sponte se affixerit ieunijs, vigilijs, ac labo-
ribus, frigore, æstu, fame, siti, inopia, & nu-
ditate, penè nihil agit: quoniam quidquid
facit & omne quod patitur momenta-
neum est, leue, breuissimumq; in recom-
pensatione retributionis æternæ: quem-
admodum Apostolus ait ad Romanos, 8.

Ad Rom. 8. Non sunt condignæ passiones huīus tempo-
ris ad futuram gloriam quæ reuelabitur in
nobis. Quamobrem nullus glorietur, nul-
lus præsumat se hæc bona ex proprijs ope-
ribus percepisse, vel mereri, quia non pro
merito, nec ab hominibus, neque pro sus-
cipientis arbitrio dantur, sed per Spiritum
Sanctum, qui ubi vult, in quibus, & quan-
do vult spirat.

Est etiam illa perutilis, perque salutaris
Chrisostomi consideratio ad inanem glo-
riam fugiendam: qui cùm in sermone de
inanis gloriae cupiditate ex Apostolo do-
cuisset Angelos esse à nobis aliquando iu-
dicandos: *Num qui de Angelis* (inquit)
sententiam sis latus, optaueris à morta-
libus his, & impuris iudicium dete fieri, co-
sequiq; pare cum saltatricibus, mimis, au-
rigis,

Chris. serm.
de inanis
gloriae cupi-
ditate, tom.
5.

rigis, & belluarum confectoribus laudem,
 vel qualem illis exhibent plausores, quorum
 acclamations, & plausus altiori quodam
 sunt per te volitatu defugiendi. Ioannes
 præterea eremicius imitandus est, perdis-
 cendumque quo pacto & ille vulgi laudes
 contemperit, neque villas hominum attē-
 derit adulationes. Siquidem cum Palæsti-
 nos incolasse circa perfusos vidisset, & sui
 admiratione obstupefactos, nihil prorsus
 hoc tāto honore flectebatur, quin illis in-
 surgens ad populum vniuersum, tāquam Lucæ. 3.
 adolescentulum aliquem verba factita-
 bat, & dictis istius modi incessebat, *Ser-*
pentes, viperarum semina, cum sui visen-
 di dūtaxat illi gratia relictiis vrbibus mag-
 no ad se concursu festinassent. Nihil tamē
 horum sanctissimum virum à pristino ins-
 tituto relaxauit: nam vt longè aberat à glo-
 rię cupiditate, sic erat quavis animi elatio-
 ne liber. Nos verò contrà quasi honorem,
 & gloriam prætio ab hominibus vndicata-
 turi, seruili quadā industria omnibus adul-
 mur. Ita fit, vt ordine quodam præpostero-
 ferantur omnia, proque vulgari, & popu-
 lari

lari hac gloria non minùs fides, quām religio ipsa neglecta prodatur, & pietas. Iuuat præterea considerare, quam molestissima sit illa, & intolerabilis seruitus eorum, qui gloriæ student: fieri ne poterit, ut si vel leuiter cogitetur, non omnes magnopere deterreat? omnia, non modo quæ reprehendi palam, sed etiam quæ obscuro cogitari possint riment, rumorem, fabulam fieri, falsa perhorrescunt, ora omnium atq; oculos intuentur. Optarem equidem, ait Chrisostomus, quibus suis Barbarorum hominum potius in seruitutem dari, quām semeleius subire iugum. Nec enim à Barbaris talia captiui iniunguntur, qualia sibi morigeris hoc pacto indicit. Nec multo post, Etenim qui gloria libidine trahitur, fluctuanticuiquam, & tempestate disiecto videtur assimilis, siquidem tremebundus semper, & pauidus infinitis dominis gesturus sit morem.

Sed inter alias omnes considerationes, quæ ad inanem gloriam vitandam, & fugiendam maximè iuuant, est illa extremitudicij magni Dei consideratio, & teterrimi

Chris. serm.
 de inanis
 gloriæ cupi-
 ditate, tom.
 1.

mi inferni carceris, abyssiq; illius barathri sempiternaliter inhabitatio, vbi animę demerguntur, & cruciantur, vbi proculdūbio nulla cruciatus datur requies, sed dolor sentitur intolerabilis, ignis vrit inextinguibilis, vermis conscientiæ viget immortalis, fætor sulphuris affigit importabilis, interiores absque consolatione vlla sunt lachrymæ, horridus aspectus dæmonū, palpabiles tenebræ, teterimus carcer, indisolubilia vincula, sitis exæstuans, dentiū stridor, timor supplicij, iudicij tremor, peccatorum inordinatus pudor, hebetudo animi, ignorantia profunda, ponderositas corporis, membrorum lassitudo, mortis concupiscentia sine morte, inuidiæ tabes, discerpens ira, odiorum ardens facula, ignis corporeus carens necessitate foimenti materialis, diuina tamen virtute concremans corpora, spiritus autem non calefaciens, sed crucians, lucet quidem ad pœnam, minimè autem ad consolationē, palpitans tremor, tristitia affligens, vociferationes terribiles, & vchementes, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror in-

habitat, omnis spei perpetua extinctio , & abolitio,&, quod his omnibus peius est, diuinæ visionis æterna carentia. Hæc omnia sunt iugiter consideranda,& meditanda, quæ de diuinæ prodeunt thesauris iustitiae , quæ vnicuique reddit secundum opera sua, quæ si homines saperent , & intelligerent,& nouissima prouiderent, non inaniter gloriarentur , non humanas appeterent laudes , non voluptatibus se darent, prostituerent vitijs, indulgerent corpori , diabolo obtemperarent , facultates quærerent, mundiq; pereuntem concupiscent gloriam, non veritatis suberterent itinera, non sanctorum monita parui penderent, abiijcerent gratiam, virtutes detestarentur, non negligerent sapientum cōsilia. Sed resipiscerent ab iniquitatibus suis, ac sibimet transactarum culparum vltionem instituerent,& facinora præterita diluerent,& de cæterò vltrò non peccarent, nec inanem gloriam requirent.

Igitur quamdiu in hoc exilio sumus mortalitatis carne vestiti , nos peccatores agnoscamus, delicta confiteamur, deploremus,

remus, & corrigamus, non ea tegendo, &
excusando, non iustificando, neq; de pro-
pria applaudamus gloria , nec humanas
laudes appetamus, sed fidei oculo futurū
prospectemus iudicium, & dicamus, *Non*
intres in iudicium cum seruo tuo Domine,
quoniam non iustificabitur in conspectu
tuo omnis viuens. Vnde fiet ut qui inten-
ta mentis consideratione hæc secum per-
tractet, humanam gloriam amare nō pos-
sit, nec ea quæ in mundo sunt, tamquam
horis singulis emigraturus ex ipso, & super
sui custodiam vigilet, conuersationemq;
suam prouida discussione gubernet, decor-
dinata ordinet, deiecta erigat, agenda dis-
ponat, alta despiciat, & omnem gloriā sæ-
culi cōtemnat, pertimescat, fugiat, & refor-
midet: & vniuersas laudes humanas, & om-
nia quæ sub cœlo sūt ut stercora arbitretur,
ut verā gloriā lucrifaciat, sicq; prudēter vi-
uat, ac si de proximò moriturus existeret,
Lauans cū propheta per singulas noctes lec-
tū suum, & stratū suum lacrymis humili-
ter rigando. Atque peregrinationem
suam sincera mēte deploret, & per amoris

Psal. 141.

141. 14

Psal. 50.

incendium iugi deuotione suspirerat ad patriam , cum propheta gemebundo corde decantans , *Situit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei.* Et igniti desiderij bonorum cœlestium consideratione per motus propheticum illud ingemiscens dicat , *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitauit cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Et ciuitatis illius cœlestis Hierusalem excellentiā admirans , Angelorum frequentiā, ciuium gloriam , delitarum opulentiam, mansionum magnitudinem , & omnium desiderabilium exuberantiam , inardeſſens concupiscat , gemat , & dicat , Quād dilecta tabernacula tua Domine virtutū, concupiscit , & deficit anima mea in atria Domini. O quād glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei . Sicut latantum omnium habitatio eſt in te : Et defluentibus lachrymis, & corde liqueſcente dicat , *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei , māgis quād habita- re in tabernaculis peccatorum , quia melior eſt dies una in atrijs tuis super millia , Quia, bea-*

Pſal. 41.

Pſal 119.

Pſal 83.

Pſal. 86:

Pſal. 83.

b:ati qui habitant in domo tua, in scula
sculorum laudabunt te.

Deniq; iam ut finem faciam us, ad hanc
inanem, & pestilentem belluam gloriæ
humanæ fugiendam, & vitandam, ubiq;
depugnemus gladio spiritus, quod est ver-
bum Dei: verbum Dei voco cum piis &
religiosas preces, quibus omne temptationū
genius profligabimus: tūm scripturam
diuinam, ex qua vt in cætera omnia vitia,
ita in hoc opem, ac subdidium petemus.
Ergo semper hæc, & his similia nō tam in
ore, quam in animo habeamus, *Perditio
tua ex te Israel, tantummodo in me auxi-
lium tuum. Quid habes quod non accepisti?*
*& si accepisti quid gloriaris, quasi non ac-
ceperis: Non sumus sufficiētes cogitare a-
liquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficiētia
nostra ex Deo est.* Et quod facti sumus
Ut improbi omnes nos, & quasi pannus
menstruatae vniuersæ iustitiae noſtrae. Et
sine me nihil potestis facere. Non nobis
Domine, non nobis, sed nomini tuo da
gloriam.

Hæc autem multò libentiū, atq; au-
diūs
Ecc 3

Osee. 13.

1. Cor. 4.

2. Cor. 3.

Ezai. 64.

Iosua. 13.

Psal. 113.

dius arripiemus, si periculum in quo con-
 tinetur versabimus animo, & cogitatione
 cernemus. Etenim non est quod improbi
 hoc vitium timeant, eos maximè assecta-
 tur, qui magnos habent in virtute progre-
 sus. Hi cum sàpè èò venerint, ut opes, libi-
 dines, similitates, potentiam, honoresq;
 contemnant, & in quiete quadam, ac tran-
 quillitate viuant, bellum sibi, & quidē dif-
 ficile, ac durum cum inani gloria susci-
 piendum vident: in preces ipsas, in concio-
 nes, in ieiunia, in verbena blandè se insi-
 nuat, atq; (ut Harpiyæ instructas opipare
 mens.) ita præclara, & egregia opera fe-
 dat, turpificat, & contaminat. Quam si ne-
 gligas, & voluntatem quasi arcem occu-
 pare permittas, ita te à vera virtute paula-
 tim auertet, ut nihil turpe, aut flagitiosum
 arbitreris, quod ea comparari posse videa-
 tur. Hinc vigiliæ, lucubrations, labores in
 credibili contentione suscepisti, quibus ho-
 mines mirificè in vita excruciantur. De
 quibus rectè Ecclesiastici, cap. 1. habetur.
 Eccles. Vanitas vanitatum, Et omnia vanitas.
 Quid habet homo amplius de uniuerso la-
 bore.

bore quo laborat sub sole? Vidi cuncta qua
fiunt sub sole. Ecce uniuersa vanitas, &
afflictio spiritus.

An potest esse quidquam dementius,
quam in periculis, ac laboribus diurnis,
atq; nocturnis vivere? curis, vigilijsq; an-
gi? ut in fine audias, *Amen dico vobis rece-
perunt mercedem suam.*

Matth. 6.

Quam tandem
mercedem? inanem prædicatiunculam,
caducam, & momentaneam vulgi accla-
matiunculam, tenuem, leuemq; gloriolā,
illumq; angusto atq; demissō animo, & mi-
serrimo extimio, qui tā exigua mercede tā-
tis se in laboribus exercet. Quid enim hac
gloriola incertius, atque inconstantius?

Non est (inquit sapiens) priorum memoria, *Ecclesi.*
sed nec eorum quidem qua postea futura
sunt erit recordatio apud eos qui futuri
sunt in nouissimo. Quod si spe, atq; amore
glorie (vti fit) in turpia, & nefaria labitur,
verū operæ præmium erit summis labori-
bus alios, & grauiores, & sempiternos
quæsisse.

Quoniam igitur hæc pestis in optimi
cuiusq; mentem facilimè irrepit, omnis

cura adhibenda est, ut pellatur è vestigio,
ne serpat latius, ac crecas, auctisque, &
confirmatis viribus, nec facile extrudi
queat, & omnia bona nostra corrumpat.
Id proculdubio perficiemus, si nullam in
nobis, omnem in Deo spem, ac fiduciam
reponamus: crebroque ad eum supplices
veniamus, qui ait, *Petite, & dabitur vo-*
bis, pulsate, & aperietur vobis. Et, *Ven-*
te ad me omnes qui laboratis, & ego refi-
ciam vos, tollite iugum meum super vos,
& discite a me quia mitis sum, & humili-
lis corde, iugum enim meum suave est, &
onus meum leue.

Requiem proculdubio reperiemus opulentam, si iugum illius suave super nos spōtē suscepimus, non nos premet, quoniam leue est, & portantem se portat, fietque quōtidie ex usū delectabile, suave ex gustu, atque ex Christi imitatione iucundius. Propterea acceleremus, proptemus, festinemus, & velociter ad Christum curramus, qui sibi famulantibus præmia pollicetur eterna. Et nos, de cœlo descendens, sicut ques errantes quæsui in

terra.

Matth. 7.
Matth. 11.

Ecc 4

terra. Nos extensis brachijs, aperto latere,
capiteque demisso præstolatur in cruce,
debita nostra soluit, Patri suo reconcilia-
uit, ac bonitatis suæ nobis patefecit arca-
na. Gratianterque ad suum conuiuum
nuptiale invitat, in suaque nos cupit ag-
gregare familia: ut illi ingiter assistamus
in spiritu, laudes exhibeamus, nostra offe-
ramus vota, preces effundamus, ipsius-
que die ac nocte delectabili fruamur pre-
sentia. Et si illi mūdo corde vacare studue-
rimus, si cū tota mēte dilexerimus, spiritua-
libus nos locupletabit diuitijs, sublimabit
honoribus, & gloria maxima, fecundabit
virtutibus, nec nō & incerta & occulta sa-
pientiæ suæ nobis reuelare dignabitur. Et
tūc absq; errore noxijs esse huiusmodi lau-
des cognoscemus, fugitiuos honores, mū-
danā gloriā despiciendā, & paruipēdendā.

Fugiamus itaq; fratres mei, fugiamus (in
quam) hanc seruitutē inanis gloriæ, fugia-
mus hoc vitiū, quod facile poterimus, si (vt
dictū est) philosophemur de terrenis, si vi-
deamus quòd præsentia somniū & vmbra
sunt, quam fluxa sit, & labilis humana laus,

quam corruptum vulgi iudicium, infirmamq; sententiam, flacelcereque statim,
 & labare solere. Qua vti excusatione po-
 terimus, proque tam breui paucorum
 preconio, tot bonorum patiemur iactu-
 ram? Mente, & animo frequentius rep-
 petamus qualem Christus in hanc rem ten-
 tentiam ferat. *V&e; vobis quibus bene dixe-
 rint homines, Et alibi, Quantum glorifica-
 uit se, tantum date illi tormentum, & luc-
 tum.* Siquidem qui nos nunc extollunt,
 paulò post non sècùs à honoris, & gloriæ,
 & suarum priuatarum laudum affectato-
 res calumniabuntur. Et si nunc laudant,
 mòx accusant, inuident, vel carpunt: etsi
 hoc non faciunt, nihil omnino laudato
 prossunt. Si enim hoc consideremus nun-
 quam ab hominibus propria quæremus,
 & si contigerint, contemnemus, deridebi-
 mus, respueamus, & dictis & factis detesta-
 bimur. Honores itaque ne quæramus, &
 oblatos recusemus, abiiciamus à nobis,
 hanc inanis gloriæ concupiscentiam ex-
 tinguamus. De terra iecedamus, in cœlum
 respiciamus, ad illud cœlestè aspiciamus

Luca 6.
 Apoc. 18.

theatrum, Deum semper ante oculos habemus, ipsum assidue contemplemur. Qui quanto nos diuinæ gloriæ cupidores conspicabitur, cù maiores in nos congeret laudes, & summa omniū admiratione gloria illustrabit, *Gloriari nobis* (sicuti & Paulo) *absit, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Has laudes quæramus, hanc imitemur iactantiam. Hæc lectemur, & Dei gratia poterimus, & futura consequi bona, quibus nos omnes dignos censeri contingat, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri simul & sancto Spiritui gloria, potestas, & honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen..

(.?)

F I N I S



spicatum, Deinde item pectus ante oculos pro-
peccatum, ibiunt assidue contumeliam
penitus, quod nos dñe glorie obdiores
Gaudiu[m] nos dñe glorie obdiores
contumeliam, co-missiones in nos conge-
recantes, gemitus omnium saudatione
gloriis illius spiritu, gloriantur nos (ut) et
nos (ut) aperte militiam a mea deo misericordia
et caritatis insigne dextera nos imi-
tari ut regnem, Hoc legem dicitur: De
gloriis positionis, et tunc corde impo-
nas dominum nos omnes quid nos contingit eorum
inquit, in Christo Iesu bona via nos
cum dabo. Per hanc et iungos spimum
gloriis positionis, et in locis eius
et locis eius.

(3)

LINI 2.

